A.. Lat. b.
1129 f

Digitized by Google

A. lat. b. 1129 f

Hyginus

Digitized by Google

HYGINI FABULAE.

EDIDIT

BERNHARDUS BUNTE.

LIPSIAE

SUMPTIBUS LIBRARIAE DYKIANAE.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

Viros illustres, quibus nomen Hyginus *) erat, in antiquitate plures fuisse pro certo haberi potest. Commemorantur in inscriptionibus Q. Postum. Hyginus (Gruter. Thes. Inscr. Tom. 1, p. 112, nr. 3), A. Gabinius Hyginus (Gruter. l. c. p. 872, nr. 11), Hyginus, libertus M. Canuleii Galatae (Gruter. p. 935, nr. 8), Fabius Hyginus (Gruter. p. 938, nr. 13), P. Velius Hyginus (Gruter. p. 956, nr. 12), T. Vestricius Hyginus (Gruter. p. 957, nr. 5), C. Canuleius Hyginus (Gruter. p. 1045, nr. 1), C. Masurius Hyginus (Gruter. p. 1077), C. Julius Hyginus (Muratori Corp. Inscr. Tom. 2, p. 1178, nr. 6), Hyginus quidam Atheniensis (Boeckh, Corp. Inscr. Tom. 1, p. 374). Praeterea in veterum auctorum libris passim commemorantur C. Julius Hyginus, Augusti libertus; Hyginus Gromaticus; Hyginus Atheniensis, episcopus ecclesiae Romanae; Hyginus, episcopus Hispanus. Sed nonnisi quattuor vel quinque ex his scripta reliquisse videntur. Hygini Gromatici, qui vixit Antoninorum tempore, est liber, qui inscribitur Gromaticus sive De limitibus constituendis. Hygini Atheniensis, qui itidem Antoninorum tempore vixit, supersunt epistolae duae, quarum altera ad Christianos omnes, altera ad Athenienses scripta est. Omnes autem, quos nominavi, superavit ingenii facultate et doctrinae monumentis C. Julius Hyginus, Augusti libertus. Nec inutile quid et ab huius libri consilio alienum facere arbitror, si de eodem Julio Hygino hoc loco ita disserere constitui, ut quae ad vitam eius illustrandam studiorumque eius rationem cognoscendam utilia esse videantur, summa cura proponam et diligentissime exponam **).

---

*) In libris Mss. veterum auctorum nomen Hygini varie exhibetur. Legimus enim hyginius, yginius, hyginus, yginus, higinius, higinus, higenus, iginus, aliaque. Optime scribitur Hyginus. Graece enim Ὑγῖνος (cf. Philoxenus in Glossar. apud H. Stephanum (Glossaria duo etc. Anno 1573.) p. 151; Boeckh, Corp. Inscr. Tom. 1, p. 374) vel Ὑγεῖνος appellatur. HYGINUS est etiam in plurimis inscriptionibus Latinis.

**) De Julio Hygino plura litteris mandaverunt J. G. Vossius, De Hist. Latinis, Francof. ad Moenum 1677, lib. 1, cp. 20; J. A. Fabricius in Bibl. Lat. Tom. 1, p. 304 ed. Harless.; Ioh. Schefferus et Thom. Munckerus in diss. de Hygini fabularum scriptoris aetate atque stilo; Nic. Antonius in Bibl. Vet. Hispana, ed. Franz. Perezius Bayerius, Matriti 1788; G. Ephr. Müller, Historisch-kritische Einl. zur Kenntniss der lateinischen Schriftsteller, Dresden 1747—1751, Tom. 5, p. 106 sqq.; Baehr, Geschichte der römischen Literatur, Karlsruhe 1832; Suringar, Hist. crit. scholiast. Lat., Lugduni Bat. 1834; Bode, Scriptores rerum myth., Cellis 1834, p. XIV sqq. Ipse de hac re iam alio tempore dixi in diss. inaug. De C. Julii Hygini, Augusti liberti, vita et scriptis, Marburgi Chattorum 1846.

Digitized by Google

De Julii Hygini vita nonnulla tradit Suetonius de ill. gramm. cap. 20. ‘C. Julius Hyginus, inquit, Augusti libertus, natione Hispanus (etsi nonnulli Alexandrinum putant et a Caesare puerum Romam advectum Alexandria capta) studiose et audiit et imitatus est Cornelium Alexandrum, grammaticum Graecum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi, quidam Historiam vocabant. Praefuit Palatinae bibliothecae, nec eo secius plurimos docuit; fuitque familiarissimus Ovidio poetae et Clodio Licino *) consulari historico; qui eum admodum pauperem decessisse tradit et liberalitate sua, quoad vixerit, sustentatum. Huius libertus fuit Julius Modestus, in studiis atque doctrina patroni vestigia secutus.’ Haec Suetonius. Quae de his dicenda videntur, protinus proponam.

De patria Hygini nusquam aliquid reperitur, quo Suetonii sententia aut refutetur aut comprobetur. Suetonio autem de hac re fidem tribuendam esse persuasissimum mihi est. Potuit enim hic scriptor, qui non ita multo post Hyginum vixit, de vita eius certa habere testimonia; et, ni fallor, plura de hac re in libro quodam Clodii historici, amici Hygini, cuius ipse statim in sequentibus meminit, invenerat. Firmatur Suetonii sententia etiam eo, quod Hyginus Latino sermone plurima doctrinae monumenta condidit, Graeco autem, quoad ex fragmentis eius coniectura capi potest, nulla. Vix autem probabile est Hyginum, si inter Graecos natus fuisset, adeo oblitum esse patriae, ut non aliqua e tot operibus, quorum notitia ad nos pervenit, patria lingua composuerit. Aliorum vero auctorum sententia, qui scripserant Hyginum Alexandriae natum fuisse, nonnisi ex errore orta esse videtur. Veri simile enim est Hyginum propter industriam, qua Alexandrum Polyhistorem **) imitatus est, nominatum esse Alexandreum, et ex hac appellatione male intellecta ortam esse famam, Hyginum Alexandrinum fuisse. — Plurimum vitae tempus Hyginus procul dubio Romae consumpsit. Quum autem a Julio Caesare Romam adductus est, aetate iam provectiore fuisse videtur. Suetonius enim sententiam illorum refutat, qui scripserant Hyginum, Alexandria capta, puerum Romam adductum esse. Causam quidem, cur ita sentiat, Suetonius non addidit; persuasum tamen habeo eum propter causam chronologicam sententiam illorum auctorum reiecisse. Et sane, si post captam Alexandriam, id est post annum 707 U. c., puer Romam adduceretur, non potuit Cornelium Alexandrum audire, qui, ut Suidas prodidit v. *Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος* ***), paedagogus fuit Cornelii Lentuli, et Romae

*) Sic scripsi ex sententia Th. Bergkii; de qua re plura in sequentibus.

**) Non confundendus est hic Alexander cum Alexandro Ephesio (de quo plenissime scripsit A. Meineke in Analect. Alexandrinis, Berolini 1843, p. 371 sqq.), vel cum Alexandro Cotyaensi, qui mortuus est Romae anno 169 p. Chr.

***) Quae apud Suidam de hoc Alexandro leguntur, haec sunt: *Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος, ὃς πολυΐστωρ ἐπεκλήθη καὶ Κορνήλιος· διότι Κορνηλίῳ Λεντούλῳ αἰχμαλωτισθεὶς ἐπράθη καὶ αὐτῷ παιδαγωγὸς ἐγένετο· εἶτα ἠλευθερώθη. ἦν δὲ ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τῶν Σύλλα χρόνων καὶ ἐπὶ τάδε. ἀνῃρέθη δὲ ἐν Λαυρενταῖς,*

Digitized by Google

vixit Sullae temporibus et post illa tempora (*ἐπὶ τῶν Σύλλα χρόνων καὶ ἐπὶ τάδε*). Hyginum autem Alexandrum Polyhistorem audiisse certis auctorum monumentis Suetonio compertum erat. Et vera sane est lectio apud Suetonium, quam supra proposui: 'studiose et audiit et imitatus est.' Hoc enim Oudendorpius aliique in libris Mss. invenerunt. Nonnulli tamen sic legunt: 'studiose et avide imitatus est Cornelium Alexandrum.' Sed si ita scripseris, non bene intelligitur, cur Hyginus illum grammaticum Graecum, nec alium quempiam clarum scriptorem tanta industria imitatus sit. Sunt etiam, qui loco commemorato illa e t a u d i i t eximenda esse censeant, et legendum: 'studiose imitatus est Cornelium Alexandrum.' Inter quos est Jos. Rauchius in diss. inaug. De Alexandro Polyhistore, Heidelbergae 1843, p. 10. Qui non veri simile esse putat, Alexandrum Hygini tempora assecutum esse propter ea, quae de illo grammatico apud Suidam leguntur l. l. *ἦν δὲ γραμματικὸς τῶν Κράτητος μαθητῶν.* Sed haec verba quid valeant, Rauchius non recte perspexit. Nam non ita debent accipi, quasi Alexander ipsius Cratetis Mallotae discipulus fuerit, sed hoc tantum indicant, eum sectatorem scholae Crateteae fuisse. Quare non, ut Rauchius putat, anno 164 a. Chr., sed multo postea natus esse videtur Alexander Polyhistor. Mortuus autem est fortasse ineunte seculo octavo post Urbem conditam. Cui quidem sententiae nec illa repugnant, quae Suidas loco, quem supra apposui, de tempore, quo Romae vixerit Alexander, litteris mandavit. Quae quum ita sint, Hyginum Alexandrum Polyhistorem audiisse et postea in studiis atque doctrina exemplo sibi proposuisse, Suetonii auctoritatem secutus, affirmo atque persevero. Nec male conieceris, Julium Caesarem Hyginum servum, cuius ingenium et litterarum studium cognoverat, Alexandro Polyhistori instituendum tradidisse, posteaque Octaviano una cum reliqua hereditate dono dedisse. — Hyginum Polyhistorem appellatum esse tradit Suetonius ad Eusebii Chron. sub olymp. 193 (Ang. Maii Vet. Script. Nov. Coll. Tom. 8, p. 371). Verba illius ipsa posui: 'Gaius Julius Hyginus, inquit, cognominatus Polyhistor, grammaticus habetur insignis.' Nec indignus sane habendus est Hyginus nomine Polyhistoris. Demonstrari enim potest eum eodem modo ut Cornelium Alexandrum et M. Terentium Varronem, qui hoc nomine in antiquitate celebrati sunt, plurimis atque optimis artibus ornatum fuisse. Sed quum praeter Hieronymum nemo hoc tradiderit, non potest haec res pro vera accipi. Videtur enim Hieronymus, qui in libro commemorato Suetonii auctoritatem in plurimis secutus est, eorum, quae ille de Hygino memoriae prodidit, non recte meminisse, et per errorem ad Hyginum restulisse, quae Suetonius de Cornelio Alexandro dixit. — Quo tempore Augustus imperator Hyginum, quem

---

ὑπὸ πυρὸς τῆς οἰκίας φθαρείσης. καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Ἑλένη μαθοῦσα τὸ συμβὰν ἀπήγξατο· ἦν δὲ γραμματικὸς τῶν Κράτητος μαθητῶν. Οὗτος συνέγραψε βιβλία ἀριθμοῦ κρείττω, καὶ περὶ Ῥώμης βιβλία πέντε. ἐν τούτοις λέγει, ὡς γυνὴ γέγονεν Ἑβραία Μωσώ, ἧς ἐστι σύγγραμμα ὁ παρ' Ἑβραίοις νόμος.

propter ingenium et litterarum studium manu miserat, Palatinae bibliothecae praefecerit, Suetonius non dixit; veri simile tamen mihi esse videtur Hyginum eodem tempore, quo condita est haec bibliotheca, id est anno 726 U. c., praefectum eius factum esse. Hoc autem si recte se habeat, sequitur Hyginum illo tempore iam dudum nominis fama et doctrinae monumentis inclaruisse. Satis enim constat curam bibliothecarum nonnisi viris doctissimis vereque eruditis a Caesaribus Augustis delatam esse. Nec repugnant sane huic sententiae illa, quae de tempore, quo Hygini opera de agri cultura et de apibus scripta videantur, postea proponam. Praeterea probabile esse videtur Hygino ob singularem, qua excelluit, doctrinam, utriusque bibliothecae Palatinae, id est Graecae et Latinae, curam delatam esse. Quibusdam enim temporibus munus hoc divisum, et pluribus quam uni destinatum, lapides monent antiqui. — Nunc de amicis, quibus usus est Hyginus, dicendum videtur. Coniunctissime vixit Hyginus, ut Suetonius ait, cum Ovidio poeta et Clodio Licino historico. Ex amicitia, quam cum Ovidio iunxerat, explicanda fortasse est magna illa doctrinae copia, quae in nonnullis Ovidii operibus, ut in Metamorphoseon libris et Fastis, comparet. Hyginum enim in rebus, quas ipse rectius calleret, amicum suum consilio iuvisse, eique mythologicas, historicas aliasque res proposuisse veri simillimum est. Non praetermittenda autem est hoc loco sententia Salvagnii Boessii *), qui censet, amicum, quem Ovidius in Ibide et in Ponticorum libri quarti epistola tertia infidelitatis accusat, nullum alium esse nisi Julium Hyginum. Causae, quibus nititur ille vir doctus, hae fere sunt. Primo loco putat versibus Ibidis 418 sq. Hygini paupertatem, de qua Suetonii exstat testimonium, indicari. Secundo loco versus istos, in quibus Cinyphii nomine, id est Africani ad Cinyphum flumen nati, Ibis notatur (v. 220 sq.), ideo de Hygino accipi posse putat, quod ille secundum quosdam natione fuerit Aegyptius. Tertio loco fabulosam carminis, quod inscribitur Ibis, indolem eo spectare suspicatur, ut Hyginus, cuius Mythologici libri omniummanibus triti supersint, fabulis suis quasi propriis armis iuguletur. Denique Ponticorum libri quarti epistolam ad Hyginum scriptam esse affirmat propter pristinae amicitiae mentionem iniectam. Haec sunt, quibus Boessii sententia maxime nititur. Satis ingeniose eam esse excogitatam, et magnam habere, qua primo aspectu se commendet, speciem veri, negari non potest. Sed si accuratius rem perpendas, Boessium errasse fatearis necesse est. Hyginum in Ibide non perstringi a Merkelio in commentario ad Ibin p. 388 sqq. satis ostensum est; quare studiosos huius rei ad illum librum delego. Sed nec in Ovidii Pont. 4, 3 versus isti

---

*) Cf. Salv. Boessii Commentar. in Ovidii Ibin, Lugd. Bat. 1633. Prolegomena huic libro praemissa inveniuntur etiam in Ovidio a Burmanno edito Tom. 4, p. 1—16. Praeterea Boessii de Hygino sententiam breviter attigit Merkelius ad Ov. Ib. p. 388 sqq.

Digitized by Google

'Ille ego sum, quamquam non vis audire, vetusta
Paene puer puero iunctus amicitia.'

de necessitudine, quae inter Ovidium et Hyginum intercesserat, accipi possunt, quoniam Hyginus procul dubio multo maior erat natu quam Ovidius; de qua re postea plura dicam. Omnino autem Boessii sententiae obstat illud, quod Suetonius, qui de Hygino sine dubio auctoribus usus est haud incertis, nullo verbo indicavit Ovidium cum Hygino unquam in dissensione et simultate fuisse. — Alius Hygini amicus, ut iam supra dixi, fuit Clodius Licinus; quem Suetonius virum consularem et historicum appellat. Sciendum apud Suetonium l. c. omnes sic legere: et Caio Licinio consulari historico. Sed lectio sine dubio est corrupta; nam tali nomine consularis historicus ab aliis non commemoratur. Vossius De Hist. Lat. 1, 10 et 20 legendum putat C. Asinio. Et sane neminem fugit C. Asinium Pollionem scripsisse historiam belli civilis, et consulem fuisse cum Cn. Domitio Calvino anno 713 U. c. Tamen ex causa chronologica hanc Vossii opinionem non probandam censeo. Nam Asinius ille e vita excessit anno 757 U. c. Hyginus autem etiam post illud tempus vixisse videtur. Quare non potuit Asinius Hyginum usque ad vitae finem sustentare; id quod Suetonius de Hygini fautore asserit. Alii alia proposuerunt, ut Nic. Funccius De ling. Lat. Tom. 2, p. 287. Optimum est, quod Th. Bergkio venit in mentem. Is enim legendum putat Clodio Licino, ex codice Vossiano, nunc Leidensi, in quo haec leguntur: Clodio Licinio consulari historico. Hic autem Clodius idem esse videtur, ex cuius libro tertio rerum Romanarum nonnulla profert Livius 29, 22. Item non diversus ab hoc esse videtur is, cuius ἔλεγχος χρόνων a Plutarcho Num. cp. 1 commemoratur; immo, ni fallor, in eo ipso libro, cuius Plutarchus meminit, ea legebantur, quae Suetonius de Hygino memoriae prodidit. Alius autem et antiquior sane est Clodius historicus, cuius Cicero meminit de Legib. 1, 2. — Hygini amicum etiam Vergilium fuisse coniicere licet ex Columella, qui libro primo cp. 1 §. 13, ubi scriptores rei rusticae enumerat, haec profert: 'mox Vergilium (sc. memoremus), qui carmine quoque potentem fecit (sc. agricolationem), nec postremo quasi paedagogi eius meminisse dedignemur Julii Hygini.' Ex hoc loco sine dubio potest concludi Vergilium in componendis Georgicis Hygini quodam opere usum esse; de qua re postea plura dicam. Sed, ni fallor, Columellae illa etiam de artiore quadam, quae inter Hyginum et Vergilium intercesserat, necessitudine accipi debent. Fortasse Vergilius saepius etiam consilio huius grammatici usus est. — De anno, quo natus et mortuus sit Hyginus, nemo veterum scriptorum certi aliquid tradidit. Hieronymus ad Euseb. Chron. l. c. Hyginum olympiade 193 vixisse refert, sed haec res nullius fere est momenti, quum constet Hieronymum annos, quos in Eusebii Chronico adscripsit, saepenumero ex arbitrio posuisse. Non tamen desunt, quibus in universum tempus, quo vixerit Hyginus, definiri potest. Ut enim supra dixi, Hyginus illo tempore, quo Alexandria a

Digitized by Google

Julio Caesare capta est, id est anno 707 U. c., iam diu e pueris excesserat. Item pro certo haberi potest Hyginum ante Vergilium plura opera edidisse. Ut enim Servius ait ad Aen. 5, 389, Vergilius in Aeneide scribenda usus est Hygini libro De familiis Troianis. Praeterea ex Columella 1, 1, 13 (cuius verba paulo antea posui) apparere mihi videtur Vergilium in Georgicis componendis Hygini libro De re rustica, et fortasse etiam libro eius De apibus usum esse. Quae quum ita sint, errare me non puto, si statuam Hyginum circa annum fere 680 (74) natum esse. Multis igitur annis maior erat natu quam Ovidius poeta, cui familiarissimus fuisse dicitur. Ante Ovidium mortuum esse Hyginum veri simile quidem est, sed certis auctorum documentis probari non potest. Non male autem Merkelius in libro, quem supra commemoravi, p. 79 coniecisse mihi videtur elegiam 14 lib. 3 Trist. Ovidii ad Hyginum referendam esse. Scripta est haec elegia ad amicum quendam, qui ter quinque volumina poetae, id est Metamorphoseon libros, in publicum emiserat; pro quo beneficio Ovidius gratias ei dicit maximas. Statim initio carminis amicus ille, quem alloquitur poeta, nomine cultoris et antistitis doctorum virorum celebratur. Quae quidem verba ad Hyginum referri possunt. Item versus iste eiusdem elegiae, in quo amicus studiosus vatum novorum appellatur, ideo de Hygino accipi potest, quod is in Helvii Cinnae quoddam carmen et in Vergilii carmina commentarios conscripsit; de qua re postea plura dicam. Quae quum ita sint, pro certo haberi potest, Hyginum usque ad finem fere imperii Augusti vixisse. Prorsus autem temporis rationem ii neglexerunt, qui scripserunt Hyginum etiam Quintiliani tempore vixisse. Fuerunt enim, qui existimarent M. Fabium illum, cui Astronomicon libri, qui Julii Hygini nomine circumferuntur, dedicati sunt, esse Fabium Quintilianum. Sed Hyginum, Augusti libertum, Quintiliani tempora non assecutum esse quum ex iis, quae supra dixi, tum ex loco Columellae dilucide apparet. Columella enim, qui Romae vixit Tiberio et Claudio regnante, in libro De re rustica 1, 1, 15 postquam Magonem, Hyginum et Vergilium inter eos nominavit, qui ante se de agri cultura scripserint, haec adiicit: 'nec minorem tamen laudem meruerunt nostrorum temporum viri, Cornelius Celsus et Julius Atticus.' Columella igitur Celsum et Julium Atticum aequales sibi esse ait, de Hygino autem non tanquam de vivo, sed tanquam de mortuo loquitur.

Haec de Julii Hygini vita dixisse sufficiat. Nunc de Julio Modesto, Hygini liberto, qui, ut Suetonius ait, in studiis atque doctrina patroni vestigia secutus est, pauca dicam. Scripta huius grammatici ad nostram aetatem non pervenerunt*), nonnulla tamen apud veteres scriptores inveniuntur, quae ad stu-

*) Libellus de vocabulis rei militaris, qui Modesti nomine exstat, iuniorem habet auctorem, qui post Vegetii tempora vixit.

Digitized by Google

diorum eius rationem cognoscendam utilia sunt; de quibus rebus nunc exponam.

Ex libris Julii Modesti commemorantur Quaestiones confusae a Gellio N. A. 3, 9, qui ex iis narratiunculam affert de equo Seiano. Verba illius ipsa posui. 'Gabius Bassus, inquit, in Commentariis suis, item Julius Modestus in secundo Quaestionum confusarum historiam de equo Seiano tradit dignam memoria atque admiratione. Cn. Seium quempiam fuisse scribunt, eumque habuisse equum natum Argis in terra Graecia, de quo fama constans esset, tanquam de genere equorum progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuissent; quos Hercules, Diomede occiso, e Thracia Argos perduxisset. Eum equum fuisse dicunt magnitudine inusitata, cervice ardua, colore phoeniceo, flora et comanti iuba; omnibusque aliis equorum laudibus quoque longe praestitisse; sed eundem equum tali fuisse fato sive fortuna ferunt, ut quisquis haberet eum possideretque, ut is cum omni domo, familia fortunisque omnibus suis ad internecionem usque deperiret. Itaque primum illum Cn. Seium, dominum eius, a M. Antonio, qui postea triumvir rei publicae constituendae fuit, capitis damnatum, miserando supplicio affectum esse: eodem tempore Cornelium Dolabellam consulem, in Syriam proficiscentem, fama istius equi adductum, Argos devertisse cupidineque habendi eius exarsisse emisseque eum sestertiis centum milibus: sed ipsum quoque Dolabellam in Syria bello civili obsessum atque interfectum esse: mox eundem equum, qui Dolabellae fuerat, C. Cassium, qui Dolabellam obsederat, abduxisse. Eum Cassium postea satis notum est, victis partibus, fusoque exercitu suo, miseram mortem oppetiisse: deinde Antonium post interitum Cassii, parta victoria, equum illum nobilem Cassii requisisse; et, cum eo potitus esset, ipsum quoque postea victum atque desertum detestabili exitio interiisse. Hinc proverbium de hominibus calamitosis ortum dicique solitum: ille homo habet equum Seianum.' Haec Gellius. Continebat autem hic liber Modesti sine dubio variam ac miscellam doctrinam simili modo ut Gellii Noctes Atticae: id quod etiam Gellius ipse in praefatione libri sui §. 9. indicavit.

Praeterea Modestum pluribus scripsisse de rebus sacris inde coniicio, quod singularem librum De feriis scripsisse dicitur; de qua re ante eum praeter alios Varro egerat in antiquitatibus rerum humanarum et divinarum. Commemoratur Modesti liber De feriis a Macrobio Sat. 1, 4 hisce verbis: 'Verrius Flaccus in eo libello, qui Saturnus inscribitur, Saturnaliorum, inquit, dies apud Graecos quoque festi habentur, et in eodem libro, Dilucide me, inquit, de constitutione Saturnaliorum scripsisse arbitror. Item Julius Modestus de feriis, Saturnaliorum, inquit, feriae. Et in eodem libro, Antias, inquit, Agonaliorum repertorem Numam Pompilium refert. Haec tamen, inquies, auctoritas quaero an possit aliqua ratione defendi. Plane, quatenus alienum non est, committi grammaticum cum sua analogia, tentabo suspicionibus eruere, quid sit quod eos a solita enuntiatione detorserit, ut mallent Saturnaliorum, quam Saturnalium

Digitized by Google

dicere.' Ex eodem libro esse videntur, quae a Macrobio Sat. 1, 10 proponuntur; quo loco sermo est de diva Angeronia. 'Julius Modestus, inquit, ideo sacrificari huic deae dicit, quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, praemisso voto sit liberatus.' Item hunc librum respicere mihi videtur Macrobius Sat. 1, 16, cum sic ait: Julius Modestus affirmat, Messala augure consulente pontifices, an nundinarum Romanarum nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse, nundinas sibi ferias non videri? Denique huc referenda sunt ea, quae apud Festum v. Regifugium (cf. Lindemann, Corp. gramm. Tom. 2, p. 230) leguntur. Cuius verba haec sunt: Regifugium, inquit, dies notatur in Fast. VI. Kal. Martias, ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit: quod falsum esse arguit Cincius in libro Fastorum, et Tulius [leg. et Julius] de feriis, qui Saliares virgines, et Salios adesse dicunt Regi sacrorum, cum facit sacrificium in Comitio, quo facto statim fugit etc.

Denique Julium Modestum libros grammaticos scripsisse et commentarios in poetas pro certo haberi potest. Sane ex huius Modesti libro aliquo esse videntur, quae apud Quintilianum Inst. or. 1, 6, 36 leguntur, ubi sermo est de etymologiis. 'Ingenioseque, inquit, sibi visus est Caius Granius Coelibes dicere, veluti coelites, quod onere gravissimo vacent, idque Graeco argumento; ἠϊθέους enim eadem de causa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus inventione. Nam quia Coelo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos, qui uxore careant, ait.' Praeterea a Diomede grammatico nonnulla ex Julii Modesti libris sunt servata. Verba eius ipsa posui (cf. Corp. gramm. ed. Putsch. p. 362): ,Inchoavi, inquit, ab inchoo. Sic dicendum putat Julius Modestus, quia sit compositum a chao, initio rerum *). At Verrius et Flaccus in postrema syllaba aspirandum probaverunt. Cohum enim apud veteres mundum significat. Inde tractum inchoare. Tranquillus quoque his assentiens, libello suo plenissime aedem incohatam ita disseruit.' Plura denique ex Modesto proponuntur a Charisio in Instit. gramm. Sic p. 56, 12 ed. Putsch.: 'Plurum; Modestus putat non esse dicendum plurium cum i. Ea enim nomina, quae comparanda sunt, genitivo i habere non debent, ut fortiores fortiorum, meliores meliorum, sic plures horum plurum, sed consuetudo plurium cum i dicit. Unde et Terentius in Phormione, Nova hic compluria, dixit.' Eandem Modesti sententiam attigit Charisius p. 100, 17 v. Compluria. Praeterea ex Modesto nonnulla proponuntur a Charisio p. 58, 10. 'Tus, inquit, a tundendo sine aspiratione dicitur, quamvis Julius Modestus ἀπὸ τοῦ θύεος tractum dicit.' Item huc referenda sunt, quae leguntur p. 78, 3. 'Julius Modestus, inquit, utrumque recte dici ait, sed large esse qualitatis,

---

*) **Ita et Festus v. Inchoare (ed. c. O. Müller p. 107). Inchoare, inquit, videtur ex Graeco originem trahere, quod Hesiodus omnium rerum initium esse dixerit chaos.**

Digitized by Google

largiter quantitatis, unde nascitur largitas aut largitio, nam largitudo nusquam invenitur nisi apud Nepotem.' Eandem Modesti sententiam attigit Charisius p. 183, 27 v. Large. Denique Modesti meminit Charisius p. 80, 13, cum sic ait: 'Gulam, inquit, ut Julius Modestus ait, per u scribemus, non per y, quae Graecis vocabulis necessaria est; ut Afranius ait in Brundusinis, Degulasse oportuit.'

Hi sunt loci, in quibus de rebus grammaticis exponitur. Spectant, ut vides, haec fragmenta partim ad etymorum explicationem, partim ad declinationem nominum, partim ad scripturam et differentiam vocabulorum. Quas quidem res Modestus aut in singularibus libellis tractasse mihi videtur aut in commentariis ad poetas.

Nec praetermittendum est hoc loco Julium Modestum in Horatii carmina commentarium scripsisse. Cuius libri fragmenta iuxta reliquias aliorum Horatii interpretum leguntur in editione Horatii, quae prodiit anno 1555 fol., et in ea, quae a Cruquio in vulgus emissa est (Horatius ex antiqq. XI. libr. Mss. emendatus et c. comment. expurg. opera J. Cruquii. Antv. 1578, 1597 et 1611).

His propositis, iam de studiorum ratione, quam secutus est Julius Modestus, pauca dicam. Modestum grammaticis rebus inquirendis maximeque significationibus et originibus vocabulorum indagandis multum incubuisse ex iis, quae paulo ante legentium oculis obieci, facile apparet. Item poetis recentioribus interpretandis et rebus ad sacra spectantibus explorandis magnam operam navasse videtur. Eundem denique ex more sui seculi in multis libris fabellas varii generis constipasse pro certo haberi potest. Prorsus simili vero studiorum rationi Hyginum deditum fuisse postea demonstrabo.

De vita rebusque Julii Modesti nemo veterum scriptorum aliquid tradidit; ad doctrinam autem huius grammatici alludit Martialis epigr. 10, 21 in his versibus:

'Scribere te, quae vix intelliget ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris.
Judice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur sane: mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, ut sine grammaticis.'

Sed quoniam quae de vita rebusque Julii Hygini, et de Julio Modesto, Hygini liberto, dicenda fuerunt, ordine exposui, nunc de scriptis Julii Hygini, quorum veteres auctores meminerunt, quantum potero, accuratissime exponam.

Primo loco Julius Hyginus scripsit De re rustica sive De agri cultura. Cuius libri fragmenta servarunt Columella 3, 11, 18; 11, 2, 13; 11, 3, 62; Plin. H. N. 13, 24; 16, 43; 18, 26; 19, 5; 21, 9; Charisius Inst. gr. 1, p. 115, 7 ed. Putsch. Hyginum in hoc opere componendo Graecos maxime scriptores secutum esse veri simillimum est. Sane cum Nicandri fragmento consentiunt ea, quae Columella 11, 3, 62 ex Hygino affert.

Digitized by Google

Nec minus quam Graecis etiam Romanis de hac re scriptoribus, Catone, M. Terentio Varrone aliisque, Hyginus usus esse videtur. Ut ait Columella 3, 11, 18, in nonnullis Tremellii auctoritatem secutus erat. Qui quidem nemo alius esse videtur nisi Scrofa Tremellius, qui praetor fuit anno 696 U. c., et ante Varronem libros de re rustica scripserat, in quibus secundum Columellam 1, 1 Magonis libris ex Punico sermone translatis usus erat. — Quantam autem iacturam fecerimus in huius libri Hyginiani interitu, videre licet ex Columella, qui auctoritatem Hygini, quem uno loco (R. R. 1, 1, 13) parentem rusticationis appellat, in multis secutus est. Praeterea, ut iam supra dixi, ex Columella 1, 1, 13 apparere mihi videtur, Vergilium in Georgicis scribendis Hygini opere de re rustica et fortasse etiam libro eius de apibus usum esse. Hoc vero si recte se habeat, coniecturam facere possumus ex hac re de tempore, quo ista Hygini opera scripta sint. Quum enim constet Georgica scribi coepta esse a Vergilio anno 717 U. c. Maecenate flagitante, statuendum est Hygini libros de re rustica et de apibus ante illud tempus vel certe paulo post compositos esse.

Secundo loco scripsit De apibus. Fragmenta huius libri servarunt Columella 9, 11, 5; 9, 13, 3 sq.; 9, 13, 6; 9, 14, 1—18; Plin. H. N. 11, 20; 20, 11. Scio nonnullos scripsisse Hyginum non separato volumine de apibus egisse, sed quae de hac re ediderit, in libro de re rustica proposuisse. Sed ego potissimum Columellae credo, qui libro nono cap. 13 §. 8 Hyginum separatim de apibus fecisse librum prodidit. Apud eundem Columellam plura etiam leguntur, ex quibus indolem huius libri optime cognoscere possumus. Sic lib. 9, cap. 2, §. 1 'Venio, inquit, nunc ad alvorum curam, de quibus neque diligentius quidquam praecipi potest, quam ab Hygino iam dictum est, nec ornatius, quam Vergilio, nec elegantius quam Celso. Hyginus veterum auctorum placita secretis dispersa monumentis industrie collegit: Vergilius poeticis floribus illuminavit: Celsus utriusque modi adhibuit modum *).' Praeterea hoc loco nec ea sunt praetermittenda, quae a Columella 9, 2, 2 proponuntur. 'Atque ea, inquit, quae Hyginus fabulose tradita de originibus apum non intermisit, poeticae magis licentiae quam nostrae fidei concesserim.' Item ad Hyginum referenda videntur ea, quae inde ab his verbis sequuntur usque ad caput tertium. Verba Columellae ipsa posui: 'Nec sane, inquit, rustico dignum est sciscitari, fueritne mulier pulcherrima specie Melissa, quam Juppiter in apem convertit, an, ut Euhemerus poeta dicit, crabronibus

---

*) Pomponius Sabinus, qui ad Verg. Ge. 4, 149 simile de Hygino facit iudicium, hunc Columellae locum ante oculos habuisse videtur. Verba illius ipsa posui: 'Aristoteles, inquit, in libris de Animalibus subtilissime de Apibus scribit; apud Latinos mira brevitate absolvit Varro; Julius Hyginus diligentissime tractavit, non praetermissis etiam quae ad fabulas poetarum pertinent; Cornelius Celsus lepore quodam et elegantia illustravit; Vergilius ornatissime carminibus explicavit; Columella temperatissime scripsit modumque adhibuit.'

Digitized by Google

et sole genitas apes, quas nymphae Phryxonides educaverant, mox Dictaeo specu Jovis exstitisse nutrices, easque pabula munere dei sortitas, quibus ipsae parvum educaverant alumnum. Ista enim, quamvis non dedeceant poetam, summatim tamen et uno tantum versiculo leniter attigit Vergilius, cum sic ait: Dictaeo coeli regem pavere sub antro. Sed nec illud pertinet ad agricolas, quando et in qua regione primum natae sint: utrum in Thessalia sub Aristaeo, an in insula Cea, ut scribit Euhemerus, an Erechthei temporibus in monte Hymetto, ut Euthronius, an Cretae Saturni temporibus, ut Nicander: non magis quam utrum examina, tanquam cetera videmus animalia, concubitu subolem procreent, an heredem generis sui floribus eligant, quod affirmat noster Maro: et utrum evomant liquorem mellis, an alia parte reddant. Haec enim et his similia magis scrutantium rerum naturae latebras, quam rusticorum est inquirere. Studiosis quoque litterarum gratiora sunt ista in otio legentibus, quam negotiosis agricolis, quoniam neque in opere neque in re familiari quidquam iuvant.' Haec Columella. Videtur igitur Hyginus de origine et procreatione apum aliisque de rebus ad apes spectantibus varias narrationes fabulosas et veterum auctorum sententias collegisse. Quo studio ductus magna quidem doctrinae documenta dederat, sed multa proposuerat, quae agrorum cultoribus nihil prodesse poterant. Quodsi praeterea Columella dicit Hyginum secretis veterum auctorum monumentis usum esse, procul dubio in eo hominis doctissimi studiorum rationem cognoscere possumus, nec dissimilis est Hyginus in hac re Alexandro Polyhistori, qui etiam scriptoribus, de quibus nos nihil fere praeter nomen scimus, usus esse dicitur. In nonnullis rebus Hyginum Aristomachi auctoritatem secutum esse Columella 9, 13, 8 memoriae prodidit. Quem Aristomachum non diversum habendum esse puto ab Aristomacho Solensi, qui, ut Plinius ait H. N. 11, 9, duodesexaginta annis nihil fecisse dicitur quam cum Philisco Thasio de apibus scripsisse.

Tertio loco scripsit commentarium in Helvii Cinnae Propempticon Pollionis. Cuius libri nihil superest praeter duo fragmenta apud Charisium lib. 1, p. 108 ed. Putsch v. Iteris, et in eodem libro p. 109 v. Itener. Priore loco Charisius meminit Julii Hygini in Cinnae Propemptico. Quae quidem verba a nonnullis viris doctis male sunt intellecta. Fuerunt enim, qui existimarent Hyginum in eo libro, cuius Charisius l. c. meminit, iter Cinnae perscripsisse. Inter quos est Ioh. a Wower in libro, qui inscribitur De Polymathia, Lipsiae 1665, cap. 13, p. 143. Sed errasse, qui ita censeant, apparet ex iis, quae Charisius v. Itener l. c. litteris mandavit. Vix enim Charisii ista commodum praebere videntur sensum, nisi statuas cum illo loco librum quendam Hygini respicere, in quo Cinnae quoddam carmen interpretatus erat. Accipiendum autem puto illud Suringarii, qui ait l. c. p. 264 Julium Hyginum in Helvii Cinnae Propempticon Pollionis, quod anno 714 U. c. editum esse videtur, commentarium scripsisse.

Digitized by Google

Quarto loco scripsit De vita rebusque illustrium virorum. Cuius operis librum sextum commemorat Gellius N. A. 1, 14 C. Fabricii exemplum abstinentiae commendaturus *). Item ad hunc librum referenda sunt ea, quae a Gellio 7, 1, 2 sqq. ex Julio Hygino aliisque de vita rebusque Africani proponuntur. Ex eodem opere fortasse ea sunt, quae Gellius 3, 4, 1, auctoribus non nominatis, ex libris de vita P. Scipionis Africani memoriae prodidit. Praeterea idem opus respicere videtur Asconius Pedianus, qui ad Cic. or. in Pis. p. 164 ed. Lugd. Bat. 1675, ex L. Higinii libro priore De claris viris nonnulla refert. Quo loco pro L. Higinius scribendum esse Julius Hyginus, iam Vossius De hist. Lat. p. 103 aliique complures dixerunt. — De vita rebusque illustrium virorum ante Hyginum etiam Cornelius Nepos aliique scripserant; ex quibus Hieronymus in prooemio libri De Scriptoribus Ecclesiasticis plures commemorat. Verba illius ipsa ponam: 'De viris illustribus, inquit, scripserunt apud Graecos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus vir doctus, et longe omnium doctissimus Aristoxenus Musicus; apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus et Tranquillus.' Hieronymi temporibus Hygini opus de viris illustribus exstitisse apparere videtur ex Eusebio, ab Hieronymo in Latinum sermonem translato, apud quem in principio Chronici haec legimus: 'Quod et in libro Hygini historiae singulae conscriptae declarant.'

Quinto loco scripsit Exempla, ut Gellius tradit N. A. 10, 18, 7, cum sic ait: 'Exstat nunc quoque Theodectis tragoedia, quae inscribitur Mausolus, in qua eum magis quam in prosa placuisse Hyginus in Exemplis refert.' Quem librum diversum fuisse a libro De vita rebusque illustrium virorum, ex quo idem Gellius, ut paulo antea dixi, plurima memoriae prodidit, mea sententia pro certo haberi potest. Quaenam autem indoles fuerit huius operis, ex Gellii verbis commemoratis non satis apparet. Item nec ex iis, quae apud Gellium 7, 18, 11 et Sosip. Charis. lib. 1 col. 119 ed. Putsch. ex Cornelii Nepotis Exemplis supersunt, certi aliquid de indole et argumento horum librorum statui potest. Melius fieri hoc potest ex iis, quae Plinius H. N. 6, 30 auctoribus non nominatis, ex Exemplorum libris refert; et, ni prorsus fallor, Plinius illo loco ad Hygini opus, de quo diximus, respexit. Quae quidem sententia non parum firmatur eo, quod idem Plinius et aliis locis saepissime Hygini auctoritatem secutus est, etiamsi nomen eius non semper addiderit. Ut supra demonstravi, Plinius Hygini libris De re rustica et De apibus usus est; item, ubi de urbibus Italicis aliisque de rebus agit, Hygini auctoritate in plurimis nititur. — Si autem omnia ea, quae Plinius, Gellius, Charisius ex Exem-

*) **Iohannes Saresberiensis, hoc ipsum Fabricii ex Hygino factum laudans (Polycrat. sive de nugis Curialium 5, 7), Gellium, non vero Hyginum ipsum ante oculos habuit.**

Digitized by Google

plorum libris tradunt, accuratius spectamus, videmus, dicta factaque memorabilia in his libris proposita fuisse. Idem igitur argumentum Cornelius Nepos, Hyginus aliique complures in Exemplorum libris tractasse videntur, quod in Aeliani et Valerii Maximi operibus servatis tractatum videmus. Similia etiam persecuti esse videntur Varro in Admirandis et Alexander Polyhistor in libro, qui inscriptus erat *Θαυμασίων συναγωγή*.

Sexto loco scripsit De proprietatibus deorum. Cuius libri superest fragmentum in Macrobii Sat. 2, 8 p. 433 ed. Zeune.

Septimo loco scripsit De diis Penatibus, ut Macrobius refert in Sat. 3, 4.

Octavo loco scripsit De urbibus Italicis. Ad hunc librum referenda videntur ea, quae leguntur apud Servium ad Aen. 1, 277 et 530; 3, 553; 7, 412; 8, 597, 600 et 638, et in Macrobii Sat. 1, 7 et 5, 18. Servius in nonnullis locis se usum esse ait Hygini libro de situ urbium Italicarum (ad Aen. 3, 553), et alibi Hyginum de origine urbium Italicarum in partes vocat (ad Aen. 8, 638); probabile tamen mihi esse videtur eum hisce verbis illud Hygini volumen respicere, quod inscriptum erat De urbibus Italicis. Cuius Servius ipse meminit ad Aen. 7, 412; 8, 597; item huius libri mentionem iniicit ad Aen. 7, 687, cum sic ait: 'De civitatibus totius orbis multi quidem ex parte scripserunt; ad plenum tamen Ptolemaeus Graece, Latine Plinius; de Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in Originibus?' Idem Hygini opus etiam Macrobius innuere videtur, qui in Sat. 5, 18 Julii Hygini librum secundum urbium commemorat. — Ex auctoribus, quorum auctoritatem Hyginus in hoc libro componendo secutus erat, a Macrobio Sat. 1, 7 commemoratur Protarchus Trallianus. Praeterea eum usum esse puto Alexandri Polyhistoris opere, quod inscriptum erat *Ἰταλικὰ ἀπομνημονεύματα*, et Catonis Originibus, quorum liber secundus et tertius, ut Cornelius Nepos refert in Catone cap. 3, continebat, unde quaeque civitas orta esset in Italia. Quemadmodum vero in Alexandri Polyhistoris opere, cuius paulo ante memini, multa fabulosa, inprimis de origine urbium et populorum, tradita fuisse videntur, sic etiam de Hygini libro de Italicis urbibus summo iure statui hoc potest. Ambo enim viri non abhorruerunt a perverso illo studio (cui omnino doctissimos, et Romanos et Graecos, qui de rebus Romanis scripserint, incubuisse scimus), quo ducti Romanorum instituta, ritus sacros, historias et mythos ad Graecos referre atque ex Graecorum moribus et opinionibus illustrare solebant; qua quidem re, sicuti etiam ineptis ac pravis etymologiis effectum est, ut mythi et historiae Latinae miro modo corrumperentur. Hyginum in nominibus urbium et populorum explicandis non semper felicem fuisse ex Servii commentariis facile potest demonstrari. Sic affirmaverat Sabinos a Lacedaemoniis originem ducere, a Sabo quodam, qui antiquissimis temporibus Italiam veniens Sabinorum regiones tenuerit (Serv. ad Aen. 8, 638). Ardeam, Rutulorum urbem, ab augurio avis ardeae dictam censebat

Digitized by Google

(Serv. ad. Aen. 7, 412). Nec minus absurda sunt, quae de nomine urbis Caere scripsit (Serv. ad. Aen. 8, 597). Prorsus similia vero ab Alexandro Polyhistore, quem exemplo sibi proposuerat Hyginus, prolata esse plurimis exemplis probari potest. Referenda huc sunt praeter alia ea, quae in Steph. Byz. v. *Δαίδαλα, Ἰουδαία, Μαρσύα, Μητρόπολις, Τάρσος* leguntur. Nec Alexandro illi cedebant inventionibus et lusibus etymologicis Hygini amici, Ovidius et Julius Modestus. — Praeter Servium et Macrobium Hygini opere, de quo diximus, etiam Plinius in Hist. Nat. usus esse videtur. Quod iam Niebuhrio venerat in mentem, qui in libro, qui inscribitur Römische Geschichte P. 1, p. 13 haecce litteris mandavit: 'Ovidius Altersgenoss und Freund Julius Hyginus schrieb über die Gründung der italischen Städte ohne Kritik, und auf sehr junge griechische Schriftsteller bauend, die gar keiner Berücksichtigung werth gewesen wären. Dennoch ist er von den Grammatikern viel gebraucht worden, und schon von Plinius: in dessen Beschreibung Italiens mehreres aus dieser trüben Quelle geflossen ist.'

Nono loco scripsit De familiis Troianis. Meminit huius libri Servius ad Aen. 5, 389 dicens: 'sane sciendum hunc (Entellum) secundum Hyginum, qui de familiis Troianis scripsit, unum Troianorum fuisse; de quo Vergilius mutuat historiam.' Veri simile mihi esse videtur Julium Hyginum quum aliis nobilibus gentibus tum inprimis Juliae genti, quacum arte coniunctus erat, eo sese commendare voluisse, quod originem earum a familiis Troianis repetendam esse in hoc libro demonstraverat. Gens Julia, ut constat, valde gloriabatur se originem ducere ab Iulo, Aeneae filio; maximeque Atia, Augusti mater, hac re se iactasse dicitur. Simile argumentum Hyginus etiam in aliis libris persecutus esse videtur, ut in eo volumine, quod De vita rebusque illustrium virorum scripsisse dicitur. De quibus rebus complures apud Romanos iam ante Hyginum scripserant. Ut Servius ait ad Aen. 5, 704, etiam Varro de familiis Troianis scripserat et, ni fallor, Hyginus auctoritatem eius in multis secutus erat. — De tempore autem, quo Hyginus librum istum scripserit, certiores facti sumus a Servio, qui ad Aen. 5, 389 indicavit Vergilium in Aeneide scribenda, ubi de familiis Troianis loqueretur, in nonnullis Hygini auctoritatem secutum esse. Hoc vero si pro certo haberi potest, sumere etiam possumus Hygini librum, de quo diximus, ante annum 735 U. c., quo Vergilius moriens Aeneidem imperfectam Plotio Tuccae et L. Vario, ut emendarent eam ederentque, tradidisse dicitur, scriptum fuisse.

Decimo loco scripsit commentarios in Vergilium. Ex quo libro nonnulla refert Gellius N. A. 1, 21, 1 sqq. Eundem librum Gellius et aliis respicere videtur locis, in quibus Hygini de Vergilianis versibus sententias proponit, ut N. A. 5, 8; 6, 6; 10, 16. Item ad hunc librum referenda sunt ea, quae apud eundem leguntur lib. 16 cap. 6. Nam si Gellius hoc loco dicit: 'Hyginus Julius in quarto librorum, quos de Vergilio fecit', hoc idem

Digitized by Google

videri debet, quasi dixisset: Hyginus Julius in commentariis ad Verg. Aen. lib. 4. Locus enim, quem respexerat Hyginus, est in Aeneide 4, 57. Prorsus simili modo in Graecis scriptoribus legimus τὰ περὶ Ὁμήρου, τὰ περὶ Ἀλκαίου aliaque id genus, ubi commentarios in illos poetas significare volunt. Praeter Gellium autem etiam Pomponius Sabinus, Servius, Macrobius nonnulla afferunt, quae ex hoc Hygini libro sunt. Servius commentariorum Hygini nusquam meminit; plura tamen in eo latere, quae ex hoc Julii Hygini libro sunt, affirmo atque persevero. Non male ad hunc librum referas, quae a Servio ad Aen. 2, 15; 7, 47 et 12, 120 ex Hygino proponuntur. Praeterea multis aliis locis Servius Hygini opiniones attigit, nomine eius non nominato, ut ad Ge. 2, 246 (cf. Gell. 1, 21, 1 sqq.) et ad Aen. 6, 359 (cf. Gell. 10, 16, 1 sqq.). Macrobium Hygini de Vergilio librum ante oculos habuisse vix crediderim. Is enim Sat. 6, 8 Avieno cuidam tribuit, quae Gellius N. A. 5, 8 ex Hygino memoriae prodidit. Quae quidem res ita fortasse explicanda est, ut statuamus Avienum grammaticum, cuius etiam Servius meminit ad Aen. 10, 272 et 388, in Vergilii illo loco, qui in Aen. 7, 187 reperitur, explicando Hygini sententiam secutum esse eiusque causas ad verba in libro suo proposuisse. Praeterea ex eodem Avieno vel ex Gellio 16, 6, 14 ea sunt, quae Macrobius Sat. 6, 9 ex quinto librorum Hygini de Vergilio litteris mandavit. In quibus verbis pro quinto scribendum esse quarto ex iis, quae paulo antea diximus, dilucide apparet. Gellii temporibus hunc librum Hygini exstitisse videmus ex iis, quae apud eundem N. A. 1, 21, 4 leguntur. — Scripsisse autem videtur Hyginus commentarium, de quo diximus, non ita multo post mortuum Vergilium, et usus erat, ut Gellius refert 1, 21, 2, libro quodam, qui erat ex domo atque familia poetae. In quo quidem libro carmina Vergilii sine dubio emendatiora legebantur, quam in aliis, quae illo tempore exstabant, exemplaribus (cf. Gell. 1, 21, 2; Serv. ad. Aen. 12, 120).

Haec sunt scripta, quae, ut ego arbitror, sine dubio Julio Hygino, Augusti liberto, tribuenda sunt. Sed praeter hos libros etiam multos alios, quorum ne inscriptiones quidem ad nos pervenerunt, scripsisse mihi videtur, maxime propterea, quod summa industria imitatus est Alexandrum Polyhistorem, qui, ut Suidas refert loco, quem supra posui, βιβλία ἀριθμοῦ κρείττω edidisse dicitur. Immo, ni fallor, complures etiam libros in usum iuventutis conscripsit. Cui quidem sententiae sane illud favet, quod, ut Suetonius indicat de ill. gramm. cp. 20, discipulorum institutione nactus est magnam nominis famam atque laudem. Ad librum Julii Hygini etiam Paulinus Nolanus (ed. Muratori, Veronae 1736, p. 706) in carmine quodam respicere mihi videtur.

Mirandum autem est, quam varia eruditionis genera Julius Hyginus scribendo attigerit. Non solum enim rebus ad grammaticam, geographiam, historiam, mythologiam pertinentibus operam navabat maximam, sed etiam astronomiam (Macrob. Sat. 2, 8), historiam naturalem, rem rusticam in studiorum suorum cir-

Digitized by Google

cuitum ascivit et in libris suis magna doctrinae copia pertractavit. Nec a iure pontificio alienum eum fuisse patet ex Gell. 16, 6, 14; Macrob. 6, 9. Quare, ni fallor, iuxta M. Varronem et P. Nigidium Figulum doctissimus apud Romanos habendus est.

Magnam vero laudem scriptis eius ab aequalibus et posteris tributam esse, omissis veterum testimoniis, iam id probat, quod Avienus, Verrius Flaccus, Asconius Pedianus, Columella aliique, qui non ita multo post Hyginum libros ediderunt, Hygini non solum saepius meminerunt, sed etiam plurima ex eius doctrinae monumentis exscripsisse videntur. Item apud posterioris temporis scriptores, id est Plinium maiorem, Gellium, Servium, Macrobium, Hieronymum, Nonium Marcellum aliosque Hyginum non raro laudatum videmus.

Scribendi genus huius grammatici ab usu optimorum scriptorum in nonnullis recessisse iam ex eo potest concludi, quod Graecos auctores, maximeque Alexandrum Polyhistorem, grammaticum Graecum, imitatus est; item ex eo, quod, ut Suetonius affirmat, natione fuit Hispanus. Sane etiam in iis, quae Gellius aliique, quos supra nominavimus, scriptores ex Julio Hygino servarunt, plura sunt, quae a vulgari Latinitate recedunt. Quae tamen omnia minime sunt reiicienda, quoniam magnam partem, ut postea demonstrabo, etiam in Varronis, Manilii aliorumque reliquiis occurrunt. Omnino tenendum est Julium Hyginum sententiarum perspicuitate, Graecae ac Latinae linguae eximia peritia, sermonis elegantia rerumque, quas persecutus est, iusta brevitate excelluisse. Concisae dictionis exemplum insigne habes in iis, quae Gellius 16, 6 ex Hygino litteris mandavit. Quae bidens, inquit, est hostia, oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per quos appareat ex minore aetate in maiorem transscendisse.'

Ceterum fragmenta, quae ex libris Julii Hygini, quos supra enumeravimus, ad nostram aetatem pervenerunt, adhuc non maiore cura collecta et comparata esse, eo magis mirandum est, quum controversia illa hominum doctorum de libris, qui vulgo huius grammatici esse dicuntur, ne nostro quidem tempore diiudicata sit; nam multos etiam nunc dubitare scio, utrum omnino in illis Fabularum et Astronomicon libris Hygini aliquid insit, quod liberto Augusti adscribendum sit, necne. De his libris nunc foret dicendum. Sed ne moles huius voluminis nimium augeatur, et ne pro praefatione librum scribere velle videar, omnia ea, quae de Astronomicon libris Hygini dicenda essent, alio tempore persequar, et hoc loco tantummodo de Fabulis, quas dicunt, quid sentiam, exponam.

Hygini liber, qui Fabulae sive Fabularum liber inscribi solet, etsi valde corruptus et mutilatus ad nos pervenerit, tamen multas res continet, quibus commendari possit. Inest in eo magnus numerus mythorum, qui a poetis maxime frequentati erant, et multa, quae in poetis Graecis et Latinis obscura sunt nec facile intelligenda, ex hoc volumine bene possunt intelligi

Digitized by Google

et explicari. Insunt etiam multa veterum carminum, maximeque dramatum, quae nunc non exstant, argumenta; id quod cum Reinesio (Var. Lect. p. 372) aliisque contra Lessingium (Hamburg. Dramaturg. 1, p. 313) confidenter affirmo. Auctorem in plurimis poetas ante oculos habuisse, facile potest demonstrari. Non tamen omnia ex poetis sunt, sed multa etiam ex auctoribus, qui soluta oratione scripserunt, proponuntur; quorum etiam nomina Hyginus interdum apponit.

Quam rationem auctor secutus sit in his rebus exponendis, propter turbatum historiarum ordinem difficile est dictu. Inveniuntur tamen nonnulla indicia, quibus probabile fit, eum plurima composuisse ad eundem fere modum, quem Apollodorus in Bibliotheca secutus est. Nostris temporibus initio huius operis leguntur nonnulla fragmenta Theogoniae, in quibus, ut in commentario demonstrabo, Hyginus praeter alios complures Hesiodi maxime auctoritatem secutus est. Post haec Theogoniae fragmenta sequuntur narrationes de Aeoli stirpe eiusque fatis. Facile tamen apparet, ante has narrationes plurima excidisse et, ni prorsus fallor coniectura, praeter alia, quae nunc non exstant, huc referenda sunt ea, quae vulgo cap. 138—184 leguntur. In his enim historiis de ortu Jovis, de Pythone dracone, de Inacho rege, de Prometheo, de Titanomachia, de cataclysmo aliisque de rebus exponitur, quae ex natura rei et ex usu scriptorum statim initio operis erant absolvenda. Praeterea huic sententiae etiam illud favet, quod cap. 184 eiusdem Meropes mentio fit, de qua nonnulla legimus cap. 137; item illud, quod quae de Libero patre cap. 184 proposita sunt, cohaerere videntur cum iis, quae cap. 129 sqq. leguntur. Fortasse plicatura codicum antiquis temporibus factum est, ut, quae post Theogoniam posita erant, nunc abrupta in fine fere totius operis inveniantur. Sed ad propositum revertamur. Praeter Aeoli stirpem persecutus est Hyginus expeditionem et fata Argonautarum (cap. 12—27); in quibus rebus exponendis Apollonii Rhodii aliorumque auctoritatem secutus est. Deinde exponuntur Herculis vita, res gestae, mores (cap. 29—36), fabulae Atticae et Creticae (cap. 37—48), res Thebanae (cap. 66—76), mythi et historiae de bello Troiano, errores ducum Troia capta domum redeuntium. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Praeterea et alia inveniuntur, quae cum iis, de quibus paulo antea dixi, primo aspectu parum cohaerere videntur. Immo in fine operis nonnulla leguntur, quae a Julio Hygino aliisque in Exemplorum libris, de quibus supra dixi, tractata esse mihi videntur. Huc referenda puto ea, quae cap. 221—257 et cap. 264—277 proponuntur. Quae tamen omnia non prorsus aliena sunt a consilio huius operis.

Multo pleniorem olim fuisse hunc librum, pro certo haberi potest. Item veri simile est, hoc opus in usum iuventutis esse scriptum et in plurimos libros olim divisum. Antiquis temporibus fortasse in priore huius operis parte continebantur mythi e cosmogoniis et theogoniis profecti. Altera pars, ni fallor,

continebat narrationes de heroibus sive de auctorum stirpis Hellenicae fatis rebusque gestis. Tum sequebantur metamorphoses, exempla, τὰ κατὰ πόλεις μυθικά, aliaque id genus. Haec omnia Hyginus ex optimis veterum auctorum monumentis collegisse et lucido ordine disposuisse videtur.

Sed iam antiquissimis temporibus fuerunt homines, qui Hygini narrationes et historias exscribebant, vel praelegendo in scholis ita mutabant, ut nostris temporibus vix speciem prioris formae prae se ferant. Fecit id praeter alios complures Dositheus magister. Is in eo libro, qui Ἑρμηνεύματα sive Interpretamina inscriptus erat, plures Hygini historias aliaque, quae digna censebat, in usum puerorum excerpsit et in Graecum sermonem transtulit. Ut ipse ait in praefatione excerptis Hyginianis*) praemissa, Apro et Maximo Coss., id est anno 207 p. Chr. Hygini Genealogiae partem descripserat. Quibus quidem verbis nullum aliud opus respicere videtur, nisi id quod nostris temporibus Fabulae sive Fabularum liber inscribi solet. Item ex eadem praefatione apparet, epitomen illam Hyginianam a Dositheo in plures libros esse divisam. Quorum liber primus continebat narrationes de diis et deabus, alter interpretationes nominum deorum et dearum. Praeter haec etiam alia excerpsisse videtur, quae tamen propter paucitatem fragmentorum in ordinem redigi non possunt. Addiderat etiam imagines, quibus signa coelestia aliaque expressa esse videntur. Nostris temporibus ex hoc libello praeter inscriptiones historiarum numero XXVIII supersunt catalogus Musarum, nomina deorum et dearum XII, nomina dierum hebdomadis et signorum coelestium, denique tres narrationes et fragmentum historiae de Tantalo. Haec omnia magister ille Graece et Latine perscripsisse videtur. Sciendum tamen, has res in codice, ex quo editae sunt, adeo corruptas legi, ut vix unum alterumve verbum recte scriptum sit. Immo quae Latino sermone addita sunt, barbarismis adeo sunt referta, ut monachorum potius quam grammatistae saeculi tertii esse videantur. Quod attinet ad inscriptiones historiarum XXVIII, quas Dositheus olim in epitomen redegerat, notandum, diversas has esse ab iis, quas Micyllus ex codice Hygini Frisingensi in vulgus edidit. Nihilominus tamen ex plurimis earum videre possumus, quas narrationes Hygini Dositheus olim excerpserit. Omissis inscriptionibus Graecis Latinas hoc loco ponam, simulque locos Hygini, ubi fieri id potest, adscribam. Sunt hae: De Prometheo**) (Hyg. cap. 144), de Venere et Marte (Hyg. cap. 148), de Minerva et Neptuno (Hyg. cap. 164),

---

*) Fragmenta Dosithei Hyginiana ediderunt et illustraverunt van Staveren in Miscell. Observ., Vol. 9 p. 413 sqq.; Valckenaer in iisdem Miscell., Vol. 10 p. 108 sqq., et in Opusc. Tom. 1 p. 237 sqq. Nonnulla de hac re scripserunt nostris temporibus E. Böcking, Corp. iur. Rom. Anteiustinianei, Bonnae 1835, p. 194 sqq.; Bernhardy, Eratosthen. p. 132.

**) Notandum, etiam Mythographum Vaticanum, quem A. Mai Romae nuper edidit, incipere a fabulis De Prometheo et De Minerva et Neptuno.

Digitized by Google

de Actaeone (Hyg. cap. 180), de Daedalo (Hyg. cap. 39), de Apolline et Cassandra (Hyg. cap. 93), de Tantalo (Hyg. cap. 82), de Philyra (Hyg. cap. 138), de Ulixe *) (Hyg. cap. 141), de hominum factura (Hyg. cap. 142), de cataclysmo (Hyg. cap. 153), de Pentheo (Hyg. cap. 184), de draconibus (?), de Jove et Junone (Hyg. cap. 75), de Ixione (Hyg. cap. 62), de Medea (Hyg. cap. 25?), de Aeolo (?), de Melanippe (Hyg. cap. 186), de Leda (Hyg. cap. 77), de Alcyone (Hyg. cap. 65), de Anchise (Hyg. cap. 94), de Jovis nutritu (?), de Marsya (Hyg. cap. 165), de Minotauro (Hyg. cap. 40?), de Jove (?), de armorum iudicio (Hyg. cap. 107), de Argo (?), de artium inventione (Hyg. cap. 274). Haec hactenus. Pro certo igitur haberi potest, mea sententia, Dositheum ea, quae nunc apud Hyginum cap. 138, 141, 142, 144, 148, 153, 164, 165, 180, item cap. 39, 62, 65, 75, 77, 82, 93, 94, 107, et cap. 184, 186 et 274 leguntur, excerpsisse, et in usum suum convertisse. Quae praeterea a Dositheo ex Hygino proponuntur de Musis, earumque progenie et inventionibus, nunc quidem in Hygini libro non comparent; ni fallor autem haec ex illo loco sunt Theogoniae, quo nostris temporibus haece reperiuntur (cf. infra p. 30, 14): 'Ex Jove et Moneta Musae.' Praeterea notandum, Dositheum in nominativo dixisse Jovis pro Juppiter. Ita enim ille in eo loco, quo nomina deorum XII enumerat: Ζεύς, Jovis)**. Idem dicendi genus etiam apud Hyginum in nonnullis locis reperitur (de qua re vid. Ind. nostr. s. v.); cui tamen talia minime tribuerim. Item in enumerandis nominibus duodecim signorum Zodiaci nonnulla a Dositheo proposita sunt, quae etiam in Hygini Fabulis et Astronomicon libris leguntur. Ultimo loco apud Dositheum sequuntur tres narrationes, quae inscriptae sunt De Prometheo (cf. Hyg. cap. 144), de Philyra (Hyg. cap. 138), de Ulixe, quemadmodum potuerit Sirenas transire (Hyg. cap. 141) et fragmentum historiae de Tantalo (Hyg. cap. 82). De quibus Valckenaer l. c. plenissime scripsit. Haec de fragmentis Dosithei sufficiant. Ad emendandas Hygini reliquias illa Dosithei parum auxilii afferunt, magni tamen aestimanda sunt, quoniam dilucide ex iis apparet, quomodo fieri potuerit, ut Hygini liber tam corruptus ad nostram aetatem pervenerit. Item ex iis, quae Dositheus prodidit, pro certo haberi potest, hunc librum in priore forma inscriptum fuisse Genealogiae. Fabularum titulum Micyllus ex arbitrio apposuit; nam Ms. liber, quo usus est ille vir doctus, simpliciter inscriptus erat Hyginus. Genealogiarum autem meminit etiam Hyginus Astr. 2, 12, cum sic ait: 'Sed ut ait Aeschylus, tragoediarum scriptor in Phorcis (leg. Phorcisi) Graeae fuerunt Gorgonum custodes; de quo in primo libro Genealogiarum scripsimus.' Quae quidem nostris temporibus, ut iam multi dixerunt,

*) Non plenum hoc est. Scribendum erat, ut ex iis apparet, quae apud Dositheum in sequentibus leguntur, De Ulixe, quemadmodum potuerit Sirenas transire.

**) Item in glossario Dosithei Gr. Lat. haec legimus Ζεὺς βροντῶν, Jovis tonans.

in Hygini Fabulis non comparent; ni fallor autem haec referenda sunt ad illa, quae in Theogonia Hygini legimus (cf. infra p. 29, 6): Ex Phorco et Ceto Phorcides etc.

De auctore Fabularum, quae Hygini nomen prae se ferunt, variae sunt et discrepantes doctissimorum virorum sententiae. Micyllus, qui primus hunc librum in vulgus emisit, putat esse potius Genealogiarum (quarum, ut iam antea dixi, meminit Hyg. Astr. 2, 12) fragmentum, aut epitomen, a studioso aliquo ex Hygini libris excerptam et abbreviatam. Reinesius, Hyginomastix, hunc librum centonem esse affirmat e variis auctoribus constipatum (Var. Lect. p. 373 et 480). Alii, Casp. Barthii auctoritatem secuti, epitomen hunc librum esse dicunt ex Hygino aliisque confectam ab Aviano quodam vel Avieno, cuius nomen Barthius in membrana ait sese repperisse*). Alii, praeeunte Joh. Scheffero, has fabulas Hygini quidem esse putant, non vero antiqui illius grammatici, sed alterius, qui Antoninorum tempore vixerit. Item Staverenus in praef. ad Hyg. Fab. auctorem huius libri non modo non cum antiquo illo Hygino confundendum putat, sed nec antiqui illius grammatici epitomatorem esse appellandum. Prorsus contrarium nos docet G. Bernhardy in Eratosthenicis p. 131. 'Fundamenta' inquit 'Fabularum quae dicuntur Hyginum Augusti aequalem iecisse manifestum est, paullatim vehementissime permixtas et interpolatas fuisse, vel indiligens earum usus admonet.' Denique A. Mai in praef. ad Mythographos Vaticanos de Hýgino haece proposuit: 'de cuius opere sic demum videtur recte statui, ut epitoma quaedam ex ampliore ac vetustiore mythographo, primis aevi christiani saeculis consarcinata, et Hygini nomine decorata, ad nos pervenerit.'

Quae quum ita sint, de hoc scriptore ipse quid sentiam, ut breviter indicem, videtur esse necessarium. Ut ego arbitror, hic liber epitome est ex libris quibusdam Julii Hygini ab homine aliquo non prorsus indocto primis aevi christiani saeculis composita; cui tempore procedente a librariis pauca sunt adspersa. Causae vero, cur Julio potius Hygino quam aliis auctoribus plurima, quae in hoc libro insunt, tribuerim, hae sunt:

Primum res et historiae ipsae, quae ab hoc scriptore proponuntur, grammaticum antiquissimum et minime indoctum produnt. Praeter Hyginum autem Julium nemo huius nominis apud veteres scriptores in grammaticorum numerum refertur.

---

*) Barthius ipse parum sibi constat in hac re. In Adv. 4, 2, p. 156 haec profert: Est autem similis sibi hic scriptor, licet minime unius auctoris liber sit, sed Epitoma ex Higino et aliis contracta. Alio loco (Adv. 10, 12 p. 481) haec scribit: Eum Higini nomine prostantem librum ego Rhapsodiam ex omnibus hinc inde latinorum Mythologorum libris concinnatam esse arbitror. Et lib. 23, cap. 26 p. 1335, ubi exponit de auctore, qui Ovidianas Metamorphoses in epitomen redegit prosa oratione, quemque vulgo Lactantium Placidum vel Luctatium appellant, haec annotavit: Stilus vero simillimus est earum fabularum, quae vulgo Higino adscribuntur, sed utique in compendium a nescio quo redactae sunt, et fortasse ab eodem hoc scriptore, qui Epitomas concinnare assueverat.

Digitized by Google

Deinde quae in his Fabularum sive Genealogiarum reliquiis proponuntur, omnino non aliena sunt a studiorum ratione Julii Hygini. Ut enim supra ostendimus, idem etiam in aliis libris genealogias et stemmata nobilium familiarum proposuerat.

Tum auctor huius libri in omnibus, quas persecutus est, rebus optimis auctoribus usus est, et nemo scriptorum, quorum auctoritatem sequitur, aevo Augusteo inferior est.

Praeterea in etymologiis statuendis hic scriptor eandem rationem secutus est, quam Alexander Polyhistor, Julius Hyginus, Julius Modestus sequebantur. Sic Boeotiam a bove dictam ait, quam secutus erat Cadmus (cap. 178), et alio loco, ubi alios auctores sequitur (cap. 186) a Boeoto, Neptuni et Melanippes filio. Item Priamum dictum refert *ἀπὸ τοῦ πρίασθαι*, cap. 89; Orionem ab urina, cap. 195; bellum a Belo, Neptuni filio, cap. 274; Zethum, Antiopae, Nyctei filiae, filium *ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον*, aliaque id genus.

Denique etiam scribendi genus, quod in hoc libro comparet, in plurimis non recedere mihi videtur a stilo optimorum scriptorum, maximeque Julii Hygini. Quod nunc accuratius est demonstrandum. Primo loco in hoc libello inveniuntur multae voces rariores, quarum magna pars ex Graeco sermone originem trahit. Quarum in numerum referendae sunt: acropodium, cap. 88; Alcumena, c. 29; apiacius, c. 74; Asclepius, c. 14, 202, 224, 251, 274; athlum, c. 30; atrotus, c. 28; cataclysmus, c. 153; cetus, c. 64; commeletari, c. 165; compastor, c. 187; exenterare, c. 30; lebes, c. 274; lytrum, c. 106; mantis, c. 190; melos, c. 274; mnester, c. 126; monocrepis, c. 12; parergon, c. 31; petra, c. 19, 21, 36, 89, 116, 169; philtrum, c. 34; silanus, c. 169; stramentari, c. 14; sybotes, c. 126; velificare, c. 277; zelus, c. 199. Talia autem et similia in optimis scriptoribus eorumque fragmentis reperiuntur. Sane sybotes legitur etiam in Manilii Astr. 5, 126 ex certissima Scaligeri emendatione. Voce petra praeter Ennium, Senecam, Plinium usus est etiam Julius Hyginus in commentariis in Vergilium (Gell. 10, 16, 13). — Secundo loco auctor huius libri non solum Graeca narrationibus suis immiscuit, sed etiam Graecorum dicendi genus in multis imitatus est. Sic cap. 10: nam quos annos Chloridis fratrum Apollo eripuerat, Nestori concessit (ita enim sine dubio est legendum). Item figura Graeca est, si dicit cap. 124 Agamemnon Atrei, cap. 173 Aesculapius Apollinis; de qua re Serv. ad Aen. 1, 41. Item huc referenda sunt, quae leguntur cap. 190: qui naufragio in terram Cariam venit, et cap. 164: qui primus oppidum in terra Attica conderet. Talia vero a Julio Hygino aliisque, qui Graecos auctores imitati sunt, proposita esse, per se veri simile est et veterum auctorum libris probari potest. Sic Julius Hyginus apud Gell. 10, 16, 4: ex terra Phocide, et Julius Modestus apud Gell. 3, 9: in terra Graecia. — Tertio loco auctor huius libri in rebus explicandis et enumerandis saepissime usus est formula id est; quae inter propria et peculiaria doctorum grammaticorum referenda est. Eadem formula utitur Julius Hyginus apud Gell. 10, 16, 17. —

Digitized by Google

Quarto loco amat auctor harum fabularum terminationes Graecas in nominibus Graecis. Sic p. 25, 6 Scamandrus, Maeandrus cp. 277 Euandrus. Atque ita quoque Vergilius, Ovidius aliique dixerunt — Quinto loco commemorandus est usus praepositionum. Praepositione de peculiari modo utitur Hyginus cap. 22 (de fano sustulit pellem); cap. 79 (de fano Helenam rapuerunt), cap. 86, 88, 136, 261, 274 et multis aliis locis. Sic etiam Julius Hyginus apud Gell. 10, 16, 16, (de Epiro in Italiam transgressus), et apud Serv. ad Aen. 8, 638; item Julius Modestus apud Gell. 3, 9. Atque idem dicendi genus etiam in Mythographo Vaticano I, Scholiaste Germanici, Lactantio Placido, qui Hygini libros compilarunt, reperitur. Praeterea peculiaris est usus praepositionis ad, cap. 260 (licet secundum Catonem ad Italiam venerit; cf. Serv. ad Aen. 1, 569). Ita Servius quoque l. c. et multis aliis locis, ut ad Aen. 1, 2; 7, 207; ad Ge. 3, 152. Nec praetermittendum est hoc loco, Julium Hyginum praepositione per nonnunquam ita esse usum, ut ab aliis scriptoribus valde discedat. Referenda huc sunt, quae ex eodem memoriae prodidit Gellius 10, 16, 15 (per eosdem homines bellatum est) et 16, 6, 15 (per quos appareat). Similia autem etiam in Fabulis Hygini, quas dicunt, leguntur. Sic cap. 8 per bacchationem Liberi; cap. 94. Quod Anchises inter sodales per vinum est elocutus; cap. 125 Cui Elpenor respondit, se ebrium per scalam cecidisse; cap. 138 Saturnus Jovem cum quaereret per terras; cp. 139 coepit Jovem quaerere per terras.

Quae quum ita sint, fragmenta Julii Hygini in hoc libro inesse, affirmo atque persevero. Sin autem inveniuntur, quae minus Latina esse videantur, haec, mea sententia, non Hygino, sed potius hominibus, qui librum eius descripserunt vel excerpserunt, tribuenda sunt.

Nunc de codicibus et editionibus erit dicendun. Librum Ms. huius operis nonnisi tres viri habuisse videntur, id est Micyllus, Casp. Barthius, Berkelius. Jacobus Micyllus, qui primus hunc librum edidit Basileae 1535 fol., usus est codice, qui erat ex bibliotheca Frisingensi; de quo nonnulla relata legimus cum in praefatione Micylli tum in annotationibus, quas idem vir doctus Hygini Fabulis apposuit. Is liber Micylli, ut iam antea dixi, inscriptus erat Hyginus. Praeter hunc autem librum, qui externis et Longobardicis notis scriptus esse dicitur, Micyllus, ut ipse ait in praefatione commemorata, principio ceu filum quoddam secutus est exemplum alicuius, qui prior illum latine describendum coeperat. Quid tamen cuique debuerit, aut quae utriusque libri esset auctoritas, ex more sui saeculi non adscripsit. Item nec de tempore, quo liber ille Frisingensis scriptus videatur, certi aliquid litteris mandavit. Bonis autem codicibus iste liber minime potest adnumerari. Multa enim erant in eodem oblitterata, expuncta atque corrosa. Praeterea in nonnullis locis erasa quaedam erant, et alia a seriore manu superinducta. Denique plurima erant omissa. Micyllum autem non omnia sic edidisse,

ut in Ms. invenerat, pro certo haberi potest. Ipse fatetur, se partim ex aliis auctoribus, partim ex coniectura multa immutasse.

Post Micylli autem tempora nemo eorum, qui Hygini Fabulas ediderunt, libros Mss. ante oculos habuit. Quare textus Fabularum, quem dicunt, etiam nostris temporibus Micylli libro, de quo diximus, nititur. Nonnulla quidem ex codicibus in vulgus ediderunt Barthius et Berkelius, sed horum libris parum fidei esse tribuendum, facile apparet.

Quae Casp. Barthius in Adversariorum libris, in quibus plurimos Hygini locos emendare vel illustrare conatus est, de codice suo in transitu memoriae tradidit, haec sunt. Continebat hic liber, ut Barthius ait 4, 2 p. 156 l. c., non omnia, quae vulgo in Hygini libro leguntur, sed nonnisi eas fabulas, quae a capite LXIII, ut hodie distinguitur, incipiunt. Alio loco (Adv. 6, 22 p. 294), ubi de codicibus loquitur, quos olim Tiguri in Helvetia emerat, haec intulit: 'In uno tamen eorum Higini fabularum partem inveni, ut captum videas, Aviani aut Aniani nomine praescripto.' Et alio loco (Adv. 10, 20 p. 494): 'Cum ultimo loco superioribus libris Higini fabulas illustrassem, memini me Aviani velut earum contractoris meminisse; id ne ex meo cerebro natum quis arbitretur, norit in fine perveterum membranarum, quae in nostram potestatem venerunt, ita scriptum calamo exstare: 'Explicit feliciter Avianus de Fabulis Poetarum et Hesiodi.' Nec omittenda sunt, quae Barthius de fine huius libri scribit in Adv. 11, 9 p. 526. 'In Higini' inquit 'fabularum capitibus telam detexemus, quoniam orsi sumus, etsi liber nos non multum deinceps adiuturus est, qui post ducentesimum caput meras quisquilias habet, minime iis verbis conceptas, quae vulgo exstant.' Praeterea Barthius compluribus aliis locis indicavit, librum illum fuisse lacunosum, lacerum, situ disperditum, vermibus exesum.

Fuerunt, qui existimarent, Barthium nunquam codicem Ms. Fabularum Hygini ante oculos habuisse. Nos fidem eius in hac re impugnare nolumus, fatemur tamen, nonnulla ab eodem esse proposita, quae coniecturas potius quam scripturam codicis sapere nobis videantur. Item concedendum est nobis, plura a Barthio ex membrana proferri, quae Hygini dicendi generi prorsus repugnant.

De Berkelii libro Munckerus in praefatione ad Hygini Fabulas haece litteris mandavit: 'Scriptum fabularum Hygini codicem in his oris non audivi ullum esse, nisi penes cl. Berkelium, sed mutilum eum, ut aiunt, in omnibus capitibus, quae et in vulgatis desiderantur; adhoc infimae etiam vetustatis, utpote circa ea scriptum tempora, quibus inventa ars typographica.' Ex hoc libro aliquid proposui in commentario meo ad cap. 47 et 58.

Recentioribus temporibus B. G. Niebuhrius in eo libro, qui inscribitur Orationum Ciceronis pro M. Fontejo et pro C. Rabirio fragm. etc. Romae 1820, edidit fragmentum Hygini de rebus Thebanis, quod repertum a se ait in uno folio codicis Vaticani rescripti, cuius scriptio ad saeculum IX referenda videtur.

Digitized by Google

De editionibus haec moneo. Micylli editionem, quae, ut iam antea dixi, prodiit anno 1535, ad verbum fere secuti sunt, qui hunc librum ediderunt Basileae anno 1549 et 1570, Parisiis 1578 et Lugduni in Gallia anno 1608. Postea in Hyginum curas suas convertit Commelinus, cuius liber prodiit anno 1599. Commelini recensionem secutus est auctor libri, qui prodiit Lugduni Batavorum et Amstelodami apud Gaasbekios anno 1670. Paulo post in his Hygini reliquiis emendandis et illustrandis praeclaram collocaverunt operam Joh. Schefferus, Argentoratensis (Hygini quae hodie exstant etc. Accedunt et Thomae Munckeri annotationes. Hamburgi 1674) et Thomas Munckerus (Mythogr. Lat., Amstelodami 1681). Ex quibus omnibus Munckeri recensio, quam in plurimis iterum secutus est van Staveren (Auctores Mythogr. Lat. Lugd. Bat. et Amstel. 1742), facile primum sibi vindicat locum. Ex Stavereni autem temporibus nemo, quot quidem nos audierimus, huic scriptori novam curam impendit. Quo factum est, ut editiones huius libri nostris temporibus tam rarae sint, ut vix unum alterumve exemplar in tabernis litterariis inveniatur.

His propositis, nunc de libris, quorum auctoritate nitar, deque ratione, quam in emendandis et illustrandis Hygini reliquiis secutus sim, paucis erit dicendum. In hac nova editione conficienda id mihi propositum fuit, ut verba scriptoris, quantum mea opera fieri posset, exhiberem emendatissima. Ad hunc finem assequendum ante omnia Hygini librum saepius uno tenore perlegi, et quae inter legendum emendatione videbantur indigere, studiose annotavi. Tum omnes Hygini Fabularum editiones, quas paulo antea commemoravi, diligentissime inter se comparavi, earumque lectiones omnes descripsi*). Postea alios scriptores et fragmenta scriptorum, qui cum Hygino in multis consentiunt, accessi. Ad innumerabilia autem loca, quae medelam requirebant, emendanda non parum auxilii esse videbam in Homero, Hesiodo, Euripide, Apollonio Rhodio aliisque compluribus, quorum auctoritatem Hyginus in plurimis secutus est. Item in scholiastis Graecis et Latinis plurima huic scriptori salubria inveni. Sane multum mihi profuerunt scholia Homeri, Euripidis, Apollonii; item commentarii Servii in Vergilium, scholia in Horatium, in Statii Thebaida et Achilleida aliaque complura. Praeterea carmina Ovidii, qui in plurimis cum Hygino miro modo consentit, accuratissime erant comparanda, nec minus excerpta Barthii ex Ms., fragmenta Dositheana, fragmenta Hygini a Niebuhrio edita, et Mythographi Latini, quos nuper A. Mai ex bibliothecae Vaticanae latebris in lucem produxit. Denique ad ea, quae ex lectione scriptorum, quos paulo antea nominavi, aliorumque multorum annotaveram, comparavi commentarios Schefferi, Munckeri, Stavereni. Ex quibus Schefferus breves annotationes Hygini

*) Lectiones editionis principis anni 1535, quae codicis instar habenda est, sub textu adieci; aliarum editionum lectiones nonnullas in commentario meo suis locis proponam.

Digitized by Google

Fabulis apposuit; Munckerus, criticus ingeniosissimus et doctissimus, eximiis commentariis hunc librum adornavit; Staverenus denique priorum editorum commentarios in unum corpus redegit, et ipse multas annotationes adiecit. Is autem reprehendendus est in eo, quod plurima proposuit, quae lectoribus plus taedii quam delectationis afferunt, quoniam ad rem, de qua agitur, minime pertinent. Horum igitur commentarios saepius perlegi, quaeque ab his iam occupata videbam, libenter unicuique remisi, et sub eius nomine in commentario meo adscripsi.

In oratione autem Hygini constituenda Munckeri recensionem, utpote optimam, secutus sum, ita tamen, ut nec religioni mihi ducerem, innumeris locis ab eius aliorumque lectionibus discedere. In multis locis emendationes virorum doctorum, ut Micylli, Barthii, Schefferi, Nicolai Heinsii, Munckeri, Wopkensii aliorumque complurium in textum recepi. Praeterea ipse partim ex coniectura, partim ex aliis auctoribus plurima immutavi et vulgata expulsa saniorem et veriorem lectionem restituisse arbitror. Nondum tamen omnia vitia sublata sunt; et spem etiam abiiciendam puto, fore unquam, ut hisce reliquiis antiqua et vera forma restituatur.

Scribebam Berolini, m. April. a. 1856.

Sigla, quibus usus sum, haec sunt:

A. = Ed. pr. anni 1535.
B. = Casp. Barthius.
C. = Commelinus.
D. = Dosistheus magister.
H. = Nic. Heinsius.
Herv. = Ed. Hervag. a 1549.
i. m. = in margine.
L. = Ed. Leidensis a. 1670.
M. = Thom. Muncker.
Mic. = Jacob. Micyllus.
N. = Niebuhr.
Periz. = Jacob. Perizonius.
Salm. = Salmasius.
Sch. = Joh. Scheffer.
St. = Augustinus van Staveren.
W. = Wopkens.

Digitized by Google

HYGINUS.

Ex Caligine Chaos.

Ex Chao et Caligine Nox, Dies, Erebus, Aether.

Ex Nocte et Erebo Fatum, Senectus, Mors, Lethum, Continentia, Somnus, Somnia, id est Lysimeles, Epiphron, Dumiles, Porphyrion, et Phantasus; Discordia, Miseria, Petulantia, Nemesis, Euphrosyne, Amicitia, Misericordia, Styx, Parcae tres, id est Clotho, Lachesis, Atropos; Hesperides, Aegle, Hesperie, Erythia.

Ex Aethere et Die Terra, Coelum, Mare.

Ex Aethere et Terra Dolor, Dolus, Ira, Luctus, Mendacium, Jusiurandum, Ultio, Intemperantia, Altercatio, Oblivio, So-

---

A. 3. fatum, senectus, mors, lethum, continentia, somnus, somnia. — 5. Porphyrion, Epaphus, discordia, miseria, petulantia. — 6. amicitia, misericordia. 8. Aerica. 9. aethere. — terra, coelum, mare. 10. aethere et terra dolor, dolus, ira, luctus, mendacinm, iusiurandum, ultio, intemperantia, altercatio, oblivio, socordia, timor, superbia, ingestum, pugna, oceanus.

Annotatio. Quae initio huius operis p. 26—32. de deorum origine ac progenie ab Hygino proponuntur, magnam partem nonnisi excerpta mihi esse videntur ex longioribus narrationibus, quibus hoc opus olim incipiebat. Similia prodiderunt Hes. in Theogonia; Apollod. 1, 1 sqq.; Cic. N. D. 3, 17 sqq. Hyginus in hac Theogonia in plurimis Hesiodi auctoritatem secutus est. — 3. Ex Nocte etc.] Hes. Th. 211 sqq.; Cic. l. c. — Mors, Lethum] M. putat, Hyginum his verbis exprimere voluisse Hesiodea ista *Θάνατος*, *Κήρ*. — Continentia] Sch. coniicit Incontinentia; quod non prorsus damnaverim. — 4. Lysimeles] Apud Hom. Od. 20, 57: 23, 343; Ap. Rh. 4, 1525 *λυσιμελής* est epitheton somni. — Epiphron ab aliis inter Somnia non commemoratur. — Pro Dumiles fortasse legendum Nedymos, Icelos *Νήδυμος* est epitheton somni notissimum; quod facile potuit, ut *λυσιμελής*, a poetis in Somniorum numerum referri. Icelos autem commemoratur ab Ov. Met. 11, 640. — 5. Porphyrion] Hoc nomen corruptum arbitror. Apud Ap. Rh. 2, 204 *πορφύρεος* est epitheton somni. — et Phantasus] Sic emendavi ex Ov. Met. l. c. — Discordia eadem est, quae ab Hesiodo l. c. Eris appellatur; cf. infr. cp. 92. — 6 Euphrosyne, Am.] Fortasse legendum Fraus, Inimicitia. Fraus inter natos ex Nocte et Erebo commemoratur a Cic. l. c. Item apud Hes. l. c. *Ἀπάτη* filia Noctis appellatur. — Stygem fuisse filiam Noctis et Erebi, alii non prodiderunt. Hes. Th. 361. et Apollod. 1, 2, 2. eam Oceani filiam appellant. — 7. Hesperides] cf. Hes. Th. 215; Cic. N. D. 3, 17. De numero earum dissentiunt scriptores. Tres commemorant Ap. Rh. 4, 1427. et Schol. Stat. Th. 2, 281; quattuor Apollod. 2, 5, 11. et Fulgent. Virg. Cont. p. 755. ed. St.; quinque Theocles apud Paus. 5, 17, 1; septem Schol. Lucan. 9, 358. — 8. Erythia] Sic scripsi pro Aerica ex Apollod. l. c. Idem praeter alia Munckero venit in mentem. Apud Ap. Rh. l. c. haec nomina leguntur *Αἴγλη*, *Ἑσπέρα*, *Ἐρυθηΐς*. — 10. Dolor etc.] Hes. Th. 226 sqq. —

Digitized by Google

cordia, Timor, Superbia, Incestum, Pugna, Oceanus, Themis, Tartarus, Pontus, et Titanes, Briareus, Gyges, Steropes, Atlas, [Coeus, Crius], Hyperion, Iapetus, Saturnus, Ops, Moneta, Dione, [Thia, Phoebe, Tethys]; Furiae tres, id est Alecto, Megaera, Tisiphone.

Ex Terra et Tartaro Gigantes, Enceladus, Coeus, Lentesmophius, Astraeus, Pelorus, Pallas, Emphitus, Phorcus, Ienios, Agrius, Alcyoneus, Ephialtes, Eurytus, Effra, Corydon, Pheomis, Thiodamas, Otus, Typhon, Polybotes, Menephiarus, Abseus, Colophomus, Iapetus.

Ex Ponto et Mari piscium genera.

[Ex Oceano et Tethyde] Oceanitides, id est Idyia, Melie,

---

2. tartarus, pontus. 3. Coeus, Crius om. — et Ptolus, Saturnus. 4. Thia, Phoebe, Tethys om. 5. Megera. 6. terra et tartaro. — Coemse. 8. agrus, Alemone. — Erylus. 9. Theodamas. — Othus. — Polyboetes. 11. Ex ponto et mari poscium genera, 12. Oceanitides, Hestyaea, Meliae.

---

1. Incestum scripsi ex coniectura H. — Oceanus etc.] Quae hinc sequuntur, corrupta videntur. Ex Hesiodo, Apollodoro aliisque coniicere possis, sic esse legendum: Ex Coelo et Terra Cottus, Briareus, Gyes; Brontes, Steropes, Arges; Titanes et Titanides, id est Atlas, Oceanus Coeus, Crius, Hyperion, Iapetus, Saturnus, Themis, Ops, Moneta, Dione, Phoebe, Thia, Tethys; Furiae etc. — 2. Gyges] De scriptura huius nominis Heyne ad Apollod. 1, 1, 1. — 3. Atlas] Hyg. cp. 150. — Coeus, Crius] Haec nomina addidi ex coniectura. Eadem restitui infra p. 29, 9. — Iapetus] Sic confidenter scripsi pro et Ptolus. Iapeti meminit Hyginus in seqq. p. 29, 10. — Ops eadem est, quae a Graecis Rhea appellatur. — 4. Moneta] cf. p. 30, 14. In Glossario vetere apud H. Stephanum (Glossaria duo etc., a. 1573): Muneta (leg. Moneta), *Μνημοσύνη*. — Thia etc.] haec nomina addidi ex coniectura. Vide infra v. 12: p. 29 sq. — 5. Megaera] Sic correxit M. — 6. Nomina Gigantum praeter Hyginum afferunt Apollod. 1, 6, 1 sq.: Claud. in Gigantomachia (Claud. Opp. ed. Gesner. p. 606 sqq.), alii. Apud Hyginum multa eorum nomina sunt corrupta. — 6. Coeus] Sic scripsi ex coniectura Mic. Coeum inter Gigantes referunt Verg. Ge. 1, 279; Aen. 3, 578; Propert. 2, 1, 39. — Pro Lentesmophius Sch. coniicit Helenius, Ophius. Sed haec nomina nusquam alibi leguntur. Munckerus Nisi, inquit, Ophius idem est qui Ophion, malim Ophion. — 7. Emphitus] Hoc nomen corruptum est. — Phorcus] Hunc aliunde non novi. Statim in seqq. Phorcus inter natos ex Ponto et Terra commemoratur. — Ienios] M. coniicit Clytius. Fortasse legendum Tityus, cuius meminerunt Hom. Od. 11, 576; Hyg. cap. 55. — 8. Agrius, Alcyoneus] Sic scripsi ex Apollod. l. c. Idem voluerunt Sch. et M. — Eurytus] Sic correxit M. ex Apollod. l. c. — Pro Effra M. coniicit Echion. Sed hoc nimis abit a vulgata lectione. — Corydon] Fortasse legendum Corythos. Apud Ov. Met. 12, 290 sq. Corythos inter Lapithas commemoratur. — 9. Pheomis] Fortasse legendum Chromis. Apud Ovid. l. c. hoc nomen Lapitharum cuidam tribuitur. — Thiodamas] vulg. Theodamas. Rectiorem formam restitui. — Otus] Sic M. correxit. — Polybotes] Sic scripsi ex Apollod. l. c. Idem voluit M. — Menephiarus] Hoc nomen corruptum est. M. scribit Menephiaraus; St. Meniphiaraus; quo iure nescio. — 10. Abseus] Fortasse legendum Hypseus; quod nomen vulgo Lapitharum regi imponitur a mythographis. M. coniicit Asius. — Colophomus] Fortasse legendum Ophion, Mimas. M. coniicit Polyphemus vel Colophemus. — Iapetus] cf. Verg. Ge. 1, 279. — 12. Ex Oceano etc.] Haec addidi ex coniectura. Oceanitides enim non Ponti, sed Oceani filiae fuerunt. Nomina Oceanitidum praeter Hyginum prodiderunt Hes. Th. 349 sqq.; Hom. h. Cer. 418 sqq.; Apollod. 1, 2, 2. Hyginus Hesiodi auctoritatem

Digitized by Google

Ianthe, Admete, Pitho, [Electra, Doris], Pasithoe, Polyxo, Eurynome, Euagoreis, Rhodope, Lyriscitia, Teschinoeno, Clytie, Menestho, Perseis, Menippe, Argia.

Eiusdem seminis flumina Strymon, Nilus, Euphrates, Tanaïs, Indus, Cephisus, Ismenus, Axenus, Achelous, Simois, Inachus, Alpheus, Thermodoon, Scamandrus, Tigris, Maeandrus, Orontes.

Ex Ponto et Terra Thaumas, Eurybia, Phorcus, Ceto, Nereus.

Ex Nereo et Doride Nereides quinquaginta: Glauce, Thalia, Cymodoce, Nesaea, Spio, Thoe, [Halie], Cymothoe, Actaea, Limnoria, Melite, Iaera, Amphithoe, Agaue, Doto, Proto, Pherusa, Dynamene, Dexamene, Amphinome,

---

1. Admeto, siluo. — Electra, Doris om. — Pasiphe. 3. Clitemneste, Piecus. 5. Ismarus. 6. Meandrus. 8. Ex ponto et terra Thoumas, Tusciversus, Cepheus. 9. Dorede. 10. Halie om. — Cymothoea, Actea. 11. Protho. 12. Dynomene. — Amphinome, Callianassa, Doris, Poenope, Galathea, Nimertis, Apseudes, Clymene.

---

secutus esse videtur, sed in catalogo eius, qualis hodie exstat, plura sunt corrupta, alia omissa. Desiderantur, mea sententia, haec nomina: Doris, Electra, Philyra, Callirhoe. Pleione. — id est Idyia] Ita audacter scripsi pro Hestyaea. Idyia est Oceani filia celeberrima; cuius meminerunt Hes. Th. 352, 959; Apollod. 1, 9, 23; Cic. N. D. 3, 19. De formula id est dixi in Prolegg. p. 21. — Melie] Sic M. correxit. Commemoratur haec Oceani filia ab Ap Rh. 2, 4; Schol. Eur. Or. 930; Ov. am. 3, 6, 25; Serv. ad Aen. 5, 373; Hyg. cap. 17. — 1. Admete] Sic scripsi ex Hes. l. c. Idem voluit Sch. — Pitho] Sic scripsi pro Silvo ex Hes. Th. 349. — Electra, Doris] Haec nomina addenda puto. Apud Hes. l. c. hoc ordine enumerantur: Pitho, Admete, Ianthe, Electra, Doris. Electrae nomen etiam aliis locis apud Hyginum restituendum est; cf. p. 31 et cp. 14. Doris statim in seqq. commemoratur. — Pasithoe] Sic corr. M. ex Hes. l. c. — Polyxo] Haec ab aliis inter Oceani filias non commemoratur. Apud Hes. l. c. post Pasithoen sequitur Plexaure. — 2. Euagoreis] Fortasse legendum Europa, Metis ex Hes. l. c. — Rhodope, Lyriscitia] Rhodope Oceani filia est Hom. h. Cer. 422. Apud Hes. Th. 351 sq. haec nomina leguntur: Rhodia, Callirhoe, Zeuxo. Callirhoe apud Hyg. commemoratur infra p. 32, 4. — Teschinoeno] M. coniicit Tyche, Phaeno. Mallem Tyche, Dione ex Hes. Th. l. c. Dione commemoratur infra p. 30, 10. — 3. Clytie, Menestho] Sic scripsi ex Hes. Th. 352 sqq. Idem voluit M. — Perseis] Ita legendum esse iam vidit M. De Perseide plura infra ad p. 31, 6. — Menippe] Fortasse legendum Clymene, Hippo. Clymene commemoratur infra p. 29, 10. — Argia] Hyg. cap. 143. Alii huius non meminerunt. — 4. Eiusdem etc.] Hes. Th. 337 sqq. — 5. Ismenus] Ita legendum esse iam vidit Mic. — Axenus] Sch. coni. Axius; cuius meminit Hom. Il. 21, 157. Fortasse legendum Euenus ex Hes. l. c. — Inachus] Hyg. cp. 143. — 6. Maeandrus] Sic M. corr. — 8. Ex Ponto etc.] Hes. Th. 233 sqq.; Apollod. 1, 2, 6. — Thaumas] Sic M. corr. — Eurybia etc.] Vulgo Tusciversus Cepheus. M. coni. Phorcus, Ceto, Nereus. Emendavi ex Hes. et Apollod. l. c. Nomen Eurybiae etiam infra restitui p. 29, 9. Phorci meminit Hyg. p. 29, 6. Item de Ceto et Nereo statim in iis, quae sequuntur, sermo est. — 9. Nereides] Nomina earum, praeter Hyginum afferunt Hes. Th. 243 sqq.; Apollod. 1, 2, 7; Hom. Il. 18, 39 sqq.; Verg. Ge. 4, 336 sqq., — Glauce, Thalia] Haec et quae sequuntur nomina usque ad illa Drimo, Xantho etc., ex Hom. l. c. huc translata sunt. — 10. Halie] Hoc nomen addidi ex Hom. l. c. — Cymothoe, Actaea] Sic corr. M. — 11. Limnoria] Ita recte A. Male in nonnullis Lymnoria. — Proto] Sic M. corr. — 12. Dynamene] Male olim Dynomene, vel Dinamene. Correxit M. — Amphinome etc.] Totum hunc locum emendavi ex Hom. l. c. —

Digitized by Google

[Callianira], Doris, Panope, Galatea, Nemertes, Apseudes, Callianassa, Clymene, Ianira, Ianassa, Maera, Orithyia, Amathia; Drimo, Xantho, Ligea, Phyllodoce, Cydippe, Lycorias, Clio, Beroe, Ephyre, Opis, Asia, Deiopea, Arethusa, Clymene, Crenis, Eurydice, Leucothoe.

Ex Phorco et Ceto Phorcides Pamphede, Enyo, Chersis. Pro hac ultima Dino alii ponunt.

Ex Gorgone et Ceto Stheno, Euryale, Medusa.

Ex Coeo et Phoebe Latona, Asterie. [Ex Crio et Eurybia Astraeus], Perses, Pallas. Ex Iapeto et Clymene Atlas,

---

2. Ianira, Panopea, Ianassa. — Mera, Orythya, Aemathia. 4. Cleio 6. et Tetoa
9. Ex Polo et Phoebe Latona, Asterie, Aphirape, Perseis, Pallas.

---

1. Panope] Ita legendum esse iam vidit Commel. — Galatea] Sic M. corr. — Nemertes] Sic scripsi ex Gr. *Νημερτής*. — 2. Ianira] Omnes scribunt Ianira, Panopea etc. Sed Panopeam stupori librariorum debemus. Panope in antecedentibus commemoratur. — Maera] Sic M. corr. — Orithyia] Sic St. corr. — Amathia] Sic scripsi ex Gr. *Ἀμάθεια*. — 3. Drimo etc] Quae hinc sequuntur nomina, magnam partem ex Vergilio l. c. huc translata sunt. — Pro Drimo M. et St. scribunt Drymo; quemadmodum apud Verg. l. c. legitur. Sed nec illud reiiciendum. Est enim *Δριμώ* nomen mulieris ap. Suid. v. *Ἀλκυονίδες*. — 4. Clio] Sic scripsi ex Verg. l. c. Ceterum non ausim affirmare omnia haec nomina ab Hygino ipso huc esse translata. A Vergilio l. c. Clio et Beroe in Oceanitidum numerum referuntur. — Clymene] Sciendum apud Hyginum in nonnullis locis per negligentiam librariorum idem nomen bis positum esse. Clymene iam in antecedentibus commemoratur. — 5. Crenis] Hoc nomen sine dubio est corruptum. — Eurydice] Graevius vult Eunice; cuius meminerunt Hes. Th. 247; Apollod. 1, 2, 7; Theocr. 23, 45. — 6. et Ceto] Sic M. corr. Idem iam Mic. et Sch. voluerant. — Phorcides sive Graeae fuerunt Gorgonum custodes. Aesch. Prom. 792 sq.; Eratosth. cp. 22; Hyg. Astr. 2, 12. De numero Phorcidum dissentiunt scriptores. Duas fuisse scribunt Hes. Th. 273; Tzetz. ad Lyc. 838; tres memoriae prodiderunt Apollod. 2, 4, 2; Schol. Aesch. Prom. 792; Schol. Ap. Rh. 4, 1515. — Pamphede] M. vult Memphede. Vera lectio mihi esse videtur Pephredo. Magna varietas in scriptura huius nominis etiam in libris Graecis manu scriptis et impressis. Legimus enim *Πεμφρηδώ*, *Μεμφρηδώ*, *Πεφιρδώ*, *Πεφρηδώ*, alia. — Chersis] Hoc nomen sine dubio est corruptum. M. vult sic legere: Ex Phorco et Ceto Memphede, Enyo, Graeae (pro hac ultima Dino alii ponunt): et Gorgones Stheno etc. St. coniicit: Ex Ph. et C. Pephredo, Enyo, Graeae; et Gorgones Stheno etc. — Fortasse nomen Echidnae olim h. l. legebatur; de qua dicam ad p. 31, 10. — Pro hac etc.] Sch. glossema haec esse putat. Non assentior. — 8. Ex Gorgone] Gorgon commemoratur etiam p. 31, 10 et cp. 151. Lectio sine dubio est corrupta. Mic. haec addit: Haec tota pagina in veteri exemplari ita vetustate oblitterata et corrupta erat, ut praeter vestigia litterarum propemodum nihil deprehendi certo posset. — Stheno] Sic M. corr. — 9. Ex Coeo etc.] Omnes lectionem ed. A. retinent. M. coniicit: Ex Coeo et Phoebe Latona, Asterie; ex Crio et Eurybie Astraeus, Perses, Pallas. Quod probandum videtur ex Hes. Th. 375 sqq. et 404.; Apollod. 1, 2, 2. Malim tamen pro Eurybie scribere Eurybia. Coei nomen etiam supra restitui p. 27; item Phoebes nomen p. 28; item Crii et Eurybiae nomen p. 27 sq. — 10. Astraeus] Alius inter Gigantas commemoratur p. 27. — Ex Iapeto et Clymene etc.] Hes. Th. 508; Schol. Aesch. Prom. v. 347; Serv. ad Aen. 1, 741. Alii Atlantem eiusque fratres ex Iapeto et Asia, Oceani filia, natos esse tradunt. Alii aliter. Clymene est Oceani filia; de qua supra dixi ad p. 28, 3. — Atlas etc.] Alii his Menoetium addunt; inter quos est Hes. l. c. Atlas supra p.

Digitized by Google

Epimetheus, Prometheus. Ex Hyperione et Thia Sol, Luna, Aurora. Ex Saturno et Ope Vesta, Ceres, Juno, Juppiter, Pluto, Neptunus. Ex Saturno et Philyra Chiron Dolops. Ex Astraeo et Aurora Zephyrus, Boreas, Notus, Favonius. Ex Atlante et Pleione Maia, Calypso, Alcyone, Merope, Electra, Celaeno.

Ex Pallante Gigante et Styge Scilla, Vis, Invidia, Potestas, Victoria, Fontes, Lacus.

Ex Neptuno et Amphitrite Triton.

Ex Dione et Jove Venus. Ex Jove et Junone Mars. Ex Jovis capite Minerva. Ex Junone sine patre Vulcanus. Ex Jove et Eurynome Gratiae. Ex Jove rursus et Junone Juventus, Libertas. Ex Jove et Themide Horae. Ex Jove et Cerere Proserpina. Ex Jove et Moneta Musae. Ex Jove et Luna Pandion.

Ex Venere et Marte Harmonia et Formido.

Ex Acheloo et Melpomene Sirenes Teles, Raidne, Molpe, Thelxiope.

---

4. Astreo. 7. vis, invidia, potestas, victoria, fontes, lacus. 9. Amphitrione. 12. Gratia. 16. formido. 17. Molphetes, Tione.

---

27 etiam inter Titanas commemoratur. — 1. et Thia] Sic scripsi pro et Aethra. Idem voluerunt M. et St. Thia una Titanidum fuit; de qua supra dixi ad p. 27, 1. — 2. Juppiter] Sic ubique rescripsi ex A. pro Jupiter. — Ope] cf. p. 27, 1 sqq. — 3. Philyra] id est Oceani filia; Hyg. cap. 138. In catalogo Oceanitidum, ut iam supra dixi, hoc nomen omissum videtur. — 4. Astraeo] Hic est ille Crii et Eurybiae filius, cuius nomen paulo antea restitui. Alius Astraeus, ut iam antea dixi, inter Gigantas commemoratur. — Zephyrus etc.] Apud Hes. Th. 378 sqq. tres tantum commemorantur, id est Zephyrus, Boreas, Notus. — 5. Pleione] id est Oceani filia; de qua dixi ad p. 27, 12. — Nomina Pleiadum memoriae prodiderunt Arat. Phaen. 262 sq.; Eratosth. cp. 23; Hyg. infra cp. 192, et in Astron. 2, 21. Omnibus his locis haec nomina leguntur: Maia, Taygete, Alcyone, Sterope, Merope, Electra, Celaeno. — Calypso] Hyg. cap. 125 et 243; Tibull. 4, 1, 77. — 7. Ex Pallante etc.] Mic. haec addit: In vetusto exemplari legebatur: ex Pallante gigante, Scilla, Stygia, uis; quae verba nos ex Hesiodo transposuimus. M. haec litteris mandavit: 'Scripserat nimirum auctor: Ex Pallante et Styga Vis, Invidia etc. Talia sunt Syringa, Sirena, Striga, et alia, de quibus in dissertatione egimus.' Non assentior Munckero, sed Micyllum verum dicere arbitror. — Scilla] Vulgo Scylla. Alii hanc inter Pallantis filias non commemorant. Fortasse sic legendum: et Styge, Oceani filia. De Styge supra dixi ad p. 26, 6. — Vis etc.] Hes. Th. 383; Apollod. 1, 2, 4. — 8. Fontes et Lacus ab aliis inter Pallantis et Stygis filios non commemorantur. — 9. Amphitrite] Sic correxi ex Hes. Th. 930 sq.; Apollod. 1, 4, 6. Idem Sch. et M. voluerunt. — 10. Dione] cf. p. 27. — 12. Eurynome] cf. p. 28, 2. — 13. Juventus] Alii dicerent Juventas. Sed, ut ait Serv. ad Aen. 1, 590, haec nomina a poetis plerumque confunduntur. Eadem et Hebe vocatur. — 14. Moneta] Eadem est, quae ab aliis Mnemosyne appellatur; de qua iam supra dixi ad p. 27, 4. — Musae] Hyginum plenius de his scripsisse apparet ex fragm. Dosith.; de qua re iam in Prolegg. dixi. — 16. Harmonia] Hes. Th. 937; Hyg. cap. 148. — Formido] Hes. Th. 934. — 17. Melpomene] Haec in iis, quae antecedunt, non commemoratur. Quare coniicere licet, catalogum Musarum supra excidisse. — Sirenes] cf. cp. 14, 125, 141. De numero et nominibus earum dissentiunt scriptores. Duas fuisse tradit Hom. Od. 12, 39. Alii tres memoriae prodiderunt, ut Arist. mir. ausc. 103; Lycoph.

Digitized by Google

Ex Jove et Clymene Mnemosyne. Ex Jove et Maia Mercurius. Ex Jove et Latona Apollo et Diana.

Ex* et Terra Python, draco divinus.

Ex Thaumante et [Electra] Iris; Harpyiae: Celaeno, Ocypete, Podarge.

Ex Sole et Persa Circe, Pasiphae, Aeeta, Perses. Ex Aeeta et Idyia Medea. Ex Sole et Clymene Phaethon et Phaethontides Merope, Helie [Aegle, Lampetie, Phoebe] Aetherie, Dioxippe.

Ex Typhone et Echidna Gorgon, Cerberus; Draco, qui pellem auream arietis Colchis servabat; Scylla, quae superiorem partem feminae, inferiorem canis habuit; quam Hercules interemit; Chimaera, Sphinx, quae fuit in Boeotia; Hydra

---

1. Mnemosine. 3. terra. 4. Electra om. — Harpyae. 5. Podarce. 6. Aeeta et Clytia. 7. Phaeton. — Phaetontides, Merore. 8. Aegle, Lampetie, Phoebe om. — Etherie, Dioxippe. 12. foeminae.

653; Schol. Ap. Rh. 4, 892; alii quattuor. Nomina, quae ab his auctoribus proponuntur, haec sunt: Aglaopheme, Thelxiepia, Leucosia, Ligea, Molpe, Parthenope. — Teles. etc.] Sch. vult: Thelxiope, Molpe, Pisione. M. et St. sic scribunt: Thelxiepia, Molpe, Pisione. Mihi pro molphetes tione scribendum videtur Molpe, Thelxiope; reliqua, quae Mic. dedit, intacta reliqui. Est autem *Θελξιόπη* eadem, quae ab aliis *Θελξιέπεια* appellatur; cf. Schol. Ap. Rh. l. c. — 2. Ex Jove et Clymene Mn.] Hoc alii non tradunt. — 3. Ex* etc.] Sic rescripsi ex ed. A; Commelinus, et qui post eum hunc librum ediderunt, sic scribunt: Ex Demogorgone et Terra. Demogorgonem summum deum fuisse, tradit Schol. Stat. Th. 4, 516. Eundem patrem fuisse Pythonis draconis, tradit Bocatius in Genealogiis deorum gentilium, Vincentiae 1487, p. 14. Quo iure tamen Commelinus Demogorgonis nomen in Hyginum immiserit, nescio. Terrae filius vocatur Python ab Hyg. cp. 140; Ov. Met. 1,438. Quare potius sic legendum: Ex Terra Python etc., nisi mavis: Ex .... et .... Ex Terra Python etc. — draco div.] Hyg. cp. 140. — 4. Ex Thaumante] Apollod. 1, 2, 6. — Electrae nomen addidit Comm., monente Mic. De Electra supra dixi ad p. 28, 1. — Harpyiae] Nomina earum memoriae prodiderunt Hes. Th. 267; Apollod. 1, 9, 21; Schol. Hom. Il. 21, 150; Tzetz. ad Lyc. 167; Serv. ad Aen. 3, 209; Fulg. Myth. 1, 8; Hyg. cap. 14, aliique complures. — 5. Podarge] Sic M. corr. Meminit eius Hom. Il. 16, 150. — 6. Persa] *Πέρση* mater Circes appellatur ab Hom. Od. 10, 139; Ap. Rh. 4, 591; Tzetz. ad Lyc. 174; contra Perseis est Hes. Th. 957; Apollod. 1, 9, 1; Hyg. cap. 156. Ita quoque legendum apud Hyg. p. 28, 3, ut iam antea indicavi. Quae quum ita sint, coniicere possis, olim pro Persa h l. scriptum fuisse Perseide. — Aeeta] Varie scribitur hoc nomen in libris Mss. Latinis. Legitur enim Aeeta, Aeetas, Aeetes, Oeta, Oeetas, Oëtes. Aeeta est etiam Ov. Met. 7,170. — Perses] Hyg. cap. 27. — 7. Idyia] Sic scripsi pro Clytia. Idem iam Sch. aliique voluerant. De Idyia plura dixi ad p. 27, 12. — Clymene] id est Oceani filia; Hyg. cp. 156; Lact. arg. 2, 1. — 8. Merope] Sic M. corr. — Aegle, Lampetie, Phoebe] Haec nomina addidi ex cap. 154. — 10. Ex Typhone etc.] Haec et quae sequuntur usque ad finem huius Theogoniae, fere iisdem verbis leguntur infra cap. 151. — Typhonis iam antea meminit Hyginus p. 27, 9, sed nihil legimus supra de Echidna eiusque parentibus. Phorci filiam fuisse Echidnam, tradit Pherecyd. apud Schol. Ap. Rh. 2, 1248. Fortasse etiam Hyginus eam Phorci liberis adnumeraverat. — Gorgon] De hoc iam antea dixi ad p. 29, 8. Orthros commemoratur inter Typhonis filios ap. Hes. Th. 293; Apollod. 2, 5, 10. — Cerberus] Hyg. cap. 30 et 151. — 11. Scylla] Hyg. cp. 125 et 151. Phorci et Hecates filia vocatur ab Ap. Rh. 4, 828. Nonnulli Crataeidem matrem eius dixerunt; Hom. Od. 12, 124; Hyg. cp. 199. — 13. Chimaera] Hyg. cp. 57, 151, 273.

Digitized by Google

serpens, quae novem capita habuit, quam Hercules interemit; et draco Hesperidum.

Ex Neptuno et Medusa Chrysaör et equus Pegasus. Ex Chrysaore et Callirhoe Geryon trimembris.

Fabula Prima.

Themisto.

Athamas, Aeoli filius, habuit ex Nebula uxore filium Phrixum et filiam Hellen, et ex Themisto, Hypsei filia, filios duos, Schoeneum et Orchomenum, et ex Ino, Cadmi filia, filios duos, Learchum et Melicerten. Themisto, quod se Ino coniugio privasset, filios eius interficere voluit. Itaque in regia latuit clam, et occasione nacta, cum putaret se inimicae natos interfecisse, suos imprudens occidit, a nutrice decepta, quod eis vestem perperam iniecerat. Themisto cognita re, ipsa se interfecit.

II. Ino.

Ino, Cadmi et Harmoniae filia, cum Phrixum et Hellen, ex Nebula natos interficere voluisset, iniit consilium cum totius generis matronis, et coniuravit, ut fruges in sementem quas darent, torrerent, ne nascerentur; ita ut, cum sterilitas et penuria frugum esset, civitas tota partim fame, partim morbo interiret. De ea re Delphos mittit Athamas satellitem; cui Ino praecepit, ut falsum responsum ita referret: Si Phrixum immolasset Jovi, pestilentiae fore finem. Quod cum Athamas se facturum abnuisset, Phrixus ultro ac libens pollicetur,

---

4. Cellirhoë. 9. Sphincium.

— Sphinx] Hyg. cp. 67, 151. — Hydra etc.] Hyg. cp. 30, 151. — 2. draco H.] Hyg. cp. 30, 151. — 4. Callirhoe] id est Oceani filia. Nomen eius, ut iam antea dixi, in catalogo Oceanitidum p. 27 sq. excidisse videtur. — trimembris] Hyg. cp. 30; Serv. ad Aen. 7, 662. — 5. Fabula Pr.] Haec Mic. addidisse videtur. — 7. Athamas etc.] Apollod. 1, 9, 1. — Nebula cf. cp. 2 et 3; Schol. Germ. p. 60 ed. Buhle; Schol. Stat. 2, 281. Rectior forma, qua inter alios Ovidius et Mythographi Vaticani utuntur, est Nephele ex Gr. *Νεφέλη*. Ab aliis eadem Nubes appellatur; Hyg. Astr. 2, 20; Schol. Stat. Ach. 1, 65; Myth. Vat. 1, 23; II, 134. — 8. Hypsei] Hyg. cp. 157, 239; Apollod. 1, 9, 2; Tzetz. ad Lyc. 22. — filios duos] De numero et nominibus filiorum Athamantis et Themistus dissentiunt scriptores; cf. Apollod. 1, 9, 2; Schol. Ap. Rh. 2, 1144; Nonn. Dionys. 9, 317 sq; Paus. 6, 21, 11; 8, 35, 10; 9, 23, 6. — 9. Schoeneum] Sic scripsi h. l. et cp. 239 ex Apollod. l. c. aliisque. Idem voluit M. — Orchomenum] Hic ab aliis inter filios Athamantis non commemoratur. — 12. occasione nacta] Sic etiam cp. 8, 28, 120, 140. Mic. i. m. addit: inventa. Barthius aliique nacta sensu passivo accipiunt — II. Ino] Apollod. 1, 9, 1 sq; Hypoth. Ap. Rh.; Schol. Hom. Il 7, 86, Od. 5, 334; Schol. Stat. Th. 1, 13, Ach. 1; 65; Myth. Vat. I, 23; II, 134. — 17. Nebula] cf. cp. 1. — 19. generis] Fortasse legendum regionis; cf. hypoth. Ap. Rh. — 20. sterilitas etc.] Sic etiam cp. 67. — 22. De ea etc.] Exspectares ante haec verba, quae in hyp. Apollonii sic exprimuntur: *ἡ γῆ δὲ πεφρυγμένον τὸν σπόρον δεχομένη καρποὺς ἐτησίους οὐκ ἀπεδίδου*. Bene Myth. Vat. I l. c. Quo facto, fames innata est, et Vat. II. Quo facto fames orta est. — 23. ita] I. e. iis verbis, quae mox subiiciuntur. Sic M. —

Digitized by Google

se unum civitatem aerumna liberaturum. Itaque cum ad aram cum infulis esset adductus, et pater Jovem comprecari vellet, satelles misericordia adolescentis, Inus Athamanti consilium patefecit. Rex facinore cognito, uxorem suam Ino, et filium eius Melicerten Phrixo dedidit necandos. Quos cum ad supplicium duceret, Liber pater ei caliginem iniecit, et Ino suam nutricem eripuit. Athamas postea ab Iove insania obiecta, Learchum filium interfecit. At Ino cum Melicerte, filio suo, in mare se praecipitavit. Quam Liber Leucotheam voluit appellari (nos matrem Matutam dicimus), Melicerten autem deum Palaemonem, quem nos Portunum dicimus. Huic quinto quoque anno ludi gymnici fiunt, qui appellantur Ἴσθμια.

III. Phrixus.

Phrixus et Helle, insania a Libero obiecta, cum in silva errarent, Nebula mater eo dicitur venisse, et arietem inauratum adduxisse, Neptuni et Theophanes filium; eumque natos suos ascendere iussit, et Colchos ad regem Aeetam, Solis filium, transire, ibique arietem Marti immolare. Ita dicitur esse factum. Qui cum ascendissent, et aries eos in pelagus detulisset, Helle de ariete decidit, ex quo Hellespontum pelagus est appellatum. Phrixum autem Colchos detulit. Ibi matris praeceptis arietem immolavit, pellemque eius inauratam in templo Martis posuit. Quam servante dracone Iason, Aesonis et Alcimedes filius, dicitur petisse. Phrixum autem Aeeta libens recepit, filiamque Chalciopen dedit ei uxorem. Quae postea liberos ex eo procreavit. Sed veritus est Aeeta, ne se regno eiicerent, quod ei responsum fuit ex prodigiis, ab advena, Aeoli [filii] filio, mortem caveret. Itaque Phrixum interfecit. At filii eius, Argus, Phrontis, Melas, Cytisorus

---

12. Huic V quoque. 15. Hellen. — sylva. 20. Quo. 26. Calliopen. 29. filii om. 30. Cylindrus.

---

3. Inus Ath. c.] Tales transpositiones huic scriptori satis sunt usitatae. — 10. Leucotheam etc.] Schol Pind. Ol. 2, 51; Cic. N. D. 3, 15 et 19. Tusc. 1, 12; Ov. Fast. 6, 545, Met. 4, 541; Lact. Firm. 1, 21; Serv. ad Aen. 5, 241. — 12. ludi gym.] cf cp. 273. — Cap. III. Apollod. 1, 9, 1; Hyg. Astr. 2, 20; Schol. Stat. Th. 2, 281; Schol. Germ. p. 60 ed. Buhle; Myth. Vat. I. 23; II. 134. Hyginum exscripsit Schol. Stat. l. c. — 15. Helle] Sic corr. C. — 17. Neptuni etc.] cf. cp. 188. — 18. iussit] Sch. vult iussisse. M. vulgatam retinendam putat propter ea, quae leguntur apud Schol. Stat. l. c. — 19. Ita etc.] Glossam haec sapere censet M. — 20. Qui] Sic emendavi ex Schol. Stat. l. c. Idem praeter alia Munckero venerat in mentem. — 21. Hellespontum] Simile est illud cp. 21 mare quod dicitur Euxinum. Hygini tamen haec esse, non ausim affirmare. — 26. Chalciopen] Sic M. corr. Idem iam Mic. voluerat. Cf. Ap. Rh. 3, 448; Apollod. 1, 9, 1; Hyg. cp. 14 et 21. — 28. responsum etc.] Schol. Stat. l. c. responsum ex prodigiis fuerat, ut etc. — 29. Aeoli etc.] Sic scripsi ex coniectura pro Aeoli filio. Schol. Stat. l. c. et Myth. Vat. II, 136 sic: ab advena, Aeoli progenie, Myth. Vat. I. l. c. ab advenae progenie. — 30. Argus etc.] Hyg. cp. 14 et 21; Apollod. 1, 9, 1; Ap. Rh. 2, 1155 sq. — Cytisorus] Sic correxi h. l. et infra cp. 14 et 21 ex Apollod. l. c. aliisque. —

Digitized by Google

in ratem conscenderunt, ut ad avum Athamantem transirent. Hos Iason, cum pellem peteret, naufragos ex insula Aretiade sustulit, et ad Chalciopen matrem reportavit. Cuius beneficio ad sororem Medeam est commendatus.

IV. Ino Euripidis.

Athamas in Thessalia rex cum Inonem uxorem, ex qua duos filios [Learchum et Melicerten procreaverat] perisse putaret, duxit Nymphae filiam Themistonem uxorem; ex ea geminos filios procreavit. Postea resciit, Inonem in Parnasso esse * quae bacchationis causa eo pervenisse. Misit, qui eam adducerent; quam adductam celavit. Resciit Themisto eam inventam esse, sed quae esset nesciebat. Coepit velle filios eius necare. Rei consciam, quam captivam esse credebat, ipsam Inonem sumpsit, et ei dixit, ut filios suos candidis vestimentis operiret, Inonis filios nigris. Ino suos candidis, Themistonis pullis operuit. Tunc Themisto decepta, suos filios occidit. Id ubi resciit, ipsa se necavit. Athamas autem in venatione per insaniam Learchum maiorem filium suum interfecit. At Ino cum minore filio Melicerte in mare se deiecit, et dea est facta.

V. Athamas.

Semele quod cum Iove concubuerat, ob id Iuno toto generi eius fuit infesta. Itaque Athamas, Aeoli filius, per insaniam in venatione filium suum interfecit sagittis.

---

1. anum. 2. insula Dia. 3. Calliopen. 9. Parnaso. 16. opposuit.

---

2. Aretiade] Sic scripsi h. l. et infra cp. 14 et 21 ex Ap Rh. 2, 1031. Idem Burmannus aliique voluerunt. Martis insula vocatur infra cp. 30. — 3. Chalciopen] Sic M. corr., h. l. et paulo antea. — 4. ad sororem] Id est sorori, vel apud sororem, ut ait M. — Cap. IV. v. 6. in Thessalia] Alii alia tradunt; cf. Apollod. 1, 9, 1; Schol. Ap. Rh. 1, 763; 3, 265; Tzetz. ad Lyc. 22. Hyginus h. l. Euripidem secutus est. Fragm. Inonis Eurip. proposuit Matthiae p. 195 sqq. — 7. filios etc.] Omnes sic scribunt: filios* perisse.' B. supplendum putat peperit; M. susceperat; W. procreavit. Mihi sic legendum videtur, ut supra edidi. Procreare est vox Hygino valde usitata. Item nomina ab eodem in talibus rebus semper addi solent. — 8. Nymphae] M. vult Hypsei, ut supra cp. 1; Sch. contra nomen matris h. l. excidisse putat. — ex ea] Solenne est, ut ait M., huic scriptori omittere particulam copulativam. — 9. Parnasso] Vulgo h. l. Parnaso: cp. 140 Parnassum, cp. 185 Parnasso. — 10. quae b.] Mic. vult: atque bacchationis: Sch. bacchationisque etc.: B. quae bacchationis causa eo pervenisset. Mihi aliquando haec in mentem venerant: 'resciit Inonem in Parnasso esse, qui est mons in terra Phocide, et bacchationis causâ eo pervenisse.' Sic cp. 153 in montem Aetnam, qui altissimus in Sicilia esse dicitur. Alia alibi. — 12. coepit velle] I. e. voluit, ut ait M. Infra cp. 122 regnum obtinere coepit. Similia sunt multis aliis locis. — 16. operuit] Sic scripsi pro opposuit. Idem voluit Tollius. — 17. Athamas etc.] Eadem supra cp. 2. Hyginus saepius easdem res ex diversis auctoribus narrare solet. — Cap. V. v. 22. Semele] Plura de hac cap. 179. — toto] M. archaismum esse putat. Mihi secus videtur. Puto legendum toti. Genitivus totius reperitur supra cap. 2. —

Digitized by Google

VI. Cadmus.

Cadmus, Agenoris et Argiopes filius, ira Martis, quod draconem fontis Castalii custodem occiderat, suorum prole interempta, cum Harmonia, Veneris et Martis filia, uxore sua in Illyriae regionibus in dracones sunt conversi.

VII. Antiopa.

Antiopa, Nyctei filia, ab Epopeo per dolum est stuprata; itaque a Lyco, viro suo, eiecta est. Hanc viduam Iuppiter compressit. At Lycus Dircen in matrimonium duxit, cui suspicio incidit, virum suum clam cum Antiopa concubuisse. Itaque imperavit famulis, ut eam in tenebris vinctam clauderent. Cui postquam partus instabat, effugit ex vinculis Iovis voluntate in montem Cithaeronem; cumque partus premeret, et quaereret ubi pareret, dolor eam in ipso bivio coegit partum edere. Quos pastores pro suis educarunt, et appellarunt Zeton *ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τόπον*, alterum autem Amphionem, *ὅτι ἐν διόδῳ ἢ ὅτι ἀμφὶ ὁδὸν αὐτὸν ἔτεκεν*, id est, quoniam in bivio eum edidit. Qui postquam matrem agnoverunt, Dircen ad taurum indomitum deligatam vita privarunt. Ex cuius corpore in monte Cithaerone fons est natus, qui Dircaeus est appellatus, beneficio Liberi, quod eius baccha fuerat.

VIII. Eadem Euripidis, quam scribit Ennius.

Nyctei regis in Boeotia fuit filia Antiopa. Eius formae bonitate Iuppiter adductus, gravidam fecit. Quam pater cum punire

---

2. Agrisopes. 7. Epapho. 13. Cytheronem. 20. Cytherone. — Direeus. 21. liberi. 23. Boeocia.

Cap. VI. Cadmus] Apollod. 3, 5, 4: Ap Rh. 4, 517 sq.; Ov. Met. 4, 562 sqq.; Lact. arg. 4, 16; Schol. Stat. Th. 2, 289; 3, 290; Myth. Vat. I, 150. — 2. Argiopes] Sic scripsit M. h l. et infra cp. 178 et 179. *Ἀργιόπη* Cadmi mater appellatur a Schol. Ap. Rh. 3, 1185. — 3. suorum prole] I. e. sua prole, ut ait W. Munckerus praeter alia haec addit: Si quid mutari velis, non male rescripseris, sua omni prole. — 5. sunt conversi] Quo dicendi genere praeter Hyginum utuntur Claud. Quadrigar. ap. Gell. 9, 1; Schol. Stat. Th. 3, 290 aliique complures: de qua re Burm. ad Ov. Met. 1, 320. — Cap. VII. v. 7. Antiopa] Apollod. 3, 5, 5; Paus. 2, 6, 26; 9, 5, 17; Schol. Ap. Rh. 4, 1090; Myth. Vat. I. 97; II. 74. Hyginum exscripsit Schol. Stat. Th. 4, 570. De fragm. Antiopae Eurip. cf. Valckenaer in Diatr. c. 7; Matthiae p. 65 sqq. [A. Nauck. Fragm. tragic. Graec. p. 326 sqq.] — Nyctei] Apollod. l. c.; Propert. 3, 13, 12. Alii Asopi filiam appellant. Ap. Rh. 1, 735 ibique Schol. — Epopeo] Omnes scribunt Epapho. Epaphus est etiam cp 8; item ap. Schol. Stat. l. c. et Myth. Vatt. pluribus locis. Infra cp. 157 vulgo Ephoceus. Epopei nomen ubique restitui; id quod iam Mic. voluerat. Res autem ita sese habet. Epaphus, Jovis filius, in Aegypto regnasse dicitur (Apollod. 2, 1, 4; Hyg. cp. 149), Epopeus contra, Neptuni filius (Apollod. 1, 7, 4: 3, 5, 5; Hyg. cp. 157) fuit Sicyonis rex — 15. edere] Mic. supplendum putat peperitque gemellos. — 16. Zeton] Mallem Zethum: cf. cp. 8, 9. 76, 155. — *ἀπὸ* etc.] Eadem in Etym. M. v. *Ζῆθος*. — 20. Cithaerone] vulg. Citherone. — Dircaeus] Sic corr. M. — Cap. VIII. Antiopa] Plura de hac dixi ad cp. 7. [De Ennii quae fertur Antiopa v. O. Ribbeck. Tragic. Latin. reliqu. p. 279.] — bonitate] I. e. praestantia, ut ait M. — 24. Juppiter] vulg. Jupiter. —

Digitized by Google

vellet propter stuprum, minitans periculum Antiopa effugit. Casu in eodem loco, quo illa pervenerat, Epopeus Sicyonius stabat. Is mulierem advectam domo matrimonio suo iunxit. Id Nycteus aegre ferens, cum moreretur, Lyco fratri suo per obtestationem mandat, cui tum regnum relinquebat, ne impune Antiopa ferret. Huius post mortem Lycus Sicyonem venit. Interfecto Epopeo, Antiopam vinctam abduxit. In Cithaerone parit geminos et reliquit. Quos pastor educavit, Zethum et Amphionem nominavit. Antiopa Dircae, uxori Lyci, data erat in cruciatum. Ea, occasione nacta, fugae se mandavit. Devenit ad filios suos. Ex quibus Zethus existimans fugitivam, non recepit. In eundem locum Dirce per bacchationem Liberi illuc delata est. Ibi Antiopam repertam ad mortem extrahebat. Sed ab educatore pastore adolescentes certiores facti, eam esse matrem suam, celeriter consecuti matrem eripuerunt. Dircen ad taurum crinibus religatam necant. Lycum cum occidere vellent, vetuit eos Mercurius, et simul iussit Lycum concedere regnum Amphioni.

IX. Niobe.

Amphion et Zethus, Iovis et Antiopes Nyctei filii, iussu Apollinis Thebas muro circumcinxerunt usque ad Semeles bustum, Laiumque, Labdaci regis filium, in exilium eiecerunt. Ipsi ibi regnum obtinere coeperunt. Amphion in coniugium Niobam, Tantali et Diones filiam, accepit. Ex qua procreavit liberos septem totidemque filias. Quem partum Niobe Latonae anteposuit, superbiusque locuta est in Apollinem et Dianam, quod illa cincta viri cultu esset, et Apollo vestem

---

2. Epaphus. 4. Nyctaeus. 6. Sycionem. 7 Epapho. — adduxit in Cytheronem: parit. 9. Zetum. — Dirce. 11. Zetus. 20. Zetus. 21. ad Seme*dustum. 24. Dionei.

---

1. minitans] Tollius vult: instans; B. 'vitans periculum, A. e.' Munckerus, monente Sch., sic scripsit: vellet, propter stuprum minitans, periculum etc. — 2. Epopeus] Sic scripsi pro Epaphus; de qua re iam antea dixi ad cap. 7. — 3. stabat] H. e., ut M. ait, commorabatur, diversabatur, manebat dum domo aberat. — domo] Puto legendum domum. Possis obiicere mihi, similia etiam aliis locis apud Hyginum legi, ut cap. 14 et 108, sed mihi et illa in suspicione sunt. Vitium ex compendio scripturae ortum arbitror. Sch. voluit h. l. domom. — 5. [tum] 'suum' coni. A. Nauckius l. c.] [V. 6. ne impune Antiopa ferret] 'ne impunem Antiopam ferret,' coni. A. Nauckius sine idonea causa.] 7. Epopeo] vulg. Epapho. — abduxit] Sic scripsi pro adduxit; id quod iam Sch. et M. voluerant. Idem vitium multis aliis locis apud Hyginum deprehendimus; cf. cp 64, 84, 121, 122, 173. — In Cithaerone] Sic scripsi ex coniectura. Vulgo in Citheronem; Sch. voluit Ea in Cytherone. — 8. reliquit] M. vult: relinquit. Quod probandum videtur. — 9. Zethum] Sic correxi h. l. et alibi. — [10. occasione] 'occasionem' coni. O. Ribbeck. l. c.] [12. post 'existimans' lacunam fecit O. Ribbeck. l. c.] — 13. bacch. Lib.] I. e. insaniam a Libero obiectam. — illuc] M. delendam putat hanc vocem, quoniam praecedunt illa 'in eundem locum.' ['tunc' coni. A. Nauckius l. c.] — Cap. IX. Niobe] Apollod. 3, 5, 5 sq. — 20. Zethus] vulg. Zetus. — 21. Semeles] M. et St. scribunt Semelae. Assentior Barthio, qui legendum putat Semeles. Hygino enim nominativus est Semele, non Semela; cf. cp. 5 et 155. Genitivus Semeles reperitur etiam cp. 167. — 24. Diones] Sic M. corr.; cf cp. 82 sq. — 25. liberos] I. e. filios. — 27. cincta v. c.] I. e. alte cincta, ut viri solent. Sic M. —

Digitized by Google

deorsum*, atque crinitus, et se numero filiorum Latonam superare. Ob id Apollo filios eius in silva venantes, sagittis interfecit in monte Sipylo, et Diana filias in regia sagittis interemit praeter Chloridem. At genetrix liberis orba, flendo lapidea facta esse dicitur in monte Sipylo, eiusque hodie lacrimae manare dicuntur. Amphion autem cum templum Apollinis expugnare vellet, ab Apolline sagittis est interfectus.

X. Chloris.

Chloris, Niobes et Amphionis filia; quae ex septem superaverat. Hanc habuit in coniugem Neleus, Hippocoontis filius. Ex qua procreavit liberos masculos duodecim. Hercules cum Pylum expugnaret, Neleum interfecit, et filios eius decem; undecimus autem, Periclymenus, beneficio Neptuni avi, in aquilae effigiem commutatus, mortem effugit. Nam duodecimus, Nestor in Ilio erat. Qui tria secula vixisse dicitur beneficio Apollinis; nam quos annos Chloridis fratrum Apollo eripuerat, Nestori concessit.

XI. Niobidae.

Neaera, Tantalus, Ismenus, Eupinytus, Phaedimus, Sipylus, Chias, Chloris, Astycratia, Siboe, Sictothius, Cleodoxa, Archenor, Ogygia. Hi sunt filii et filiae Niobae, uxoris Amphionis.

---

2. sylva. 6. lachrymae. — manere. 10. Chloris in urbe Seti Amphionis. 12. masculos XII. 14. Periclymenis. 17. Chloris et fratrum. 20. Lerta, Tantalus. — Eupinus. — Sipulus. — Chiade. 21. Astygratia. — Eudoxa. 22. Ogigia.

---

1. deorsum] Mic. supplet haberet; B. aliique ex praecedentibus repetere iubent cinctus. — et se] Sch. vult: at se. Non assentior. — 3. Sipylo] Propert. 2, 16, 8; Schol. Stat. Th. 6, 124; Serv. ad Ecl. 5, 66. — 5. eiusque h.] M. mavult: Eius hodieque. — 6. lacrimae] Alii lachrymae, vel lacrymae. — manare] Sic corr. M. — Cap. X. Chloris] Apollod. 1, 9, 9; 2, 7, 3. — 10. Niobes et] Sic corr. M. Idem voluerant Sch. et Salm. — 11. Neleus Hipp.] Eadem cp. 14 et 31. In fine autem huius capitis avus Periclymeni, Nelei filii, vocatur Neptunus; quae vulgaris fama est. Item cp. 157 Neleus Neptuni et Tyrus, Salmonei filiae, filius appellatur. — 14. Periclymenus] Sic corr. M. Antea legebatur Periclymenis, vel Periclymenes. Meminerunt huius Periclymeni Hom. Od. 11, 286; Ap. Rh. 1, 156; Hyg. cp. 14. Alius Periclymenus fuit Neptuni filius; Eur. Phoen. 1157; Apollod. 3, 6, 8; Hyg. cp. 157. — in aquilae eff.] Ov. Met. 12, 536 sqq.; Lact. arg. 12, 5. — 15. Nam] Melius sic legeretur: Nam undecimus .... effugit; duodecimus autem etc. — 16. in Ilio] M. vult in Pylo non; B. in exilio, vel, si hoc minus placeret, Gerenii. — 17. Chloridis fratrum] Sic emendavi ex sententia Periz. — 18. eripuerat] Apollinem filios Niobes, fratres Chloridis interfecisse, tradit Hyg. cap. 9. — Cap. XI. Niobidae] De numero et nominibus liberorum Niobes dissentiunt scriptores; de qua re Gell. N. A. 20, 7; Heyne ad Apollod. 3, 5, 6. Nomina earum praeter Hygnum afferunt Eur. Phoen. 160; Apollod. l. c.; Ov. Met. 6, 224; Schol. Stat Th. 3, 191; Myth. Vat. I, 156; Hyg. infr. cp. 69. — 20. Neaera] Sic correxi ex Apollod. aliisque. Idem restitui cp. 69. — Eupinytus] Sic legitur ex emendatione M. — Chias] Sic scripsi ex Hyg. cp. 69 aliisque. Idem voluit M. — 21. Chloris] Hyg. cp. 9, 10, 69. — Astycratia] Sic M. corr. — Siboe] Infra cp. 69 Astynome vocatur. Apollodoro l. c. est Astyoche. — 21. Sictothius] Sch. vult Damasichthon; quod probandum videtur. — Cleodoxa] Sic corr. M. ex Hyg. cp. 69 aliisque. — Archenor] Ab Ovidio Alphenor vocatur; ab Apollod. l. c. Agenor, a Schol. Stat. et Myth. Vat. I, l. c. Archemorus. Sch. vult: Agenor. — 22. Ogygia] Sic corr. M.

Digitized by Google

XII. Pelias.

Peliae, Crethei et Tyrus filio, responsum erat, ut Neptuno sacrum faceret, et si quis monocrepis, id est, uno pede calceatus supervenisset, tum mortem eius appropinquare. Is cum annua sacra faceret Neptuno, Iason, Aesonis filius, fratris Peliae, cupidus sacra faciendi, dum flumen Euhenum transiret, calceamentum reliquit; quod, ut celeriter ad sacra veniret, neglexit. Id Pelias inspiciens, memor sortium praecepti, iussit eum pellem arietis, quam Phrixus Marti sacraverat, inauratam, Colchis ab rege Aeeta hoste petere. Qui convocatis Graeciae ducibus, Colchos est profectus.

XIII. Juno.

Juno cum ad flumen Euhenum in anum se convertisset, et staret, ad hominum mentes tentandas, ut se flumen Euhenum transferrent, et id nemo vellet, Iason, Aesonis et Alcimedes filius eam transtulit. Ea autem irata Peliae, quod sibi sacrum intermiserat facere, effecit, ut Iason unam crepidam in limo relinqueret.

XIV. Argonautae convocati.

Iason, Aesonis filius et Alcimedes, Clymenes filiae, Thessalorum dux. Orpheus, Oeagri et Calliopes Musae filius, Thrax, urbe Pieria, quae est in Olympo monte, ad flumen Enipeum;

---

2. Cretei. 3. calciatus. 6. calciamentum. 8. inspicies. 9. Phryxus. 20. Climeni. — et Thessalorum. 22. Fleuia.

Cap. XII. Pelias] Apollod. 1, 9, 16; Schol. Stat. Th. 3, 518; 5, 336; Serv. ad Ecl. 4, 34. Hyginum exscripsit Schol. Stat. Th. 3, 518. — 2. Crethei] Sic corr. M. — ut] Periz. vult: ubi. Schol. Stat. l. c. cum Neptuno sacrificaret — 3. id est etc.] Sch. et M. putant haec et similia a librariis addita esse. Non assentior. — calceatus] Sic corr. M. — 6. Euhenum] Ita et infr. cp. 13 et apud Schol. Stat. Th. 5, 336, sed lectio corrupta esse videtur. Euenus enim fluvius Aetoliae erat, non Thessaliae. Meziriac. ad Ovid. Tom. 2, p. 26 aliique legendum putant Anaurus ex Ap. Rh. 1, 9; Apollod. l. c. aliisque. Idem hoc invenit Tiliobroga in libro Ms. Schol. Stat. l. c. — calceamentum] Sic corr. M. — 9. Phrixus] Sic correxi. — Cap. XIII. Juno] Ap. Rh. 3, 67 sqq.: Serv. ad Ecl. 4, 34; Hyg. cap. 22. Fortasse ea, quae hoc loco narrantur, a librario aliquo addita sunt. Omnia enim bene procedunt, si post cap. 12 statim sequitur catalogus Argonautarum. — 13. Euhenum] De hoc iam paulo antea dixi ad cap. 12. Infra cp. 22 nomen fluvii non additur. — staret] H. vult: instaret; Sch. ex cap. 22 oraret. — 14. Euhenum] Male fluvii nomen h. l. repetitur. — Cap XIV. Apollod. 1, 9, 16: Ap. Rh., Orpheus et Val. Flacc. in Argon.: P. Burmann in catalogo Argonautarum. Hyginus in plurimis Apollonii auctoritatem secutus est. — 20. Clymenes] Sic scripsi h. l. et in fine huius capitis. M. voluit h. l. Clymenes Minyae filiae. — Thessalorum] Vulgo et Th. Emendavi ex sententia Sch. — 21. Oeagri et Call.] Ap. Rh. 1, 23. Alii alia prodiderunt. — 22. Pieria] Sic correxi ex Ap. Rh. 1, 34. Idem praeter alia Munckero venerat in mentem. —

Digitized by Google

Martis citharista. Asterion, Pyremi filius, matre Antigona, Pheretis filia, ex urbe Pellene. Alii aiunt Prisci filium, urbe Piresia, quae est in radicibus Phyllei montis, qui est in Thessalia, quo loco duo flumina, Apidanus et Enipeus, separatim proiecta in unum conveniunt. Polyphemus, Elati filius, matre Hippe, Antippi filia, Thessalus, ex urbe Larissa, pedibus tardus. Iphiclus, Phylaci filius, matre Clymene, Minyae filia, ex Thessalia, avunculus Iasonis. Admetus, Pheretis filius, matre Periclymene, Minyae filia, ex Thessalia, monte Chalcodonio, unde oppidum et flumen nomen traxit. Huius Apollinem pecus pavisse ferunt. Eurytus et Echion, Mercurii et Antianirae, Meneti filiae, filius, ex urbe Alope, quae nunc vocatur Ephesus. Quidam auctores Thessalos putant. Aethalides, Mercurii et Eupolemiae, Myrmidonis filiae, filius. Hic fuit Larissaeus. [Coronus, Caenei filius] urbe Gyrtone, quae est in Thessalia. Caeneus, Elati filius, Magnesius. Hic ostendit nullo modo Centauros ferro se

---

1. cytharista. 2. Peline. 3. Phyllaci. 6. Hippea. 7. Periclymene. 9. Minois. 10. Calcodonio. 12. Antreatae Mereti. 13. Ehesus. — autores. 14. Ethalides. — Mirmydonis. 15. Coronus, Caenei filius om. 16. Thessalia. Hic ostendit nullo modo Centauros ferro se posse vulnerare, sed truncis arborum in cuneum adactis. Caenus Elati filius, Magnesius, hunc nonnulli foeminam fuisse dicunt. Cui etc.

---

1. Martis] Sch. vult: arte; M. acris. Fortasse legendum mantis, ut St. coniecit. Orpheus μάντις appellatur a Schol. Ap. Rh. 2, 686. Voce mantis usus est Hyginus etiam cp. 190. — Asterion P.] Ap Rh 1, 35 Argonautarum expeditioni interfuisse scribit Asterium, Cometae filium, ex urbe Piresia, quae est etc.; et alio loco (1, 176) Asterium, Hyperasii filium, ex Pallene. Hyginus alios de hac re auctores secutus esse videtur. Quae vero de Argonautis commemoratis in Hygini libro leguntur, magnam partem corrupta sunt. Fortasse h. l. sic legendum: Asterion, Hyperasii etc. Alii aiunt Cometae filium etc. Et infra: Asterion et Amphion .... filii (alii aiunt Hyperasii) ex Pellene.“ Atque ita si scribitur, Apollonii sententia refutatur. Quod et in aliis huius capitis locis factum esse, facile potest demonstrari. — 2. Pellene] Sic corr. St ex sententia M. — 3 Piresia etc.] Ap. Rh. 1, 35 sq. — Phyllei] Sic corr. M. — 6. Hippe] Sic scripsi ex coniectura. Vulgo Hippea; sed ultima littera sine dubio ex voce sequenti adhaesit. Simili modo supra p. 28, 10 olim legebatur Cymothoea, Actaea pro Cymothoe, Actaea. Ceterum sciendum, alios scriptores huius Hippes eiusque patris non meminisse. — Antippi] Melius fortasse est Anthippi ex Gr. Ἄνθιππος. — 7. pedibus tardus] Ap. Rh. 1, 43. — Iphiclus etc.] Schol. Ap. Rh. 1, 45; Heyne ad Apollod. 1, 9, 12. — Clymene] Sic scripsi ex Schol. Ap. Rh. l. c aliisque. Periclymene et Clymene, Periclymenus et Clymenus etiam in Mss. Graecis saepius confunduntur. Sch. voluit h. l. matre vero Clymene. — 9. Periclymene] Alii etiam hanc Clymenen appellant, ut Schol. Eur. Alc. 17. — Minyae] Sic St. corr. Idem iam Mic. voluerat. Etiam in Graecis libris Mss. male nonnunquam Μίνωος pro Μινύου. — 10. Chalcodonio] Sic corr. M. ex Ap. Rh. 1, 50. — 12. Antianirae M.] Sic corr. M. ex Ap. Rh. 1, 56. Idem voluerat Sch. — filius] Ita etiam infra p. 40, 18. — 13. quae etc.] Burmann l. c. e glossemate haec esse putat. — Ephesus] Sic corr. M. ex Plin. H. N. 5, 29. Idem voluerat Sch. — 14. Aethalides] Ita recte L. et St.; male olim Ethalides. Graece Αἰθαλίδης vocatur. — 15. Coronus etc.] Haec addidi ex Ap. Rh. 1, 57. Idem voluit M. — 16. Caeneus etc.] Haec verba transposui, monente Sch. — Hic .... adactis] Haec glossatoris esse putat M. —

Digitized by Google

posse vulnerare, sed truncis arborum in cuneum adactis. Hunc nonnulli feminam fuisse dicunt; cui petenti Neptunum, propter connubium, optatum dedisse, ut in iuvenilem speciem conversus, nullo ictu interfici posset. Quod est nunquam factum, nec fieri potest, ut quisquam mortalis non posset ferro necari, aut ex muliere in virum converti. Mopsus Ampyci et Chloridis filius. Hic augurio doctus ab Apolline, ex Oechalia, vel, ut quidam putant, Titarensis. Eurydamas, Iri et Demonassae filius; alii aiunt Ctimeni filium, qui iuxta lacum Xynium [Ctimenen] Dolopeidem urbem inhabitabat. Theseus, Aegei et Aethrae, Pitthei filiae, filius a Troezene: alii aiunt ab Athenis. Pirithous, Ixionis filius, frater Centaurorum, Thessalus. Menoetius, Actoris filius, Opuntius. Eribotes, Teleontis filius. Ameleon. Eurytion, Iri et Demonassae filius. Ixition. [Canthus ... filius] ab oppido Cerintho. Oileus, Leodaci et Agrianomes, Perseonis filiae, filius, ex urbe Naryce. Alii aiunt ex Euboea. Clytius et Iphitus, Euryti et Antiopes, Pylonis filiae, filius, reges Oechaliae. Hic concessa ab Apolline sagittarum scientia, cum

---

8. Lyparensis. 9. quia. 10. Ctimenen om. 11. Pytthei. 12. Pirythous. 13. Amponitus. 15. Ixition ab oppido Cerintho. 17. Naricea.

---

1. in cuneum ad.] Sch. coni. in cumulum adiectis; M. ex Lact. arg. 12, 4 in eum coniectis vel congestis. Mea sententia, vox adactis h. l. minime offendit; idem enim significat quod congestis. Fortasse olim sic legebatur: in eum adactis.' Postea i. m. quis addidit Caeneum; et inde ortum est cuneum. — 3. connubium] i. e. concubitum, ut ait M. — ut etc.] Lact. arg. l. c. — 4. Quod etc.] Glossatoris haec esse putant Sch. et M. — 8. Titarensis] Sic corr. M. ex Ap. Rh. 1, 65. — 9. alii etc.] Ap. Rh. 1, 67. — qui] Sic corr. M., monente Sch. — 10. Ctimenen] Hoc nomen addidi ex Ap. Rh. 1, 68. Non enim verisimile mihi esse videtur, Hyginum nomen urbis omisisse. — 11. Theseus] Secundum Ap. Rh. 1, 101 Theseus et Pirithous Argonautarum expeditioni non interfuerunt. — Pitthei] Sic corr. M. — 12. Pirithous] Sic corr. Comm. — 13. Opuntius] Ita rescripsi pro Amponitus, ex Ap. Rh. 1, 69. Sch. et M. voluerunt Opontius. — 14. Eribotes] Herodorus in Argonauticis, ut ait Sch. Ap. Rh. 1, 71, hunc Eurybaten appellavit. Euribates vulgo legitur in sqq. Qua de causa coniicit Sch., etiam h. l. ita esse reponendum. Sed non ita est. Hyginus enim in iis, quae de Eribote prodidit, Apollonii auctoritatem sequitur: Herodori autem Argonauticis nusquam usus est. Inde probabile fit, mea sententia, in utroque Hygini loco scribendum esse Eribotes. — Teleontis] Alius Teleon est Butae pater; de quo in sqq. — Ameleon] Ni fallor, in hac voce latet nomen loci, unde Eribotes venerat. Sch. vult Amilius. Quid hoc sibi velit, nescio. — 15. Ixition] Lectio corrupta est. Fortasse inest nomen loci, unde Eurytion venerat; et scribendum ex .... — Canthus etc.] Sic emendavi ex Ap. Rh. 1, 77. Canthi nomen excidisse, iam Mic. et Sch. viderunt. M. coniecit: Canthus Ceriontis filius. Sane Ceriontis filius appellatur in sqq.: sed lectio ibi sine dubio est corrupta. Apud Ap. Rh. l. c. Canethus pater Canthi vocatur, et ita fortasse etiam apud Hyginum utroque loco legendum est. — 16. Oileus etc.] Quae hinc sequuntur, corrupta sunt. — Perseonis] Fortasse legendum Peronis. Pero fuit uxor Biantis, mater Leodoci. Ap. Rh. 1, 119. Leodocus autem et Areius, Biantis filii, ab Apollonio in Argonautarum numerum referuntur. — 17. Naryce] Sic scripsi pro Naricea. Ultima littera ex sequenti voce adhaesit; quod et aliis locis factum videmus. — Alii etc.] Mic. haec ad Canthum referenda, ideoque transponenda esse putat. — 19. Hic etc.] Haec referenda sunt ad Eurytum. M. e. glossemate haec esse censet. —

Digitized by Google

auctore muneris contendisse dicitur. Huius filius Clytius ab Aeeta interfectus est. Peleus et Telamon, Aeaci et Endeidos, Chironis filiae, filii, ab Aegina insula. Qui ob caedem Phoci fratris, relictis sedibus suis, diversas petierunt domos: Peleus Phthiam, Telamon Salamina, quam Apollonius Rhodius Ἀτθίδα νῆσον vocat. Butes, Teleontis et Zeuxippes, Eridani fluminis filiae, filius, ab Athenis. Phaleros, Alconis filius, ab Athenis. Tiphys, Phorbantis et Hyrmines filius, Boeotius. Is fuit gubernator navis Argo. Argus, Polybi et Argiae filius; alii aiunt Danai filium. Hic fuit Argivus, pelle taurina ab inguine adopertus. Is fuit fabricator navis Argo. Phliasus, Liberi patris et Ariadnes, Minois filiae, filius, ex urbe Phliunte, quae est in Peloponneso; alii aiunt Thebanum. Hercules, Jovis et Alcmenae, Electryonis filiae, filius, Thebanus. Hylas, Thiodamantis et Menodices Nymphae, Orionis filiae filius, ephebus ex Oechalia; alii aiunt ex Argis comitem Herculis. Nauplius, Neptuni et Amymones, Danai filiae, filius, Argivus. Idmon, Apollinis et Cyrenes Nymphae filius (quidam Abantis dicunt) Argivus. Hic augurio prudens, quamvis praedicentibus avibus mortem sibi denuntiari intellexit, fatali tamen militiae non defuit. Castor et Pollux, Jovis et Ledae, Thestii filiae,

1. autore. 2. Paeneidos Ceptionis. 3. Aegyna. 5. Pelaeus. — Salaminam. 6. Atthida vocat. 8. Alcontis. 9. Hymanes. — Boëtius. 11. taurina lanugine. 14. Alcimenae. 15. Theodamantis. 16. Oreonis.

2. Endeidos Chironis] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. Cf. Apollod. 3, 12, 6; Schol. Hom. Il. 16, 14; Plut. Thes. 10. — 3. Aegina] Sic corr. Comm. — ob caedem Phoci] Ap. Rh. 1, 92; Apollod. 3, 12, 6. — 5. Peleus] Sic corr. Comm. — Salamina] Ita legendum puto. Hyginum declinasse Salamina, Salaminae, ex aliis locis probari non potest. Nominativus Salamin reperitur cp. 173; ablativus Salamine cp. 96. — Apollonius] Arg. 1, 93. — Ἀτθίδα ν.] Ita rescripsi pro Atthida. Graeca vocabula in codice Micylli multis locis scripta videntur litteris Latinis. Plura restitui ex coniectura. — 7. Eridani] Burmann. l. c. coni. Apidani. — 8. Alconis] Sic corr. M. ex Schol. Ap. Rh. 1, 97. Idem voluit Sch. — Phorbantis] Ita etiam cp. 18. Alii Tiphyn Agnii filium fuisse scribunt, ut Ap. Rh. 1, 105; Apollod. 1, 9, 16. Secundum Schol. Ap. Rh. 1, 172 Augeas fuit filius Phorbantis et Hyrmines — 9. Hyrmines] Sic scripsi ex Schol. l. c. Idem voluit Burmann. l. c. — Boeotius] Sic corr. C. — Argo] Ita etiam in sqq. pro Argus. Mea sententia, haec et similia negligentiae vel stupori librariorum tribuenda sunt. Aliis locis recte Ino, Inus; Theano, Theanus. — 10. Argus] Hic Arestoris filius appellatur ab Ap. Rh. 1, 112. Alius fuit Argus Phrixi; de quo Ap. Rh. 2, 1157 et Hyginus in sqq. — Polybi etc.] Alii alia tradiderunt; de qua re Burm. l. c. et ad Ov. Met. 1, 624. — Danai] Ita et in seqq. M. coni. Inachi ex Apollod. 2, 1, 3. — 11. ab inguine] Ita legendum puto pro lanugine. Alii alia coniecerunt. Inguen eodem sensu reperitur cap. 125 et 199. — 12. Phliasus] Ab Ap. Rh. 1, 115 et Paus. 2, 12, 16 Φλίας appellatur; a Schol. Ap. Rh. l. c. et Steph. Byz. Φλιοῦς. — 14. Alcmenae] Sic corr. Comm. Eadem aliis locis Alcumena vocatur; cf. cp. 29, 155, 224 et 240. — 15. Thiodamantis] Apollod. 1, 9, 19; Schol. Ap. Rh. 1, 131; Prob. ad Verg. Ge. 3, 6. Vulgo h. l. et cap. 271 Theodamantis. Sed melius est Thiodamantis. — 16. Menodices] M. vult Mecionices Nymphae, Orionis etc., ex Tzetz. Chil. 1, 43. — Orionis] Sic corr. M. — 17. ex Argis] Theocr. id. 13, 49. —

Digitized by Google

filius, Lacedaemonii (alii Spartanos dicunt) uterque imberbis. His eodem quoque tempore stellae in capitibus ut viderentur, accidisse scribitur. Lynceus et Idas, Apharei et Arenae, Oebali filiae, filii, Messenii ex Peloponneso. Ex his Lynceus sub terra quaeque latentia vidisse dicitur, neque ulla caligine inhibebatur; alii aiunt, Lynceum noctu multum vidisse. Idem sub terra solitus cernere dictus est ideo, quod aurifodinas norat. Is cum descendebat et aurum subito ostendebat, ita rumor sublatus, eum sub terra solitum videre. Item Idas acer, ferox. Periclymenus, Nelei et Chloridis, Amphionis et Niobes filiae, filius. Hic fuit Pylius. Amphidamas et Cepheus, Alei et Cleobules filii, de Arcadia. Ancaeus, Lycurgi filius (alii nepotem dicunt), Tegeates. Augeas Solis et Naupidames, Amphidamantis filiae, filius. Hic fuit Eleus. Asterion et Amphion, Hyperasii filii (alii aiunt Hippasi), ex Pellene. Euphemus, Neptuni et Europes, Tityi filiae, filius, Taenarius. Hic super aquas sicco pede cucurrisse dicitur. Ancaeus alter, Neptuni filius, matre Alta Cathesti filia, ab Imbraso insula, quae Parthenia appellata est, nunc autem Samos dicitur. Erginus, Neptuni filius, a Mileto; quidam Periclymeni dicunt, Orchomenius. Meleager, Oenei et Althaeae, Thestii filiae, filius (quidam Martis putant). Calydonius. Laocoon, Parthaonis filius, Oenei frater, Calydonius. Iphiclus alter, Thestii filius, matre Leucippe, Althaeae frater ex eadem matre, Lacedaemonius. Hic fuit Arcas cursor, iaculator. Iphitus, Nauboli filius, Phocensis; alii Hippasi filium, ex Peloponneso fuisse dicunt. Zetes et

---

4. Bibali. 6. nullum vidisse. 10. Periclimenus. — Nilei. 11. Amphinois — Amphidamus. 12. Egei et Cleobules. 15. fuit electus. — Ypetacli filii. 16. Hipasi. 21. Periclimeni. — Orchamenius. 23. Porthaonis. 25. Altheae.

---

1. alii etc.] Glossema putidum, ut ait M. — 4. Oebali] Sic corr. St., monente Munckero. — 6. multum] Sic scripsi ex sententia Barthii. In fine huius cap. haec leguntur: Lynceus, A. fil., qui multum videbat. — 7. quod etc.] M. putat, haec ex Palaeph. cp. 10 huc translata esse. — 10. Item etc.] Haec glossam sapere putant Sch. et M. — Periclymenus] Sic corr. Comm. — Nelei] Sic corr. M. — 11. Amphidamas] Ita recte M. ex Ap. Rh. 1, 161. — 12. Alei] Sic scripsit M. ex Ap. Rh. 1, 163. — de Arcadia] De hoc dicendi genere plura dixi in Prolegg. — 15. Eleus] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. Cf. Ap. Rh. 1, 173. — Asterion] Hic ab aliis Asterius vocatur, ut iam supra indicavi ad p. 39, 1. — Hyperasii etc.] Sic corr. M. Aliam de hac re sententiam proposui supra ad p. 39, 1. — 18. Alta Cathesti] Astypalaea, Phoenicis filia est Apollod. 2, 7, 1; Paus. 7, 4, 1: Schol. Ap. Rh. 2, 866; Hyg. cp. 168. Heinsius h. l. vult: Althaea Thestii. — 20. nunc etc.] Schol Ap. Rh. 1, 186; Lact. Firm. 1, 17. — 21. Periclymeni] Fortasse legendum Clymeni; quod et Munckero venit in mentem. Cf Schol. Ap. Rh. 1, 187. — 23. Parthaonis] Olim h. l. Porthaonis, aliis autem locis Parthaon, Parthaonis legebatur. M. ubique Parthaon, Parthaonis scripsit. — 25. ex etc.] M. haec addit: Sustuli incisum ante haec verba. Frater ex eadem matre est *ἀδελφὸς ὁμομήτριος*. — 26. Arcas] Mic. coniicit artificiosus; M. acris cursor, id est velox; Sch. arte cursor ac iaculator. —

Digitized by Google

Calais, Aquilonis venti et Orithyiae, Erechthei filiae, filii. Hi capita pedesque pennatos habuisse feruntur, crinesque caeruleos, qui pervio aëre usi sunt. Hi aves Harpyias, tres Thaumantis et [Electrae] Oceanines filias, Alopien, Acheloen, Ocypeten fugaverunt a Phineo, Agenoris filio, eodem tempore, quo Iasoni comites ad Colchos proficiscebantur. Quae inhabitabant insulas Strophadas in Aegaeo mari, quae Plotae appellantur. Hae fuisse dicuntur capitibus gallinaceis, pennatae, alasque et brachia humana, unguibus magnis, pedibusque gallinaceis, pectus album, feminaque humana. Hi autem, Zetes et Calais, ab Hercule telis occisi sunt. Quorum in tumulis superpositi lapides flatibus paternis moventur. Hi autem ex Thracia fuisse dicuntur. Focus et Priasus, Caenei filii, ex Magnesia. Eumedon, Liberi patris et Ariadnes, Minois filiae, filius, a Phliunte. Palaemonius, Lerni filius, Calydonius. Actor, Hippasi filius, ex Peloponneso. Thersanon, Solis et Leucothoes filius, ex Andro. Hippalcimos, Pelopis et Hippodamiae, Oenomai filiae, filius, ex Peloponneso, a Pisis. Asclepius, Apollinis et Coronidis filius, a Tricca. [Amphiaraus, Oiclei filius, matre Hypermnestra] Thestii filia, Argivus. Neleus, Hippocoontis filius, Pylius. Iolaus, Iphicli filius, Argivus. Deucalion, Minois et Pasiphaes, Solis filiae filius, ex Creta. Philoctetes, Poeantis filius, a Meliboea. Caeneus alter, Coroni filius, Gyrtone. Acastus Peliae et Anaxibiae, Biantis filiae, filius, ex Iolco,

1. Erichthei. 4. Thaumantis et Ozomenes filias. 7. Aegeo. 10. foemina. 11. Zethes. 13. esse. 16. Calidonius. 18. Enomai. — Peloponnesa Apisis. 19. Coronidis filius. Atriacha Thestii filia, Argivus. 21. Mileus. 24. Ceneus alter Coronis filius, Coryna. 25. Anaxabiae Dymantis. — Iolcho.

1. Erechthei] Sic corr. M. h. l. et multis aliis locis. — 4. Electrae] Hoc nomen addidi ex coniectura. De Electra iam supra dixi ad p. 28, 1 et 31, 4. — Oceanines] Sic scripsi ex sententia Periz. Sciendum tamen, Hyginum aliis locis hac voce non uti. Oceanitides appellantur Oceani filiae supra p. 27, 12. Singularis Oceanitis reperitur cp. 154. — Alopien etc.] Ita rescripsi ex A.; Munkkerus et St. sic: Aëllopum (cf. Apollod. 1, 9, 21), Acholoen, Ocypeten. Sed haec emendatio mihi non placet. Fortasse legendum: Aëllonem, Celaenonem, Ocypeten. Ita enim vulgo appellantur. Plura de Harpyiis iam antea dixi ad p. 31, 4. — 7. Aegaeo] Sic corr. M. — 8. pennatae etc.] Sch. vult pennatae, alisque et unguibus magnis, pedibusque gallinaceis: brachia humana, pectus album, feminaque humana habuisse. — femina] Sic corr. Comm. — 11. Zetes] Sic corr. M. — Quorum etc.] Ap. Rh. 1, 1306. — 13. fuisse] Ita legendum arbitror. — Focus et Priasus] Haec nomina corrupta sunt. Mic. pro Focus voluit Phocus. — 15. Palaemonius] Ap. Rh. 1, 202: Orph. 211. Ab Apollod. 1, 9, 16. Palaemon vocatur. — 16. Calyd.] Sic corr. Comm. Munckerus vult Olenius, ex Ap. Rh. 1, 202. — Thersanon] Hoc nomen corruptum est. Sch. coni. Philammon ex cp. 161. — 18. Pelop.] Sic corr. Comm. — 19. a Tricca] Sic correxi. M. voluit a Trica. — 20. Amphiaraus etc.] Haec addidi, monente Periz. Cf. Apollod. 1, 9, 16; Deiochus ap. Sch. Ap. Rh. 1, 139; Stat. Theb. 3, 516. — 21. Neleus] Sic corr. M. De patre Nelei supra dixi ad cp. 10. — 24. Caenus alter Coroni] Sic corr. St.; cf. Burm. in cat. Arg. v. Caeneus et ad Ov. Met. 12, 189. — Gyrtone] Sic correxi. Sch. coni. Gyrtona. Cf. Ap. Rh. 1, 57; Hyg. supra p. 39, 16. — 25. Anax. Biantis] Sic corr. M., monente Sch.; cf. cap. 51. —

Digitized by Google

duplici pallio coopertus. Hic voluntarius Argonautis accessit, sponte sua comes Iasonis. Hi autem omnes Minyae sunt appellati, vel quod plurimos eorum filiae Minyae pepererunt, vel quod Iasonis mater Clymenes Minyae [filiae] filia erat. Sed neque Colchos omnes pervenerunt, neque in patriam regressum habuerunt. Hylas enim in Mysia a Nymphis iuxta Cion flumenque Ascanium raptus est. Quem dum Hercules et Polyphemus requirunt, vento rapta navi, deserti sunt. Polyphemus ab Hercule quoque relictus, condita in Mysia civitate, perit apud Chalybas. Tiphys autem morbo absumptus est in Mariandynis in Propontide, apud Lycum regem; pro quo navem rexit Colchos Ancaeus, Neptuni filius. Idmon autem, Apollinis filius, ibi apud Lycum cum stramentatum exisset, ab apro percussus decidit. Ultor Idmonis fuit Idas, Apharei filius, qui aprum occidit. Butes, Teleontis filius, quamvis cantibus et cithara Orphei avocabatur, victus tamen est dulcedine Sirenum, et nataturus ad eas in mare se praecipitavit. Eum Venus delatum fluctibus Lilybaeo servavit. Hi sunt, qui non pervenerunt Colchos. In reversione autem perierunt: Eribotes, Teleontis filius, et Canthus, Ceriontis filius, interfecti sunt in Libya, a pastore Cephalione, Nasamonis fratre, filio Tritonidis Nymphae et Amphithemidis, cuius fuste pecus depopulabantur. Mopsus autem, Ampyci filius, ab serpentis morsu in Africa obiit. Is autem in itinere accesserat comes Argonautis, Ampyco patre occiso. Item accesserunt ex insula Aretiade Phrixi et Chalciopes, Medeae sororis, filii, Argus, Melas, Phrontis et Cytisorus; at alii aiunt vocitatos Phronius, Demoleon, Auto-

---

4. Climeni et Minyae. — filiae om. 6. Moesia. 9. Poliphemus. 10. Moesia. — Chalibas. — Thiphys. 11. Mariandinis. 16. cythara Orpheia vocabatur. 20. Euribates. 21. Cantus. — Lybia. 23. Amphitemidis. 24. Amyci. 25. Amyco. 26. insula Dia. 27. Medae. — Phrontides, Cylindrus, ut.

---

4. Clymenes etc.] Sic corr. St Idem iam M. voluerat. Clymenes nomen etiam supra restitui p. 38, 20. — 6. Mysia] Sic correxi h. l. et in sqq. Idem voluit Sch. Vid. Schol. Ap. Rh. 1, 1115; Propert. 1. 20. — 9. condita etc.] Schol. Ap. Rh. 4, 1470. — 10. Mysia] Sic scripsi h. l. et paulo antea. — Tiphys etc.] Ap. Rh. 2, 854; Hyg. cap. 18. — 11. Mariandynis] Sic corr. M. — 14. decidit] H. e. cecidit, ut ait M. — 16. Orphei av.] Emendavi ex sententia Sch. — 19. Lilybaeo] Sch. dictum putat pro in Lil.; M. pro ad Lilybaeum. Malim scribere Lilybaeum. Vid. quae dixi ad p. 36, 3. — 20. autem] Sch. vult autem hi. — Eribotes] Sic correxi ex Apollonio. De qua re iam antea dixi ad p. 40, 14. — 21. Canthus] Sic correxi ex Ap. Rh. 1, 78. — Ceriontis] Hoc nomen corruptum esse, iam antea dixi ad p. 40, 15. Canethi filius est apud Ap. Rh. l. c. — Libya] Sic corr. Comm. — 22. Cephalione] Ab Ap. Rh. 4, 1490 Caphaurus appellatur. *Κεφαλίων* nomen virorum est, sed fratrem Nasamonis ita appellatum fuisse, alii non tradunt. — 23. fuste] M. coni. furtis; H. forte; Tollius fuse. Sch. traiecta censet verba, legendumque: fuste, cuius etc. — 24. Ampyci] Sic corr. M. Idem Sch. voluerat. Cf. p. 40, 7 et cap. 128. — 27. Medeae] Sic corr. M. — Phrontis et Cytisorus] Sic scripsi ex Ap. Rh. et Apollodoro. De qua re iam antea dixi ad p. 33, 30. — 28. at] Emendavi ex sententia Sch. — Phronius etc.] Ex Ap. Rh. 2, 955 haec exspectares: Item accesserunt Deimachi filii Deileon, Autolycus, Phlogius. — Phronii alii non meminerunt. — Demoleon] M. coni. Deileon. —

Digitized by Google

lycus, Phlogius. Quos Hercules cum eduxisset habiturus comites, dum Amazonum balteum petit, reliquit terrore perculsos a Dascylo qui regis Mansuaden* filia. Hi autem, cum exirent ad Colchos, Herculem ducem facere voluerunt. Ille abnuit, sed potius Iasonem fieri oportere, cuius opera exirent omnes. Dux ergo Iason regnavit. Faber Argus, Danai filius. [Gubernator fuit Tiphys] cuius post mortem rexit navem Ancaeus, Neptuni filius. Proreta navigavit Lynceus, Apharei filius, qui multum videbat. Toecharchi autem fuerunt Zetes et Calais, Aquilonis filii, qui pennas et in capite et in pedibus habuerunt. Ad proram et remos sederunt Peleus et Telamon. Ad pitulum sederunt Hercules et Idas. Post, relicto ab eis Hercule, loco eius sedit Peleus, Aeaci filius. Ceteri ordinem servaverunt. Celeuma dixit Orpheus, Oeagri filius.

Haec est navis Argo, quam Minerva in sideralem circulum retulit, ob hoc, quod ab se esset aedificata, ac primum in pelagus deducta. Est haec navis in astris apparens a gubernaculo ad velum. Cuius speciem ac formam Cicero in Phaenomenis exponit his versibus:

At Canis ad caudam serpens praelabitur Argo,
Conversam prae se portans cum lumine puppim.
Non aliae naves ut in alto ponere proras

---

7. Gubernator fuit Tiphys om. 9. Tutarchi. 12. Thelamon. 13. Idas. Caeteri ordinem servaverunt. Celeuma dixit Orpheus, Oeagri filius. Post relicto eo ab Hercule, loco eius sedit Peleus Aeaci filius.

---

2. Amazonum] M. coni. Amazonium, vel Amazonis. Vid. infra cp. 30. — 3. Dascylo etc.] Mic. coni. Dascylo regis Mariandyni filio; M. Dascylo, Lyci, regis Mariandyni filio. Dascylus pater Lyci appellatur ab Ap. Rh., 2, 776; Apollod. 2, 5, 9. Idem nomen erat filio illius Lyci; Ap. Rh., 2, 803. — 5. oportere] sc. dixit. Quod M. subaudiendum, non addendum dicit. Apposuit praeter alia verba Justin. 31, 1 (Negantes etc.) et Phaedr. 4, 17. — 7. Gubernator etc.] Haec addidi, monente M.; cf. Hyg. cap. 18. — 8. Proreta] Olim sic legebatur: filius proreta, navigavit. M. corr., monente Sch. — 9. Toecharchi] Vulgo Tutarchi; quod minime est ferendum. Sch. coni. Tucarchi. Vera lectio, mea sententia, est Toecharchi ex Gr. *Τοίχαρχος*. — 12. pitulum] B. coni. placitum; Pittenius tutelam; Tollius puppim. Sine libris Mss. locus emendari non potest. Malim tamen pro pitulum scribere pitylum. Quid sit *πίτυλος*, docent Schol. Aesch. Sept. 862; Interpr. ad Ar. Ran. 1105. — De locis, quos singuli heroes in Argo navi obtinuerint, nonnulla proposuit Ap. Rh. 1, 395 sqq. Hyginus autem alios in hac re auctores secutus est. — 13. Idas etc.] Nonnulla transposui. Pittenius sic voluit legere: Ad proram sederunt Peleus et Telamon, ad tutelam Hercules et Idas; post relicto eo ab Hercule, loco ejus sedit Peleus Aeaci filius. Caeteri ad remos ordinem servaverunt. — 14. celeuma] Graece *κέλευμα* et *κέλευσμα* scribitur; cf. Blomf. Aesch. Pers. 403. — 13. relicto ab eis Hercule] Emendavi ex sententia Periz.; cf. Schol. Stat. Th. 5, 453; Hyg. p. 44, 8. — 16. Haec etc.] Hyg. Astr. 2, 37; 3, 36. — 17. aedificata etc.] Vulgo: aedificata. ac. pr. i. p. deducta est haec etc. Emendavi ex coniectura Sch. — primum] M. vult: prima. — 20. versibus] cf. Arat. Phaen. 342 sqq.; Buhle, Arati Phaen. etc., Tom. 2, p. 3 sqq.; Cic. Opp. ed. I. C. Orelli, Tom. 4, p. 516 sqq.; ed. Nobbe, Lipsiae 1827, p. 1182 sq.; ed. Klotz. v. 370. Part. IV. vol. 3. p. 315.— 21. praelabitur] In Cic. est prolabitur. —

Digitized by Google

Ante solent rostris Neptunia prata secantes,
[Sed conversa retro caeli se per loca portat].
Sicut, cum coeptant tutos contingere portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautae,
Aversamque trahunt optata ad littora puppim:
Sic conversa vetus super aethera labitur Argo,
[Atque usque a prora ad celsum sine lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara videtur.]
Inde gubernaclum tendens a puppe volante
Clari posteriora Canis vestigia tangit.

Haec navis habet stellas in puppe quattuor, in gubernaculo dextro quinque, in sinistro quattuor, consimiles inter sese omnino tredecim.

XV. Lemniades.

In insula Lemno mulieres Veneri sacra aliquot annos non fecerant; cuius ira viri earum Thressas uxores duxerunt, et priores spreverunt. At Lemniades eiusdem Veneris impulsu coniuratae, genus virorum omne, quod ibi erat, interfecerunt, praeter Hypsipylen, quae patrem suum Thoantem clam in navem imposuit. Quem tempestas in insulam Tauricam detulit. Interim Argonautae praenavigantes, Lemno accesserunt. Quos ut vidit Iphinoe, custos portae, nuntiavit Hypsipylae reginae; cui Polyxo aetate constituta dedit consilium, ut eos laribus hospitalibus obligaret, hospitioque invitaret. Hypsipyle ex Iasone procreavit filios Euneum et Deipylum. Ibi cum plures dies retenti essent, ab Hercule obiurgati

---

2. Sed .... portat om. 5. Adversamque. 7. Atque .... videtur om. 14. Lemniadae. 19. Hypsipylem. 23. Polixo 24. eas. 25. Eunaeum et Deiphilum.

---

1. rostris] Ap. Cic. est rostro; quod minus placet. — 2. Sed etc.] Haec addidi ex Cic. — 5. Aversamque] Sic corr. M., monente Grotio. — 6. labitur] Ap. Cic. est vertitur. Prius praefero. Arat v. 348 ἕλκεται. — 7 Atque etc.] Haec addidi ex Cic. — 9 tendens a p. v.] Supplementum inepti hominis, ut ait Grotius. Ap. Cic. plerique sic legunt: disperso lumine fulgens; Orelli l. c. dispersum l. f. — 10. tangit] Ap. Cic. est condit. Prius cum Grotio praefero. — 11. Haec etc.] Hyg. Astr. 3, 36; Eratosth. cap. 32. — Cap. XV. Ap. Rh. 1, 609 sq. ibique Schol., Apollod. 1, 9, 17; Orph. Arg. 469 sqq.; Schol. Hom. Il. 7, 467 (quem exscripsit Apostol. Cent. 11, 98); Val. Flacc. 2, 98 sqq.: Schol. Eur. Hec. 870: Schol. Stat. Th. 4, 718; 5, 29; Myth. Vat. I, 133; II, 141. Tragoediae hac de re fuerunt Hypsipyle Aeschyli et Euripidis, et Sophoclis Lemniades. — 14 Lemniades] Vulgo h. l. Lemniadae, sed statim in seqq. Lemniades. Sciendum librarios in inscriptionibus historiarum apud Hyginum non uno loco peccasse. — 19. Hyps.] Sic corr. C. — 21. Lemno] Ni fallor, legendum Lemnum. Similia sunt illa cap. 8 advectam domo, et cap. 108 transtulerunt Tenedo. Quae itidem in suspicione mihi sunt. — 22. custos p.] Urbis Myrinae meminit Ap. Rh. 1, 604. — 23. Polyxo] Haec fuit nutrix Hypsipyles; Ap. Rh. 1, 668. — 24. eos] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — 25. Euneum] Sic corr. M. Eunei meminerunt Hom. Il. 7, 468; Apollod. 1, 9, 17. — Deipylum] Sic scripsi, monente M. Ab Apollod. l. c. alter Iasonis et Hypsipyles filius Nebrophonus appellatur: apud Stat. Th. 6, 342: Myth. Vatic. l. c. Thoantis avi nomen gerit. —

Digitized by Google

discesserunt. Lemniades autem postquam scierunt, Hypsipylen patrem suum servasse, conatae sunt eam interficere. Illa fugae se mandavit. Hanc praedones exceptam Thebas deportarunt, et regi Lyco in servitium vendiderunt. Lemniades autem quaecunque ex Argonautis conceperunt, eorum nomina filiis suis imposuerunt.

XVI. Cyzicus.

Cyzicus, Eusori filius, rex insulae Propontidis, Argonautas hospitio liberali excepit. Qui cum ab eo discessissent, totumque diem navigassent, nocte tempestate orta, ad eandem insulam ignari delati sunt. Quos Cyzicus hostes Pelasgicos arbitrans esse, cum eis noctu in littore arma contulit, et ab Iasone est interfectus. Quod postero die cum prope littus appropinquasset, et vidisset se regem interfecisse, sepulturae eum dedit, atque filiis regnum tradidit.

XVII. Amycus.

Amycus, Neptuni et Melies filius, Bebryciae rex. In huius regna qui venerat, cestibus cogebat secum contendere, et devictos perdebat. Hic cum Argonantas provocasset ad cestus, Pollux cum eo contendit, et eum interfecit.

XVIII. Lycus.

Lycus, rex insulae Propontidis, Argonautas recepit hospitio, in honorem, eo quod Amycum interfecerant, quod eum saepe inficiaretur. Argonautae dum apud Lycum morantur, et stramentatum exissent, Idmon ab apro percussus interiit.

---

8. rex in insula Propontidis. 15. tradidit atque. 18. caestis. 19. caestus. 25. et extra venatum.

---

3. Thebas] Puto legendum Nemeam, ex Hyg. cap. 74 et 273; Schol. Stat. l. c. aliisque. — 4. Lyco] Puto legendum Lycurgo h. l. et cap. 74 et 273, ex Apollod. l. c. aliisque, quos antea nominavi. — Cap. XVI. Ap. Rh. 1, 949 sqq., Apollod. 1, 9, 18. — 8. Eusori f.] Fortasse legendum Aenei, Eusori filii, filius. Ita sane Ap. Rh. l. c. — rex insulae] Sic scripsi ex coniectura M. Infra cap. 18 Lycus, rex insulae Propontidis. — 11. Pelasgicos] Ap. Rh. 1, 1024. — 13. Quod etc.] Traiectio est pro Quod cum etc. Sic etiam cap. 79. 'Quod Jovis eos cum vidisset.' Quod cum saepissime legimus apud Hyginum pro quum. — 15. dedit] Sic scripsi ex coniectura W. Sepulturae dare etiam infra cap. 23 et 80. — Cap. XVII. Ap. Rh. 2, 1 sqq., Apollod. 1, 9, 20; Orph. Arg. 657; Serv. ad Aen. 5, 373; Schol. Stat. Th. 3, 353; Myth. Vat. I, 93; II, 140. Hyginus Apollonium sequi videtur. — 17. Melies] id est Oceani filiae; de qua iam antea dixi ad p. 27, 12. — 18. cestibus] Ita legendum arbitror. Statim in seqq. ad cestus. Cf. Myth. Vat. I. l. c. Scriverius voluit caestu. — Cap. XVIII. Ap. Rh. 2, 752 sqq; Apollod. 1, 9, 23. — 22. in honorem] Haec glossam sapere putant B. et Sch. Contra M. retinenda putat, et sic legendum: hospitii in honorem. — 23. eo quod] Eadem cap. 26. — 24. inficiaretur] M. coni. infestaretur. Quod idem est, inquit, quod infestaret. In ed. Sch. sic: quod per eum saepe inficiaretur. B. voluit quod per eum saepe infestaretur. — 25. stramentatum] Sic scripsi pro extra venatum, monente M.; cf. Hyg. p. 44, 14 et cap. 248.

Digitized by Google

In cuius dum diutius sepultura morantur, Tiphys, Phorbantis filius, moritur. Tunc Argonautae Ancaeo, Neptuni filio, navem Argo gubernandam dederunt.

XIX. Phineus.

Phineus, Agenoris filius, Thrax, ex Cleopatra habuit filios duos. Hi a patre novercae crimine excaecati sunt. Huic etiam Phineo Apollo augurium dicitur dedisse. Hic deorum consilia cum enuntiaret, ab Jove est excaecatus, et apposuit ei Harpyias, quae Jovis canes esse dicuntur, quae escam ab ore eius auferrent. Huc cum Argonautae devenissent, et eum iter ut demonstraret rogarent, dixit, se demonstraturum, si eum poena liberarent. Tunc Zetes et Calais, Aquilonis venti et Orithyiae filii, qui pennas in capite et in pedibus habuisse dicuntur, Harpyias fugaverunt in insulas Strophadas, et Phineum poena liberarunt. Quibus monstravit, quomodo Symplegadas transirent: ut columbam mitterent; quae petrae cum concurrissent, in recessu earum illi retro refugerent. Argonautae beneficio Phinei Symplegadas transierunt.

XX. Stymphalides.

Argonautae cum ad insulam Aretiadem venissent, et aves ex pennis suis eos configerent pro sagittis, cum multitudini avium resistere non possent, ex Phinei monitu clipeos et hastas sumpserunt, exque more Curetum sonitu eas fugarunt.

---

1. Iphis. 9. Harpyas. 10. aufferrent. 14. Harpyas. 20. insulam Diam. 21. conficerent. 23. ex more.

---

1. Tiphys] Sic corr. M., ex cap. 14. — Phorbantis] Vid. quae dixi ad p. 41, 8. — Cap. XIX. Ap. Rh. 2, 178 sqq.; Apollod. 1, 9, 21; Diodor. 4, 43, sq.; Schol. Ap. Rh. 1, 211; 2, 178 et 181; Schol. Hom. Od. 12, 69; Serv. ad Aen. 3, 209; Myth. Vat. I, 27; II, 142. Aeschyli Phineus et Sophoclis Phineus α et β nunc non exstant. — 5 Cleopatra] Schol. Ap. Rh. 2, 140. — 6. crimine] i. e. criminatione, ut ait M. Scheffer vult: criminatione, vitiumque ortum putat ex compendio scripturae. — 8. apposuit etc.] Exspectares: appositae ei sunt Harpyiae. Similia et aliis locis, ut cap. 53, 72, 178. Quae tamen omnia sine Mss. librorum auctoritate mutari non debent. — 9. Harpyias] Sic corr. C. — Jovis canes] Ap. Rh. 2, 289. — 10. auf.] Sic corr. L. — 12. Zetes et C.] Plura de his legimus cap. 14. — 16. quae etc.] Lectio corrupta est. Quid sibi voluerit Hyginus, ex aliorum scriptorum narrationibus coniicere possumus (cf. Apollod. 1, 9, 22; Schol. Hom. Od. 12, 70); sed singula verba restitui non possunt. B. coni. illico trafugerent: Sch. .. transirent, et columbam mitterent, quo, petrae cum concurrissent, in recessu illi retro ne fugerent. M. haec addit: Meo judicio, qui stilo, quam Hyginus, paulo puriore uteretur, ita scripsisset: ut columbam mitterent, eae petrae cum concurrissent, et in recessu earum illico trafugerent. — Cap. XX. Ap. Rh. 2, 1047 sqq. — 20. Aretiadem] Sic correxi ex Ap. Rh. l. c. Idem restitui cp. 3 et 14. — ex] Abundat h. l. Similia infra cap. 30 et 88. — 21. configerent] Emendavi ex coniectura H. — 23. exque] Sic omnes inde a Comm. scribunt; nec displicet. Sed in A. inveni ex. —

Digitized by Google

XXI. Phrixi filii.

Argonautae cum per Cyaneas cautes, quae dicuntur petrae Symplegades, intrassent mare, quod dicitur Euxinum, et errarent, voluntate Iunonis delati sunt ad insulam Aretiadem. Ibi invenerunt naufragos nudos atque inopes Phrixi et Chalciopes filios, Argum, Phrontin, Melam, Cytisorum. Qui cum casus suos exposuissent Iasoni, se, cum ad avum festinarent Athamanta ire, naufragio facto ibi esse eiectos, quos Iason receptos auxilio iuvit. Qui Iasonem Colchos perduxerunt per flumen Thermodoontem; et cum iam non longe essent a Colchis, iusserunt navem in occulto collocari, et venerunt ad matrem Chalciopen, Medeae sororem, indicantque Iasonis beneficia, et cur venisset. Tunc Chalciope de Medea indicat, perducitque eam cum filiis suis ad Iasonem. Quae cum eum vidisset, agnovit, quem in somnis adamaverat, Iunonis impulsu, omniaque ei pollicetur, et perducunt eum ad templum.

XXII. Aeeta.

Aeetae, Solis filio, erat responsum, tam diu eum regnum habiturum, quamdiu ea pellis, quam Phrixus consecraverat, in fano Martis esset. Itaque Aeeta Iasoni hanc simultatem constituit, si vellet pellem auratam auferre, tauros aeripedes, qui flammas naribus spirabant, iungeret adamanteo iugo, et araret, dentesque draconis ex galea sereret: ex quibus gens armatorum statim enasceretur, et se mutuo interficeret. Iuno autem Iasonem ob id semper voluit servatum. Quod cum ad flumen venisset, volens hominum mentes tentare, anum se simulavit, et rogavit, ut se transferrent; cum ceteri, qui

---

4. insulam Diam. 5. Calciopes. 6. Phrontidem. — Cylindrum. 12. Chalcyopem. 13. Chalcyopo. 22. aufferre. 25. enascerentur. 28. transferret. — caeteri.

Cap. XXI. Ap. Rh. 2, 1093 sqq. — 2. Cyan. cautes] Herod. 4, 85; Ap. Rh. 2, 318. — 3. Euxinum] Similiter supra legimus cap. 3 Hellespontum pelagus. — 4. Aretiadem] Ita legendum, ut iam antea dixi ad cp. 3. — 5. Chalciopes] Sic corr. M. — 6. Phrontin, Cytisorum] Sic scripsi ex Ap. Rh. De qua re iam antea dixi ad p. 33, 30. — 8. quos] Sch. voluit hos, vel eos. Sed qui pro is etiam aliis locis ponitur, ut cap. 185 cuius caput etc. — 12. Chalciopen] Sic corr. M. h. l. et in sqq. — 13. de Medea] Sch. vult idem Medeae; H. rem Medeae. Fortasse legendum id Medeae. — 16. perducunt] i. e. Medea eiusque soror. Sch. voluit perducit. — Cap. XXII. Apollod. 1, 9, 23. — 18. Aeeta] Varie scribitur hoc nomen in libris Mss. Latinis; legimus enim Aeeta, Aeetas, Aeetes, Oeta, Oeetes, Oëtes. Aeeta appellatur hic rex etiam ab Ov. Met. 7, 170. — 21. sim. constituit] i. e. legem proposuit. Eadem loquendi formula infr. cap. 50, 67, 84, 185. Apud alios scriptores exempla huius usus non repperiuntur. — 25. enasceretur] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — Iuno etc.] cf. cap. 13. — 26. servatum. Q.] Sic distinxi; vulgo scribunt 'servatum, quod, cum etc.' — 27. flumen] Sch. et H. volunt fl. Euhenum s. Euenum. Si quid addendum videtur, mallem scribere fl. Anaurum. Nonnulla de hac re dixi ad cap. 12 et 13. — 28. transferrent] Sic corr. M. ex cap. 13. —

Digitized by Google

transierant, despexíssent, ille transtulit eam. Itaque cum sciret, Iasonem sine Medeae consilio imperata perficere non posse, petit a Venere, ut Medeae amorem iniiceret. Iason a Medea Veneris impulsu amatus est. Eius opera ab omni periculo liberatus est. Nam cum tauris arasset, et armati essent enati, Medeae monitu lapidem inter eos abiecit: illi inter se pugnantes, alius alium interfecerunt. Dracone autem venenis sopito, pellem de fano sustulit, in patriamque cum Medea est profectus.

XXIII. Absyrtus.

Aeeta ut resciit, Medeam cum Iasone profugisse, nave comparata, misit Absyrtum filium cum satellitibus armatis ad eam persequendam. Qui cum in Adriatico mari in Histria eam persecutus esset ad Alcinoum regem, et vellet armis contendere, Alcinous se inter eos interposuit, ne bellarent. Quem iudicem sumpserunt; qui eos in posterum distulit. Qui cum tristior esset, et interrogatus esset a coniuge Arete, quae causa esset tristitiae, dixit, se iudicem sumptum a duabus diversis civitatibus, inter Colchos et Argivos. Quem cum interrogaret Arete, quidnam esset iudicaturus, respondit Alcinous, si virgo fuerit Medea, parenti redditurum; sin autem mulier, coniugi. Hoc cum audivit Arete a coniuge, mittit nuntium ad Iasonem; et is Medeam noctu in antro devirginavit. Postero autem die cum ad iudicium venissent, et Medea mulier esset inventa, coniugi est tradita. Nihilo minus, cum profecti essent, Absyrtus timens patris praecepta, persecutus est eos in insulam Minervae. Ibi cum sacrificaret Minervae Iason, et Absyrtus intervenisset, ab Iasone est interfectus. Cuius corpus Medea sepulturae dedit, atque inde profecti sunt. Colchi, qui cum Absyrto venerant, timentes Aeetam, illic remanserunt, oppidumque condiderunt, quod ab Absyrti nomine Absyrtin appellarunt. Haec autem insula posita est in Histria contra Polam, iuncta insulae Cantae.

---

32. Absorin. 33. Pola.

---

8. de fano] Sic cap. 54 de Caucaso est solutus. Plura de hac re in Prolegg. — Cap. XXIII. Ap. Rh. 4, 983; Apollod. 1, 9, 25. — 14. esset] Comma, quod male olim post hanc vocem ponebatur, delevit M. — 15. bellarent] Utitur eadem voce Corn. Nep. Them. 5, 1. — 21. redditurum] sc. se. Exempla huius ellipsis sunt etiam apud alios. Sic Curt. 7, 5 navaturos operam pollicebantur. — 23. devirginavit] Eadem vox infr. cp. 33 et apud Petron. 25, 1. — 32. Absyrtin] Vulgo h. l. Absorin, cp. 26 Absoridem. Emendavi ex coniectura M. Apsyrtides insulae commemorantur ab Apollod. 1, 9, 25; Tzetz. ad Lyc. 175. Alii Apsorum insulam et oppidum in regionibus Illyriae fuisse scribunt; cf. Steph. Byz. s. v. — insula] i. e. Minervae. — 33. Polam] Sic corr. M. Idem voluit Sch. Graece *Πόλα* et *Πόλαι* scribitur. — iuncta etc.] Cluverius voluit i. i. Curictae; H. iuncta continenti (ponte videlicet.) —

Digitized by Google

XXIV. Iason. Peliades.

Iason cum Peliae patrui sui iussu tot pericula adisset, cogitare coepit, quomodo eum sine suspicione interficeret. Hoc Medea se facturam pollicetur. Itaque cum iam non longe ab Iolco essent, navem iussit in occulto collocari, et ipsa ad Peliae filias pro sacerdote Dianae venit; eis pollicetur, se patrem earum Pelian ex sene iuvenem facturam. Id quia Alcestis maior filia negavit fieri posse, Medea, quo facilius eam perduceret ad suam voluntatem, caliginem eis obiecit, et ex venenis multa miracula fecit, quae verisimilia esse viderentur, arietemque vetulum in aënum coniecit, unde agnus pulcherrimus prosiluisse visus est: eodemque modo inde Peliades, id est Alcestis, Pelopia, Medusa, Pisidice, Hippothoe, Medeae impulsu patrem suum occisum in aëno coxerunt. Cum se deceptas esse viderent, a patria profugerunt. At Iason signo a Medea accepto, regia est potitus, Acastoque, Peliae filio, fratri Peliadum, quod secum Colchos ierat, regnum paternum tradidit. Ipse cum Medea Corinthum profectus est.

XXV. Medea.

Medea, Aeetae et Idyiae filia, cum ex Iasone iam filios Mermerum et Pheretem procreasset, summaque concordia viverent, obiiciebatur ei, hominem tam fortem, formosum ac nobilem, uxorem advenam atque veneficam habere. Huic Creon, Menoecei filius, rex Corinthius, filiam suam minorem Glaucen dedit uxorem. Medea cum vidit, se erga Iasonem bene merentem tanta contumelia esse affectam, co-

---

1. Jason Peliades. 4. iam longe a Colchis. 7. Idque. 11. aenum. 12. unde. 13. Isidoce. 14. aeneo. 20. Idyae — Marcerum et Feretum. 22. fortem, ac formosum, nobilem. 24. Menoeci. 25. Glaucem. 26. coronam exuens fecit.

Cap. XXIV. Apollod. 1, 9, 27; Paus. 8, 11, 2; Ov. Met 7, 297 sqq; Lact. arg. 7, 4; Tzetz. ad Lyc. 175. Fuit et fabula Euripidis, Peliades inscripta; de qua Matth. p. 253 sqq. — 1. Jason. Pel.] Omnes scribunt Jason Peliades. Male. — 4. iam non etc.] Sic corr. M. Ut idem putat, verba illa cap. 21 (cum iam longe a Colchis essent) ansam praebuerunt huic loco corrumpendo. — 5. et] Sch. vult at. Non assentior. — 7. Id quia] Sic scripsi ex coniectura Sch. — 8. maior] Comparativum pro superlativo posuit, ut ait M. — 10. ex venenis] i. e. *διὰ φαρμάκων*, arte magica, ut ait M. — 11. aënum] Sic corr. M. — 12. inde] Sic corr. M. ex coniectura B. Mallem deinde. — 13. Pisidice] Emendavi ex sententia Tollii; cf. Apollod. 1, 9, 10. — 14. aëno] Sic corr. M. Idem restitui cap. 125. — 17 Colchos i.] Hyg. cp 14. — Cap. XXV. Apollod. 1, 9, 28; Serv. ad Ge. 2, 140; Myth. Vat. I, 25 — 20. Idyiae] Sic corr. M. De Idyia antea dixi ad p. 31, 7. — Mermerum] Sic corr. M. h. l. et in sqq. — 21. Pheretem] Sic scripsi ex Apollod. 1, 9, 28; Paus. 2, 3, 6. Idem restitui in seqq. et cap. 239. — 22. fortem etc.] Emendavi ex sententia Sch. — 24. Menoecei] Sic corr. M. h. l. et multis aliis locis — 25. Glaucen] Sic corr. M. Glauce est etiam Apollod. et Myth. Vat. I, l. c.; alii Creusam eam appellant (de qua re Schol. Eur. Med. 19). Creusa etiam ab Hygino in sqq. vocatur. — 26. coronam] Ov. Ib. 606. Alii Medeam non coronam, sed tunicam sive pallam, venenis infectam, Glaucae dedisse scribunt, ut Apollod. l. c.; Schol. Hor. Epod. 3, 13; Lact. arg. Medeae Senecae. —

Digitized by Google

ronam ex venenis fecit auream, eamque muneri iussit filios suos novercae dare. Creusa, munere accepto, cum Iasone et Creonte conflagravit. Medea ubi regiam ardere vidit, natos suos ex Iasone Mermerum et Pheretem interfecit, et profugit Corintho.

XXVI. Medea exul.

Medea Corintho exul, Athenas ad Aegeum, Pandionis filium, devenit in hospitium, eique nupsit. Ex eo natus est Medus. Postea sacerdos Dianae Medeam exagitare coepit, regique negabat sacra caste facere posse, eo quod in ea civitate esset mulier venefica et scelerata. Tunc iterum exulatur. Medea autem iunctis draconibus ab Athenis Colchos redit. Quo in itinere Absyrtidem venit, ubi frater Absyrtus sepultus erat. Ibi Absyrtitani serpentium multitudini resistere non poterant. Medea autem ab eis rogata, lectas eas in tumulum fratris coniecit. Quae adhuc ibi permanent; si qua autem extra tumulum exit, debitum naturae persolvit.

XXVII. Medus.

Persi, Solis filio, fratri Aeetae, responsum fuit, ab Aeetae progenie mortem cavere. Ad quem Medus, dum matrem persequitur, tempestate est delatus; quem satellites comprehensum ad regem Persen perduxerunt. Medus, Aegei et Medeae filius, ut vidit, se in inimici potestatem venisse, Hippoten Creontis filium se esse mentitus est. Rex diligentius quaerit, et in custodiam eum coniici iussit. Ubi sterilitas et penuria frugum dicitur fuisse. Quo Medea in curru iunctis draconibus cum venisset, et regi se sacerdotem Dianae ementita esset, dixit, sterilitatem se expiare posse; et cum a rege audisset, Hippoten, Creontis filium, in custodia haberi, arbitrans, eum patris iniuriam exequi venisse, ibique imprudens filium prodidit. Nam regi persuadet, eum Hippoten non esse, sed Medum, Aegei filium, a matre missum, ut regem interficeret; petitque, ut interficiendus sibi traderetur, aestimans, Hippo-

---

4. Marcerum et Feretum. 13. quae. — Absoridem. 14. Absoritani. 16. permanentes. 21. dolatus. — compraehensum. 27. ex regi.

---

1. ex venenis] Sic corr. M. ex coniectura B.; cf. cap. 24. — auream] Hoc alii non tradiderunt. — 4. Mer. et Ph.] Ita legendum, ut iam antea dixi. — Cap. XXVI. Apollod. 1, 9, 28. — 7. exul] Fortasse leg. exulata. Statim in sqq. 'Tunc iterum exulatur.' — 10. eo quod] cf. cap. 18. — 11. exulatur] i. e. in exsilium eiicitur. Exulare est etiam ap. Ov. Her. 9, 155; exulari ap. Fulgent. Myth. 3, 6 aliosque. — 13. Quo] Sic scripsi ex coni. Sch. — Absyrtidem] Vulgo h. l. Absoridem, et cap. 23 Absorin. Emendavi ex sententia M. — 14. Absyrtitani] Sic scripsi, monente M. — 16. permanent] Sic corr. M. — Cap. XXVII. — 20. cavere] Puto legendum caveret, h. l. et cap. 84, ex cap. 3, 12, 66. Ita Myth. quoque Vat. I, 23; Schol. Stat. Th. 2, 281. — 27. et] Sic corr. C. — 30. ibique] Ut Sch. ait, aut deest aliquid h. l. aut legendum ibi imprudens. —

Digitized by Google

ten esse. Itaque Medus cum productus esset, ut mendacium morte puniretur, et illa aliter esse vidit, quam putavit, dixit, se cum eo colloqui velle, atque ensem ei tradidit, iussitque avi sui iniurias exequi. Medus re audita, Persen interfecit, regnumque avitum possedit; ex suo nomine terram Mediam cognominavit.

XXVIII. Otos et Ephialtes.

Otos et Ephialtes, Aloei et Iphimedes, Neptuni filiae, filii, mira magnitudine dicuntur fuisse. Hi singulis mensibus novem digitis crescebant. Itaque cum essent annorum novem, in coelum ascendere sunt conati, quo aditum sibi ita faciebant: montem enim Ossam super Pelion posuerunt (unde etiam Pelion Ossa mons appellatur), aliosque montes construebant. Qui ab Apolline nacti, sunt interfecti. Alii autem auctores dicunt, Neptuni et Iphimedes filios fuisse atrotos. Hi cum Dianam comprimere voluissent, quae cum non posset viribus eorum resistere, Apollo inter eos cervam misit. Quam illi, furore incensi, dum volunt iaculis interficere, alius alium interfecerunt. Qui ad inferos dicuntur hanc poenam pati: ad columnam, aversi alter ab altero, serpentibus sunt deligati. Est styx inter columnam sedens, ad quam sunt deligati.

XXIX. Alcumena.

Amphitryon cum abesset ad expugnandum Oechaliam, Alcumena, aestimans Iovem coniugem suum esse, eum thalamis recepit.

---

5. Medea. 7. Othos. 8. Othos. — Aloi. — Hiphimedes. 9. singuli singulis. 11. qui. 14. autores. 15. Hiphimedes. — Atropos.

---

1. mendacium] sc. eius. Ita recte M. — 2. vidit] Puto legendum vidisset h. l. et cap. 148, invito M. — 5. possedit] Vulg. possedit, ex. — Mediam] Sic corr. M.; cf. Apollod. 1, 9, 28. — Cap. XXVIII. Apollod. 1, 7, 4; Serv. ad Ge. 1, 280; ad Aen. 6, 582; Myth. Vat. 1, 83; Schol. Lucan. 6, 410. — 7. Otos] Sic corr. M. h. l. et in sqq. — 8. Aloei] Sic corr. M. — Iphim.] Sic corr. M. h. l. et in seqq. Graece Ἰφιμέδεια (Hom. Od. 11, 304; Pind. P. 7, 89; Apollod. l. c.) et Ἰφιμέδη appellatur. — 9. singulis] Vulgo singuli singulis. Emendavi ex Serv. ad Ge. l. c. Idem voluit Sch. — 11. quo] Emendavi ex sententia H. — 12. enim] M. haec addit: illud enim ex litteris praecedentibus natum, certe otiosum heic est. — Ossam etc.] Lucan. 6, 347; Myth. Vat. I, 63. Alii Pelion Ossae impositum tradunt. — unde etc.] Haec uncis inclusi. Videtur glossatoris esse additamentum. Pro Pelion scribendum erat Pelius vel Pelios. — 14. nacti] Mic. coni. avo; St. Naxo (i. e. in Naxo). Muncker παθητικῶς, inquit, usurpat hoc participium, ut cap. 1 et 8 occasione nacta. — 15. Iphimedes] Sic corr. M. h. l. et paulo antea. — atrotos] i. e. invulnerabiles, ἀτρώτους. Hyginus saepissime vocabulis Graecanicis utitur; de qua re plura persecutus sum in Prolegg. Recte emendavit h. l. C. — 16. quae etc.] Exspectares eaque non posset, vel simile quid. — 19. Qui etc.] Senarium hunc versum esse scribit B. in Adv. 8, 2. — 20. serpentibus] De Oto hoc affirmat Verg. in Culice 233. — 21. Est styx etc.] B. coni. Est strix viscera columnam sedens; H. Est styx intestina columnam etc.; M. Est styx super columnam sedens. — Cap. XXIX. Apollod. 2, 4, 8; Myth. Vat. 1, 50. — 23. Oechaliam] Serv. ad Aen. 8, 103.

Digitized by Google

Qui cum in thalamos venisset, et ei referret, quae in Oechalia gessisset, ea credens coniugem esse, cum eo concubuit. Qui tam libens cum ea concubuit, ut unum diem usurparet, duas noctes congeminaret, ita ut Alcumena tam longam noctem ammiraretur. Postea cum nuntiaretur ei, coniugem victorem adesse, minime curavit, quod putabat, se coniugem suum vidisse. Qui cum Amphitryon in regiam intrasset, et eam videret negligentius se curantem, mirari coepit, et queri, quod se advenientem non excepisset. Cui Alcumena respondit: Iam pridem venisti, et mecum concubuisti, et mihi narrasti, quae in Oechalia gessisses. Quae cum signa omnia diceret, sensit Amphitryon, numen aliquod fuisse pro se; ex qua die cum ea non concubuit. Quae ex Iove compressa, peperit Herculem.

XXX. Herculis athla XII ab Eurystheo imperata.

Infans cum esset, dracones duos duabus manibus necavit, quos Iuno miserat, unde primigenius est dictus. Leonem Nemeum, quem Luna nutrierat in antro Amphriso, atrotum necavit. Cuius pellem pro tegumento habuit. Hydram Lernaeam, Typhonis filiam, cum capitibus novem ad fontem Lernaeum interfecit. Haec tantam vim veneni habuit, ut afflatu homines necaret; et si quis eam dormientem transierat, vestigia eius afflabat, et malorum cruciatu moriebatur. Hanc, Minerva monstrante, interfecit et exenteravit, exque eius felle sagittas tinxit. Itaque quicquid postea sagittis fixerat, mortem non effugiebat; unde postea et ipse periit. Aprum in Arcadia Erymanthium occidit. Cervum velocem in Cerynia

---

4. congemminaret. 8. securam. 15. Euristheo. 17. Nemaeum. 18. ac' tropum. 19. Lerneum. 26. Aprum in Phrygia Erimachum. 27. in Arcadia.

---

7. Amphitryon] Hoc nomen a librariis huc immissum videtur, ut iam Sch. indicavit. — 8. se curantem] Emendavi ex coniectura B. Vid. Plaut. Amph. 3, 2, 48. — 13. ex qua] B. voluit ex eaque. Sed coniunctio saepe omittitur ab hoc scriptore, ut iam supra dixi. — Cap. XXX. Apollod. 2, 5, 1 sqq. ibique Heyne; Epigr. in Anthol. P. Burmanni 1, ep. 42; Sidon. Apollin. c. 9. — 15. athla] ἆθλα, labores. Eodem sensu hac voce utuntur Ampelius cap. 2 et D. in fragm. Hygin. — 16. Infans — dictus] Haec huc non pertinere mihi videntur. — dracones] Serv. ad Aen. 8, 288; Eur. Herc. Fur. 1265. — 17. miserat] Sch. vult immiserat. Nihil mutandum est. Eodem enim modo utuntur hac voce Hyg. cap. 145 et Serv. ad Aen. 8, 300. — Leonem etc.] Hoc primum eius athlum fuisse dicitur; cf. Pind. Isth. 6, 70; Apollod. l. c. — Nemeum] Sic correxi. M. et St. habent Nemeaeum. Ex Graeco aut Nemeum, aut Nemeaeum scribendum est. Prius praefero. — 18. Luna] Serv. ad Aen. 8, 295. — Amphriso] Hoc sine dubio est corruptum aeque ut illa, quae leguntur ap. Schol. Germ. in Leone, p. 52 ed. Buhle. M. ex Apollod. l. c. vult h. l. amphistomo. — atrotum] Sic corr. C. Vid. cap. 28. — 19. Lernaeam] Sic corr. C. — 20. Typhonis] cf. p. 31 sq. et cap. 151. — Lernaeum] Sic corr. C. — 23. malorum] B. coni. malo cum. — 26. unde etc.] cf. cap. 34. — Aprum etc.] Sic scripsi, monente M.; cf. Apollod. 2, 5, 3. — 27. Erymanthium] Sic corr. M. — Cervum] Auson. id. 19. Alii cervam fuisse scribunt. —

Digitized by Google

cum cornibus aureis vivum in conspectum Eurysthei regis adduxit. Aves Stymphalides in insula Martis, quae emissis pennis suis iaculabantur, sagittis interfecit. Augiae regis stercus bovile uno die purgavit; maiorem partem Iove adiutore, flumine immisso totum stercus abluit. Taurum, cum quo Pasiphae concubuit, ex Creta insula Mycenas vivum adduxit. Diomedem, regem Thraciae, et equos quattuor eius, qui carne humana vescebantur, cum Abdero famulo interfecit. Equorum autem nomina: Podargus, Lampos, Xanthus, Dinus. Hippolyten Amazonem, Martis et Otrerae reginae filiam. Cui reginae Amazonis balteum detraxit; tum Antiopam captivam Theseo donavit. Geryonem, Chrysaoris filium trimembrem, uno telo interfecit. Draconem immanem, Typhonis filium, qui mala aurea Hesperidum servare solitus erat, ad montem Atlantem interfecit, et Eurystheo regi mala attulit. Canem Cerberum, Typhonis filium, ab inferis regi in conspectum adduxit.

XXXI. Parerga eiusdem.

Antaeum, Terrae filium, in Libya occidit. Hic cogebat hospites secum luctari, et delassatos interficiebat. Hunc luctando necavit. Busiridem in Aegypto, qui hospites immolare solitus erat. Huius legem cum audiit, passus est, se cum infula ad aram adduci. Busiris autem cum vellet deos imprecari, Hercules eum clava ac ministros sacrorum interfecit.

---

1. Euristhei. 3. Augei. 5: Ammisso. 9. Pdarius, Lampon. 10. Amazonam. — Otrirae. 12. Gerionem. 15. Euristheo.

---

1. Eurysthei] Sic corr. C. — 3. Augiae] Sic corr. M. — 4. stercus] Haec vox ex sqq. importune huc immissa videtur. H. coni. servus. — Iove] M. vult Iolao. Habuit enim, inquit, multorum laborum socios Telamonem et Iolaum Hercules. — 5. immisso] vulgo ammisso. Emendavi ex coni. Mic. Melius tamen sic legeretur: flumine Alpheo immisso; cf. Serv. ad Aen. 8, 300. H. coni. flumine Alfeo ammisso. — 7. equos] Hellanicus ap. St. Byz. v. *Ἄβδηρα*, Apollod. 2, 5, 8. — 9. Podargus] Sic corr. M., monente B. Podargus nomen equi est etiam apud Hom. Il. 8, 185. — Lampos] Sic scripsi, monente M. Lampos est nomen equi ap. Hom. Od. 23, 246; Il. 8, 185. — 10. Hippol. etc.] Melius haec narrat Serv. ad Aen. 11, 661. Sch. apud Hyg. sic legendum putat: Hippolitae Amazonis, Martis et Otrirae filiae reginae baltheum detraxit, tum Amazonam Antiopam captivam Theseo donavit; B. sic: Tum Hippolyten Amazonam, Martis et Otrirae reginae filiam: cui necatae Martium balteum detraxit. Antiopam etc. — Amazonem] vulg. Amazonam h. l. et cap. 241. Lectionem corruptam arbitror. Statim in seqq. est genitivus Amazonis; item p. 45, 2 Amazonum, cap. 163 Amazones, cap. 223 Amazon, cap. 112 Amazone. — Otrerae] Sic correxi ex cap. 112. — 11. Cui r.] In Serv. l. c. legimus cui victae. — Amazonis] B. coni. Martium; M. Amazonum vel Amazoniae; Vorst ad Justin. Amazonum. — Antiopam] Hyg. cap. 241; Apollod. 2, 5, 9; Diod. 4, 16; Paus. 5, 25, 6. — 12. Geryonem] Sic corr. C. — 15. Eurystheo] Sic corr. C. — Cap. XXXI. Apollod. 2, 5, 11. — 19. Terrae f.] Schol. Stat. Th. 6, 890; Myth. Vat. I, 55; II, 164. —

Digitized by Google

Cycnum, Martis filium, armis superatum occidit. Quo cum Mars venisset, et armis propter filium contendere vellet cum eo, Iovis inter eos fulmen misit, atque ita eos distraxit. Cetum, cui Hesione fuit apposita, Troiae occidit. Laomedontem, patrem Hesiones, quod eam non reddebat, sagittis interfecit. Aethonem aquilam, quae Prometheo cor exedebat, sagittis interfecit. Lycum, Neptuni filium, quod Megaram, Creontis filiam, uxorem eius, et filios Therimachum et Ophiten occidere voluit, interfecit. Achelous fluvius in omnes figuras se immutabat. Hic cum Hercule propter Deianirae coniugium cum pugnaret, in taurum se convertit; cui Hercules cornu detraxit, quod cornu Hesperidibus sive Nymphis donavit. Quod eae pomis replerunt, et cornu copiae appellarunt. Neleum, Hippocoontis filium, cum decem filiis occidit, quoniam is eum purgare sive lustrare noluit, tunc cum Megaram, Creontis filiam, uxorem suam, et filios Therimachum et Ophiten interfecerat. Eurytum, quod Iolen, filiam eius, in coniugium petiit, et ille eum repudiavit, occidit. Centaurum Nessum, quod Deianiram violare voluit, occidit. Eurytionem Centaurum, quod Deianiram, Dexameni filiam, speratam suam, uxorem petiit, occidit.

XXXII. Megara.

Hercules cum ad canem tricipitem esset missus ab Eurystheo rege, et Lycus Neptuni filius putasset, eum periisse, Mega-

---

1. Cygnum. — quo tum. 5. Hesionis. 8. Theremachum. 13. Deae. 15. voluit. 17. Theremachum. — Iolem. 20. Dexamenis. 23. Euristheo.

---

1. Cycnum] Sic scripsi h. l. et alibi. — Martis] Eur. Herc. Fur. 386; Apollod. 2, 7. 7. — cum] Sic corr. Sch. — 4. Cetum] cf. cap. 89. — 5. Hesiones] Sic corr. M. — eam] Tollius vult mercedem. Non assentior. — 6. Aethonem] Mic. coni. aëton; Sch. aëton eam, quae etc.; M. voluit aeton, id est aquilam. Idem etiam aliam sententiam proposuit. Putat enim, Hyginum fortasse adiectivum *αἴθων*, quo Graeci poetae aquilam ornant, per errorem pro nomine proprio accepisse. Sed hoc mea sententia minime est probandum. — 8. Therimachum] Sic corr. M. h. l. et cap. 32, 72, 162; cf. Apollod. 2, 4, 11; 2, 7, 8. — 9. Ophiten] Hoc nomen corruptum est. Eur. Herc. Fur. 474 et Apollod. 2, 4, 11 tres fuisse scribunt filios Herculis et Megarae, Creontis filiae. Apollod. l. c. haec nomina affert: Therimachus, Creontiades, Deicoon. Quattuor commemorantur ab Apollod. 2, 7, 8; cf. Heyne ad Apollod. 2, 4, 11. — 9. Achelous] Apollod. 2, 7, 5; Schol. Hom. Il. 21, 194; Ov. Met. 9, 1 sqq.; Lact. arg. 9, 1; Myth. Vat. I, 58; II, 165. — 13. Nymphis] Fortasse leg. Naidibus Nymphis, ex Lact. l. c. — 13. eae] Sic correxi. Idem et Munckero venerat in mentem. — 14. Hippocoontis] cf. cap. 10. — 15. sive lust.] Glossatoris haec esse putant Sch. et M. — noluit] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. — 17. Therim.] Sic corr. M. — Iolen] Sic corr. C. — 18. ille] Sch. vult. h. l. et cap. 35 illa. Sed lectio non mutanda videtur; de qua re plura ad cp. 35. — 19. Nessum] Hyg. cap. 34. — 20. Dexameni] Sic corr. C. Vid. Hyg. cp. 33 et Paus. 5, 3, 3; 7, 18, 1. Oenei filia appellatur Deianira ab Apollod. 2, 7, 5; Hyg. cp. 36. — Cap. XXXII. Eur. Herc. Fur.; Heyne ad Apollod. 2, 6, 1. — 23. Eurystheo] Sic corr. C. — 24. Neptuni] et Celaenus; Apollod. 3, 10, 1; Hyg. cp. 157. —

Digitized by Google

ram, Creontis filiam, uxorem eius, et filios Therimachum et Ophiten interficere voluit, et regnum occupare. Hercules eo intervenit, et Lycum interfecit; postea ab Iunone insania obiecta, Megaram et filios Therimachum et Ophiten interfecit. Postquam suae mentis compos est factus, ab Apolline petiit, dari sibi responsum, quomodo scelus purgaret. Cui Apollo sortem quod reddere noluit, Hercules iratus de fano eius tripodem sustulit, quem postea Iovis iussu reddidit, et nolentem sortem dare iussit. Hercules ob id a Mercurio Omphalae reginae in servitutem datus est.

XXXIII. Centauri.

Hercules cum in hospitium ad Dexamenum regem venisset, eiusque filiam Deianiram devirginasset, fidemque dedisset, se eam uxorem ducturum, post discessum eius Eurytion, Ixionis et Nubis filius, Centaurus petit Deianiram uxorem: cuius pater vim timens, pollicitus est se daturum. Die constituto, venit cum fratribus ad nuptias. Hercules intervenit, et Centaurum interfecit, suam speratam abduxit.

Item aliis in nuptiis Pirithous Hippodamiam, Adrasti filiam, cum uxorem duceret, vino pleni Centauri conati sunt rapere uxores Lapithis. Eos Centauri multos interfecerunt, ab ipsis interierunt.

XXXIV. Nessus.

Nessus, Ixionis et Nubis filius, Centaurus, rogatus ab Deianira, ut se flumen Euhenum transferret, quam sublatam in flumine ipso violare voluit. Hoc Hercules cum intervenisset, et Deianira cum fidem eius implorasset, Nessum sagittis confixit. Ille moriens cum sciret sagittas Hydrae Lernaeae felle

---

1. Theremachum. 4. Theremachum. 6. scoelus. 19. Perythous. 28. Lerneae.

---

1. Therimachum] Sic corr. M. h. l. et in seqq.; de qua re dixi ad cap. 31. — 3. eo] Sch. dictum putat pro eo tempore; M. pro ex eo, ea de causa; vel ἀρχαϊκῶς pro ea. Cf. cap. 34. — 7. de fano] cf. cap. 22. — 8. et nolent.] Sch. vult At Apollinem nolentem. — Cap. XXXIII. Apolld. 2, 5, 5. — 19. Item etc.] Serv. ad Aen. 7, 304; Myth. Vat. I, 162; II, 108. — Pirithous] Sic correxi. Vulgo Perithous. — Hippodamiam] Hom. Il. 2, 742; Ov. Met. 12, 210. Deidamia est Plut. Thes. 30. — 21. Eos etc.] Sch. coni. eos Centauri multos interfecerunt; interfecti ab ipso (i. e. Hercule) interierunt; M. 'Eo C. multos interfecerunt; at ab ipsis (vel et a. i.) interierunt.' Mea sententia pro Eos legendum est eorum, et vitium ortum puto ex compendio scripturae. Reliqua autem non mutanda arbitror. — 22. interierunt] Myth. Vat. II. l. c. — Cap. XXXIV. Apolld. 2, 7, 6; Ov. Met. 9, 101 sqq.; Lact. arg. 9, 2; Serv. ad Aen. 8, 300; Schol. Stat. Th. 11, 235. — 25. Euhenum] Schol. Ap. Rh. 1, 1212; Ovid. v. 104 l. c. — quam etc.] Similia legimus cap. 21. — 26. Hoc] Sch. dictum putat pro ob hoc; M. pro propter hoc, vel pro ex hoc. Fortasse legendum Huc, ut W. voluit. Cf. cap. 32. — et D. cum] Similia legimus cap. 28. — 28. cum etc.] Graecismus est, nec quidquam mutandum. — Lernaeae] Sic corr. M. —

Digitized by Google

tinctas quantam vim haberent veneni, sanguinem suum exceptum Deianirae dedit, et id philtrum esse dixit; si vellet, ne se coniunx sperneret, eo iuberet vestem eius perungi. Id Deianira credens, conditum diligenter servavit.

XXXV. Iole.

Hercules cum Iolen, Euryti filiam, in coniugium petiisset, [et] ille eum repudiasset, Oechaliam expugnavit. Qui ut a virgine rogatur, parentes eius coram ea interficere velle coepit. Illa animo pertinacior, parentes suos ante se necari est perpessa. Quos omnes cum interfecisset, Iolen captivam ad Deianiram praemisit.

XXXVI. Deianira.

Deianira, Oenei filia, Herculis uxor, cum vidit, Iolen virginem captivam eximiae formae esse adductam, verita est, ne se coniugio privaret. Itaque memor Nessi praecepti, vestem tinctam Centauri sanguine Herculi qui ferret, nomine Lichan famulum misit. Inde paululum, quod in terram deciderat, ut id sol attigit, ardere coepit. Quod cum Deianira vidit aliter esse, ac Nessus dixerat, intellexit; et qui revocaret eum, cui vestem dederat, misit. Quam Hercules iam induerat, statimque flagrare coepit. Qui cum se in flumen coniecisset, ut ardorem extingueret, maior flamma exibat. Demere autem cum vellet, viscera sequebantur. Tunc Hercules Lichan, qui vestem attulerat, rotatum in mare iaculatus est; qui quo loco cecidit, petra nata est, quae Lichas appellatur. Tunc dicitur Philoctetes, Poeantis filius, pyram in monte Oetaeo construxisse Herculi, eumque accendisse mortalitatem. Ob id beneficium Philocteti Hercules arcus et sagittas donavit. Deianira autem ob factum Herculis ipsa se interfecit.

---

6. et om. 15. praeceptis. 18. et id. 27. Oeteo. — ascendisse.

---

2. philtrum] Utitur eadem voce Ov. Art. am. 2, 105. — 6. et] addidi ex coniectura; cf. cap. 31. — 7. ille] Sch. vult illa, h. l. et cap. 31. Non assentior. Nam Eurytum filiam suam dare noluisse, alii quoque prodiderunt, ut Schol. Eur. Hipp. 545. Et veri similius est, Herculem ob iniuriam ab Euryto ipso sibi illatam, Oechaliam oppugnatum ivisse. — 8. rogatur] Sch. coni. rogaretur; H. obiurgatur. — 10. omnes] M. haec addit: Ante haec deesse quaedam videntur, in quibus fratrum Ioles facta fuerit mentio. Eurytum enim Hercules cum quinque fratribus interemisse fertur. Vid. Tzetz. Chil. 1, 36; Serv. ad Aen. 8, 291. — Cap. XXXVI. Apollod. 2, 7, 7; Ov. Met. 9, 134 sqq.; Serv. ad Aen. 8, 300 — 13. Oenei] Sic etiam cap. 129, 240 et 243. Dexameni filia est cap. 31 et 33. — 15. Nessi] H. coni. Nessei. — praecepti] Sic corr. M. De praecepto Nessi vid. cap. 34. — 18. ut id] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — vidit] Puto legendum vidisset, aliter esse ac N. d., intellexit. — 19. revocaret] Male olim sic distinguebatur: revocaret, eum etc. M. corr. — 24. rotatum] Ov. v. 218 l. c. — 25. petra] cf. Prolegg. — 27. Oetaeo] Sic corr. M. — accendisse] Sic corr. auctor L., monente C. — 28. mortalitatem] i. e. quod mortale erat. Sic Lact. arg. 14, 15. — 29. factum] Periz. et H. voluerunt fatum. —

Digitized by Google

XXXVII. Aethra.

Neptunus et Aegeus, Pandionis filius, in fano Minervae cum Aethra, Pitthei filia, una nocte concubuerunt. Neptunus quod ex ea natum esset, Aegeo concessit. Is autem postquam a Troezene Athenas redibat, ensem suum sub lapide posuit, et praecepit Aethrae, ut tunc eum ad se mitteret, cum posset eum lapidem allevare, et gladium patris tollere: ibi fore indicium cognitionis filii. Itaque postea Aethra peperit Theseum. Qui cum ad puberem aetatem pervenisset, mater praecepta Aegei indicat ei, lapidemque ostendit, ut ensem tolleret, et iubet eum Athenas ad Aegeum proficisci, eosque, qui illic tum itinera infestabantur, omnes occidit.

XXXVIII. Thesei labores.

Corynetem armis occidit. Pityocampten, Neptuni filium. Qui iter gradientes cogebat, ut secum arborem pinum ad terram flecterent: quam qui cum eo prenderat, ille eam viribus missam faciebat; ita ad terram graviter elidebatur, et peribat. Hunc interfecit. Procrusten, Neptuni filium. Ad hunc hospes cum venisset, si longior erat, minori lecto proposito, reliquam corporis partem praecidebat; sin autem brevior statura erat, lecto longiori dato, incudibus suppositis extendebat eum, usque dum lecti longitudinem aequaret. Hunc interfecit. Scironem. Qui ad mare loco quodam praerupto sedebat, et qui iter gradiebatur, cogebat eum sibi pedes lavare, et ita in mare praecipitabat. Hunc Theseus pari leto in mare deiecit; ex quo Scironis petrae sunt dictae. Cer-

---

3. Pithei. 4. Egeo. 11. Egeum. 12. itineri. 14. Corinetem Neptuni filium armis occidit. Pithyocampten, qui. 25. laeto. 26. Cercionem.

Cap. XXXVII. Apollod. 3, 15, 7. — 3. Pitthei] Sic corr. M. ex cap. 79. — 4. Aegeo] Sic corr. C. — 5. ensem] Ut Apolld. aliique tradunt, Aegeus etiam calceos sub lapide abscondit. — 6 eum] M. haec addit: Praecessit, quod ex se natum esset. Sententiam ergo magis, quam verba respexit. — 8. ibi] Fortasse legendum id. — indicium c.] Γνωρίσματα tales res appellant Graeci. Cf. cap. 187. — 11. Aegeum] Sic corr. C. — 12. eosque] Ante haec verba deesse quaedam putat Mic; Sch. coni. Qui eos qui illic etc. — itinera] Sic corr. M. — infestabantur] Sch. coni. infestabant vi. — Cap. XXXVIII. Apollod. 3, 16; Ov. Met. 7, 434 sqq. — 14. Corynetem etc.] Sic correxi. Periphetes, cui cognomen erat κορυνήτης, Vulcani filius fuit (Paus. 2, 1; Ov. Met. 7, 437; Hyg. cap. 158); Pityocamptes autem sive Sinis filius Neptuni. Olim h. l. fortasse sic legebatur: Corynetem, Vulcani filium, armis etc. — Pit.] Sic corr. L., monente C. — filium etc.] vulgo filium, qui. — 15. iter gr.] B. coni. ibi tragredientes.' Statim in sqq. legimus: qui iter gradiebatur. — 16. quam etc.] M. An, inquit, scripsit quam quum quis cum eo? Ita sane postulat sententia; vel, ubi quis cum eo. — 18. Hunc] vulgo peribat: hunc. — ad] vulg. filium, ad. — 22. Hunc] vulg. aequaret, hunc. — 23. Scironem] Schol. Stat. Th. 1, 333; Myth. Vat. I, 167; II, 127. Vulgo h. l. Scironem, qui etc. — 24. cogebat eum] Sch. vult eum cogebat. — 25. leto] Sic corr. C. — 26. Scironis p.] Scironides petrae, Σκειρωνίδες πέτραι appellantur ab aliis, ut Eur. Hipp. 776; Lact. arg. 7, 24; Sen. Hippol. 1033. — Cercyonem] Cf. cap. 187. —

Digitized by Google

cyonem, Vulcani filium, armis occidit. Aprum, qui fuit Cromyone, interfecit. Taurum, qui fuit Marathone, quem Hercules a Creta ad Eurystheum adduxerat, occidit. Minotaurum oppido Gnosi occidit.

XXXIX. Daedalus.

Daedalus, Eupalami filius, qui fabricam a Minerva dicitur accepisse, Perdicem sororis suae filium, propter artificii invidiam, quod is primum serram invenerat, summo tecto deiecit. Ob id scelus in exilium ab Athenis Cretam ad regem Minoem abiit.

XL. Pasiphae.

Pasiphae, Solis filia, uxor Minois, sacra deae Veneri per aliquot annos non fecerat. Ob id Venus amorem infandum illi obiecit, ut taurum, quem ipsa amabat, alia amaret. In hoc Daedalus exul cum venisset, petiit ab eo auxilium. Is ei vaccam ligneam fecit, et verae vaccae corium induxit; in qua illa cum tauro concubuit. Ex quo compressu Minotaurum peperit, capite bubulo, parte inferiore humana. Tunc Daedalus Minotauro Labyrinthum inextricabili exitu fecit, in quo est conclusus. Minos re cognita, Daedalum in custodiam coniecit. At Pasiphae eum vinculis liberavit. Itaque Daedalus pennas sibi et Icaro, filio suo, fecit et accommodavit, et inde avolarunt. Icarus altius volans, a sole cera calefacta, decidit in mare, quod ex eo Icarium pelagus est appellatum. Daedalus pervolavit ad regem Cocalum in in-

---

2. Cremione. 3. Euristheum. 6. Euphemi. 9. scoelus. 11. Pasiphe. 12. Pasiphe. — Veneris. 15. ea. 17. compresso. 24. Icareum Pelagus.

---

2. Cromyone] Sic corr. M. — 3. Eur.] Sic corr. C. — 4. oppido] Fortasse legendum in oppido. Sic Cic. ad Att. 5, 18 in oppido Antiochiae. — Cap. XXXIX. Apollod. 3, 1, 4; 3, 15, 8. Fuit etiam Sophoclis tragoedia Daedalus. — 6. Eupalami] Sic correxi. Idem iam Mic. voluit. Cf. Hyg. cap. 244, 274; Apollod. l. c.; Serv. ad Aen. 6, 14; Lact. arg. 8, 3. — 7. Perdicem] Sch. coni. Perdicis. Sane Perdix soror Daedali est apud Apollod. 3, 15, 9. Sed h. l. nihil mutandum est. Nam Perdicem filium sororis Daedali fuisse, tum alii complures prodiderunt (Ov. Met. 8, 237; Serv. ad Aen. 5, 14; ad Ge. 1, 143), tum Hyginus ipse cap. 244 et 274. — 8. serram] et circinum, ut narrant Hyg. cap. 274; Serv. ad Ge. et Lact. arg. l. c. — s. tecto] Ut alii dicunt, ex arce Minervae. Ov. v. 250 l. c. — Cap. XL. Schol. Stat. Ach. 1, 192. — 11. Pas.] Sic corr. C. h. l. et in sqq. — 12. Veneri] Sic correxi. Idem et Munckero venit in mentem. Simile quid restitui cap. 143. — 14. quem etc.] Sch. coni. quem ipse (i. e. Minos) mandarat ali, amaret. De qua re M. sic: 'Quod, inquit, convenit cum illis, quae de eo tauro Tzetz. tradit Chil. 1, 18; Lact. ad Stat. Th. 5, 441. Quamobrem subscribo eius conjecturae'. Mic. haec addit: Fuerunt hoc loco in veteri exemplari erasa quaedam et alia super inducta, ut dubium non sit quin verbis his mendum aliquod insit. — In hoc] M. dictum putat, ut cp. 46 in eo tempore, vel cp. 60 sub eodem tempore. — 15. eo] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — 17. compressu] Sic scripsi ex cap. 60 et 63. Idem voluerunt Sch. et M. — 24. Icarium p.] Sic corr. C. —

Digitized by Google

sulam Siciliam. Alii dicunt, Theseus cum Minotaurum occidit, Daedalum Athenas in patriam suam reduxit.

XLI. Minos.

Minos, Iovis et Europae filius, cum Atheniensibus belligeravit; cuius filius Androgeus in pugna est occisus. Qui posteaquam Athenienses vicit, vectigales Minoi esse coeperunt. Instituit autem, ut anno unoquoque septenos liberos suos Minotauro ad epulandum mitterent. Theseus posteaquam a Troezene venerat, et audiit, quanta calamitate civitas afficeretur, voluntarie se ad Minotaurum pollicitus est ire. Quem pater cum mitteret, praedixit ei, ut, si victor reverteretur, vela candida in navem haberet. Qui autem ad Minotaurum mittebantur, velis atris navigabant.

XLII. Theseus apud Minotaurum.

Theseus posteaquam Cretam venit, ab Ariadne, Minois filia, est adamatus, adeo ut fratrem proderet, et hospitem servaret; ea enim Theseo monstravit Labyrinthi exitum. Quo Theseus cum introisset, et Minotaurum interfecisset, Ariadnes monitu licium revolvendo foras est egressus, eamque, quod fidem illi dederat, in coniugio secum habiturus, avexit.

XLIII. Ariadne.

Theseus in insula Dia tempestate retentus, cogitans, si Ariadnen in patriam portasset, sibi opprobrium futurum, itaque in insula Dia dormientem reliquit. Quam Liber amans inde sibi in coniugium abduxit. Theseus autem cum navigaret, oblitus est vela atra mutare: itaque Aegeus pater eius, credens Theseum a Minotauro esse consumptum, in mare se praecipitavit; ex quo Aegeum pelagus est dictum. Ariadnes autem sororem Phaedram Theseus duxit in coniugium.

XLIV. Cocalus.

Minos, quod Daedali opera multa sibi incommoda acciderant, in Siciliam est eum persequutus, petiitque a rege Cocalo,

---

6. vectigal Minois. 22. Ariadnem.

---

1. Alii etc.] Exspectares Alii dicunt, Theseum etc., vel Ut alii dicunt, Theseus etc. — Cap. XLI. 6. vectigales etc.] Ita legendum arbitror. Sch. voluit vectigales esse, omisso illo Minois, quod e glossa huc irrepsisse putat. — 7. septenos] Varia hac de re legimus ap. Verg. Aen. 6, 21; Ov. Met. 8, 171; Hyg. Astr. 2, 5; Serv. ad Aen. 6, 14. — 10. pollicitus etc.] Similia infra cap. 92 et 219; sed aliis locis infinitivus futuri ponitur, ut cap. 92. — 12. navem] Hellenismum censet esse Linacer; Mic. coni. navi. — Cap. XLII. 16. fratrem] i. e. Minotaurum. — Cap. XLIII. 22. Dia] Schol. Hom. Od. 11, 325. — Ariadnen] Sic corr. C. — 28. ex quo etc.] Etym. M. in *Alyal.* — Cap. XLIV. Diod. Sic. 4, 77; Schol. Hom. Il. 2, 145.

Digitized by Google

ut sibi redderetur. Cui cum Cocalus promisisset, et Daedalus rescisset, ab regis filiabus auxilium petiit. Illae Minoem occiderunt.

XLV. Philomela.

Tereus, Martis filius, Thrax, cum Procnen, Pandionis filiam, in coniugium haberet, Athenas ad Pandionem socerum venit rogatum, ut Philomelam, alteram filiam, sibi in coniugium daret; Procnen suum diem obisse dicit. Pandion ei veniam dedit, Philomelamque et custodes cum ea misit. Quos Tereus in mare iecit, Philomelamque invitam in monte compressit. Postquam autem in Thraciam redit, Philomelam mandat ad Lynceum regem, cuius uxor Laethusa, quod Procnae fuit familiaris, statim pellicem ad eam deduxit. Procne cognita sorore, et Terei impium facinus, pari consilio machinari coeperunt regi talem gratiam referre. Interim Tereo ostendebatur in prodigiis, Ity, filio eius, mortem a propinqua manu adesse. Quo responso audito, cum arbitraretur, Dryantem, fratrem suum, filio suo mortem machinari, fratrem Dryantem insontem occidit. Procne autem filium Itym, ex se et Tereo natum, occidit, patrique in epulis apposuit, et cum sorore profugit. Tereus, facinore cognito, fugientes cum insequeretur, deorum misericordia factum est, ut Procne in hirundinem commutaretur, Philomela in lusciniam. Tereum autem accipitrem factum dicunt.

XLVI. Erechtheus.

Erechtheus, Pandionis filius, habuit filias quattuor, quae inter se coniurarunt, si una earum mortem obisset, ceterae se interficerent. In eo tempore Eumolpus, Neptuni filius, Athenas venit oppugnaturus, quod patris sui terram Atticam fuisse diceret. Is victus cum exercitu, cum esset ab Atheniensibus interfectus, Neptunus, ne filii sui morte Erechtheus lae-

---

5. Prognen. 8. Prognen. 10. monten. 12. Progne. 13. Progne. 18. Driantem. 19. Progne. 25 sq. Erichtheus. 27. caeterae. 31. Erichtheus.

Cap. XLV. Apollod. 3, 14, 8; Ov. Met. 6, 412; Antonin. Lib. 40; Lact. arg. 6, 7; Conon 31. Tereus fuit fabula quoque Sophoclis; de qua Valcken. Diatr. p. 16. — 5. Procnen] Sic corr. M. h. l. et alibi. — 6. coniugium] Exspectares coniugio, quemadmodum legimus cap. 42, 63, 92, 189. — 8. Procnen] Sic corr. M. — ei veniam d.] i. e. concessit, quod petebat, ut ait M. Ita optimi loquuntur; cf. Cic. ad Att. 5, 21; Nep. Dion. 2 et aliis locis. — 12. Procnae] Sic corr. M; Sch. voluit Prognes. — 13. Procne] Sic corr. M. — impium f.] Exspectares impio facinore. B. coni. ad Terei impium facinus. — 15. talem] M. coni. parem. — 18. Dryantem] Sic corr. M. — 19. Procne] Sic corr. M. h. l. et in sqq. — 22. Procne etc.] Alii Procnen in lusciniam, Philomelam autem in hirundinem mutatam tradunt. Anacr. c. 12; Apollod. l. c.; Tzetz. Chil. 7, 142; Schol. Ar. Av. 216. — 24. accip.] Alii in upupam eum mutatum dicunt. — Cap. XLVI. 25. sq. Erechtheus] Sic corr. M. — 27. ceterae] vulg. caeterae. — 28. In eo temp.] cf. cap. 40. — 31. Erechtheus] Sic corr. M. —

Digitized by Google

taretur, expostulavit, ut eius filia Neptuno immolaretur. Itaque Chthonia filia cum esset immolata, ceterae fide data se ipsae interfecerunt. Ipse Erechtheus ab Iove, Neptuni rogatu, fulmine est ictus.

XLVII. Hippolytus.

Phaedra, Minois filia, Thesei uxor, Hippolytum privignum suum adamavit. Quem cum non potuisset ad suam perducere voluntatem, tabellas scriptas ad suum virum misit, se ab Hippolyto compressam esse, seque ipsa suspendio necavit. Theseus re audita, filium suum moenibus excedere iussit, et optavit a Neptuno patre filio suo exitium. Itaque cum Hippolytus equis iunctis veheretur, repente e mari taurus apparuit; cuius mugitu equi expavefacti, Hippolytum distraxerunt, vitaque privarunt.

XLVIII. Reges Atheniensium.

Cecrops, Terrae filius. Cephalus, Deionis filius. Aegeus, Pandionis filius. Pandion, Erichthonii filius. Theseus, Aegei filius. Erichthonius, Vulcani filius. Erechtheus, Pandionis filius. Demophoon, Thesei filius.

XLIX. Aesculapius.

Aesculapius, Apollinis filius, Glauco, Minois filio, vitam reddidisse, sive Hippolyto, dicitur; quem Iuppiter ob id fulmine percussit. Apollo, quod Iovi nocere non potuit, eos, qui fulmina fecerunt, id est Cyclopes, interfecit. Quod ob factum Apollo datus est in servitutem Admeto, regi Thessaliae.

L. Admetus.

Alcestim, Peliae filiam, cum complures in coniugium peterent, et Pelias cum multos eorum repudiaret, simultatem his con-

---

2. Otionia. caeterae. 3. Erichtheus. 9. et Theseus. 10. manibus excidere. 11. exitum. 16. Deiones. — Agoreus. 17. Erechthonii. 18. Erychthonius. Erichtheus. 19. Dedophon. 27. Pelei.

---

2. Chthonia] Sic scripsi h. l. et cap. 238 ex coniectura Meursii. Vid. Apollod. 3, 15, 1. — 3. Er.] Sic corr. M. — Cap. XLVII. Hypoth. Hipp. Eur., pag. 307 sq. ed. Matth. — 9. Theseus] vulg. et Th. Delendam esse particulam iam vidit Sch. — 10. moenibus excedere] Sic scripsi ex sententia Sch. — 11. exitium] Emendavi ex coni. Mic. — Cap. XLVIII. 16. Deionis] Sic corr. M. ex cap. 189, 241 et 273. — Aegeus] Sic corr. M., monente Sch. — 17. Erichth.] Sic corr. C. h. l. et in sqq. — 18. Erechtheus] Sic corr. M. — Demophoon] Sic corr. M.; cf. cap. 59; Plut. Thes. 28. — Cap. XLIX. Hyg. Astr. 2, 14; Myth. Vat. I, 46; II. 128. — 21. Glauco etc.] cf. cp. 136. — 22. Hippolyto] cf. cp. 251; Eratosth. ap. Hyg. Astr. l. c.; Serv. ad Aen. 6, 398; Lact. Firm. 1, 10. — 24. fecerunt] M. coni. fecerant. — Cap. L. Eadem fere cap. sq. Ex quo loco Sch. haec descripta esse censet ab inepto quodam homine. — 27. Peliae] Sic corr. M. ex cap. 24 et 51. — 28. simultatem c.] cf. cp. 22.

Digitized by Google

stituit, ei se daturum, qui feras bestias ad currum iunxisset; is quum vellet aveheret. Itaque Admetus ab Apolline petiit, ut se adiuvaret. Apollo cum ab eo esset liberaliter tractatus, cum in servitium fuit ei traditus, aprum et leonem ei iunctos tradidit, quibus ille Alcestim in coniugium avexit.

LI. Alcestis.

Alcestim, Peliae et Anaxibies, Biantis filiae, filiam complures proci petebant in coniugium. Pelias vitans eorum condiciones, repudiavit, et simultatem constituit, ei se daturum, qui feras bestias ad currum iunxisset, et Alcestim in coniugio avexisset. Itaque Admetus ab Apolline petiit, ut se adiuvaret. Apollo autem, quod ab eo in servitutem liberaliter esset acceptus, aprum et leonem ei iunctos tradidit, quibus ille Alcestim avexit. Et illud ab Apolline accepit, ut pro se alius voluntarie moreretur. Pro quo quum neque pater, neque mater mori voluissent, uxor se Alcestis obtulit, et pro eo vicaria morte interiit. Quam postea Hercules ab inferis revocavit.

LII. Aegina.

Iuppiter cum Aeginam, Asopi filiam, vellet comprimere, et Iunonem vereretur, detulit eam in insulam Oenonen, et gravidam fecit; unde natus est Aeacus. Hoc Iuno cum rescisset, serpentem in aquam misit, quae eam venenavit; ex qua qui biberat, debitum naturae solvebat. Quod cum amissis sociis Aeacus prae paucitate hominum morari non posset, formicas intuens, petiit ab Iove, ut homines in praesidio sibi daret. Tunc Iuppiter formicas in homines transfiguravit, qui Myrmidones sunt appellati, quod Graece formicae μύρμηκες dicuntur. Insula autem Aeginae nomen possedit.

LIII. Asterie.

Iovis cum Asterien Titanis filiam amaret, illa eum contempsit;

---

2. quam. 7. Anaxobies Dimantis. 21. insulam Delon. 28. myrmices.

---

2. quum] Ita legendum arbitror. Mic. coni. et iis quo vellet, aveheretur; Sch. iis quum vellet, aveheret; M. et iis, quum vellet, eam aveheret; vel, iisque eam aveheret. — Cap. LI. Eurip. Alc.; Apollod. 1, 9, 15. — 7. Anax. B.] Sic corr. M. h. l. et cp. 14. — 10. coniugio] Mallem coniugium. Ita sane cp. 50. — 14. Et illud] Ita rescripsi ex A; vulg. Ea illud. — Cap. LII. Apollod. 3, 12, 6; Schol. Hom. Il. 1, 180; Lact. arg. 7, 26; Serv. ad Aen. 2, 7; Myth. Vat. I., 67; II. 204. — 21. Oenonen] Sic scripsi, monente Mic. Aeginam olim Oenonen appellatam esse tradunt Her. 8, 46; Strab. 8, 275. — 24. Quod cum] H. coni. quo cum, i. e. ubi. Non assentior. — 25. morari] Simile quid infr. cp. 153. M. coni. morari ibi. — 28. μύρμηκες] Sic scripsi ex coniectura. Graeca, ut iam antea dixi, compluribus locis in hoc libello restituenda mihi videntur. — Cap. LIII. Schol. Stat. Th. 4, 796; ad Ach. 2, 9; Serv. ad Aen. 3, 73; Myth. Vat. I, 37; II, 17. — 31. Iovis] pro Iuppiter; de qua re plura dixi in Prolegg. Apud Schol. Stat. Th., qui l. c. Hygino usus esse videtur, est Iupiter. —

Digitized by Google

a quo in avem *ὄρτυγα* commutata est, quam nos coturnicem dicimus, eamque in mare abiecit, et ex ea insula est enata, quae Ortygia est appellata. Haec mobilis fuit. Quo postea Latona ab Aquilone vento delata est, iussu Iovis, tunc cum eam Python persequeretur, ibique oleam tenens Latona peperit Apollinem et Dianam. Quae insula postea Delos est appellata.

LIV. Thetis.

Thetidi Nereidi fatum fuit, qui ex ea natus esset, fortiorem fore quam patrem. Hoc praeter Prometheum cum sciret nemo, et Iovis vellet cum ea concumbere, Prometheus Iovi pollicetur, se eum praemoniturum, si se vinculis liberasset. Itaque fide data, monet Iovem, ne cum Thetide concumberet, ne, si fortior nasceretur, Iovem de regno deiiceret, quemadmodum et ipse Saturno fecerat. Itaque datur Thetis in coniugium Peleo, Aeaci filio, et mittitur Hercules, ut aquilam interficiat, quae eius cor exedebat; eaque interfecta, Prometheus post triginta annos de monte Caucaso est solutus.

LV. Tityus.

Latona quod cum Iove concubuerat, Iuno Tityo, Terrae filio immani magnitudine iusserat, ut Latonae vim afferret. Qui cum conatus esset, a Iove fulmine est interfectus. Qui novem iugeribus ad inferos exporrectus iacere dicitur, et serpens ei appositus est, qui iecur eius exesset, quod cum luna recrescit.

LVI. Busiris.

In Aegypto apud Busiridem, Neptuni filium, cum esset sterilitas,

---

1. Ortygiam. 20. Tytius. 21. Tytio. 22. Latone. 26. recressit.

Asterien etc.] Puto legendum Asterien, Coei Titanis filiam. De Coeo dixi supra ad p. 27, 3. — 1. *ὄρτυγα*] Emendavi ex Myth. Vat. II. l. c. Mic. coni. Ortygem; M. Ortygam. — 2. eamque etc.] Similia sunt illa p. 48, 8. Mic. h. l. coni. Ea se in mare abiecit; Sch. Eam cum in mare abjecisset, ex ea etc. Schol. Stat. Th. l. c. haec habet: eamque in mare deiecit. Quo loco B. ex Ms. sic legendum censet: ea postquam se ipsam in mare deiecit, inde insula Ortygia est dicta. — 3. Haec etc.] cf. cp. 140. — Cap. LIV. Apollod. 3, 13, 5; Ov. Met. 11, 221 sqq.; Hyg. Astr. 2, 15; Schol. Stat. Ach. 1, 19; Myth. Vat. I, 207; II, 205. — 11. Iovis] pro Iuppiter. — 18. post etc.] Ex Aeschylo ap. Hyg. Astr. l. c. post XXX millia annorum. — Cap. LV. Hom. Od. 11, 576 sqq.; Apollod. 1, 4, 1; Schol. Pind. Ol. 1, 99; Serv. ad Ge. 3, 7; Myth. Vat. I, 13; II 104. — Tityus] Sic corr. M. h. l. et in sqq. — 22. iusserat ut] cf. Zumpt, Gramm. §. 617. — Qui cum] M. coni. quod cum. De qua re W. sic: Usitatior est, inquit, eiusmodi ellipsis pronominis id, quam ut Munckeri conjecturae subscribere ausim. — 24. serpens] Nonnulli vulturem fuisse dicunt; Verg. Aen. 6, 595; Myth. Vat. I. l. c. Alii vultures ei appositos fuisse tradunt; Hom. Od., Apollod. et Myth. Vat. II. l. c. — Cap. LVI Apollod. 2, 5, 11; fragm. Bus. Eurip. p. 117. ed. Matth. p. 359 ed. Nauck. —

Digitized by Google

et Aegyptus annis novem siccitate exaruisset, ex Graecia augures convocavit. Phrasius, Pygmalionis fratris filius, Busiridi monstravit, immolato hospite venturos imbres, promissisque fidem ipse immolatus exhibuit.

LVII. Sthenoboea.

Bellerophon cum ad Proetum regem exul in hospitium venisset, adamatus est ab uxore eius Sthenoboea. Qui cum concumbere cum ea noluisset, illa viro suo mentita est, se ab eo compellatam. At Proetus re audita, conscripsit tabellas de ea re, et mittit eum ad Iobaten regem, patrem Sthenoboeae; quibus lectis, talem virum interficere noluit, sed ad Chimaeram eum interficiendum misit, quae tripartito ore flammam spirare dicebatur. Idem

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimaera.

Hanc, super Pegasum sedens, interfecit; et decidisse dicitur in campos Aleios. Unde etiam coxas eiecisse dicitur. At rex virtutes eius laudans, alteram filiam dedit ei in matrimonium. Sthenoboea re audita, ipsa se interfecit.

LVIII. Smyrna.

Smyrna, Cinyrae, Assyriorum regis, et Cenchreidis filia. Cuius mater Cenchreis superbius locuta quod filiae suae formam Veneri anteposuerat, Venus, matris poenas exequens, Smyrnae infandum amorem obiecit, adeo ut patrem suum amaret. Quae ne suspendio se necaret, nutrix intervenit, et patre

---

2. Thasius Pigmalionis. 10. Diobaten. 14. chimera. 16. alienos.

---

1. ex] Fortasse legendum rex ex. — 2. conv.] Sch. coni. convocati. — Phrasius] Sic scripsi ex Apollod. l. c. — Pygmalionis] Sic correxi. Graece enim *Πυγμαλίων* scribitur. — fratris] H. coni. vatis. Quod probandum videtur. — Cap. LVII. Apollod. 2, 2, 1 sq.; Hyg. Astr. 2, 18; fragm. Sthen. Eurip., p. 329 Matth., p. 446 sq. Nauck. — 5. Sthenoboea] Ita appellata est uxor Proeti, ut iam Apollod. 2, 2, 1 monuit, a tragicis poetis. Alii Antiam eam appellant; Hom. Il. 6, 160; Hyg. Astr. l. c.; Fulgent. Myth. 3, 1. — 10. Iobaten] Sic corr. M. Mic. voluit Iobatem, Sch. Iobatam. Vid. infr. cp. 243. — 13. idem] H. coni. id est; M. item; Sch. identidem. — 14. Prima etc.] Versus est Lucretii 5, 675, expressus, ut iam M. dixit, ex illo Hom. Il. 6, 181, vel Hes. Th. 323. Eundem versum tanquam notissimum posuit Hieron. Epist. Select. 2, 13. Versus veteris cuiusdam poetae etiam infra leguntur cp. 221. — 16. Aleios] Sic corr. L., monentibus Mic. et C. — eiecisse] Sch. coni. elisisse, H. fregisse. Muncker retinendam censet vulgatam propter illa Scribonii Largi 206. 'Ad luxatum omne, et eiectum, et repositum articulamentum benefacit'. — 17. alteram fil.] Philonoën eam appellat Apollod. 2, 3, 2; Anticliam Schol. Pind. Ol. 13, 82; Cassandram Schol. Hom. Il. 6, 155. M. h. l. sic vult: Anticliam, alteram filiam. — Cap. LVIII. Apollod. 3, 14, 4; Ov. Met. 10. 298 sqq.; Lact. arg. 10, 9; Serv. ad Ecl. 10, 18, ad Aen. 5, 72; Fulg. Myth. 3, 8. — 19. Smyrna] cf. cp. 251, 271, 275. Graece *Σμύρνα* et *Μύῤῥα* scribitur. Hyginus, mea sententia, ubique in hoc libro scripsit Smyrna. Cap. 164. Myrrha appellatur; sed quae ibi leguntur, Hygini non esse videntur. — 20. Cinyrae] Lact. arg. l. c. Alii alia tradiderunt; de qua re Interpr. ad Ovid. l. c. — 24. interv.] Sch. coni. 'intervenit. Ita patre etc.' —

Digitized by Google

nesciente, per nutricem cum eo concubuit. Ex quo concepit; idque ne palam fieret, pudore stimulata, in silvis se abdidit. Cuius Venus postea miserta est, et in speciem arboris eam commutavit, unde myrrha fluit. Ex qua natus est Adonis, qui matris poenas a Venere est insequutus.

LIX. Phyllis.

Demophoon, Thesei filius, in Thraciam ad Phyllidem in hospitium dicitur venisse, et ab ea esse amatus. Qui cum in patriam vellet redire, fidem ei dedit, se ad eam rediturum. Qui die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad littus cucurrisse, quod ex eo *'Εννέα ὁδοὶ* Graece appellatur. Phyllis autem ob desiderium Demophoontis spiritum emisit. Cui parentes cum sepulcrum constituissent, arbores ibi sunt natae, quae certo tempore Phyllidis mortem lugent, quo folia arescunt et defluunt. Cuius ex nomine folia Graece *φύλλα* sunt appellata.

LX. Sisyphus et Salmoneus.

Sisyphus et Salmoneus, Aeoli filii, inter se inimici fuere. Sisyphus petiit ab Apolline, quo modo posset interficere inimicum, id est fratrem. Cui responsum fuit, si ex compressu Tyronis, Salmonei fratris filiae, procreasset liberos, fore ultores. Quod cum Sisyphus fecisset, duo sunt filii nati; quos Tyro mater eorum, sorte audita, necavit. At Sisyphus ut resciit * Qui nunc dicitur saxum, propter impietatem, adversus montem ad inferos cervicibus volvere; quod cum ad summum verticem perduxerit, rursum deorsum post se revolvatur.

LXI. Salmoneus.

Salmoneus, Aeoli filius, Sisyphi frater, cum tonitrua et fulmina imitaretur Iovis, sedens quadrigam faces ardentes in populum mitteret et cives, ob id a Iove fulmine est ictus.

---

3. Cui. 11. ex ea Enneados. 13. sepulchrum. 15. diffluunt. 16. phylla.

---

3. Cuius] Sic correxi. Invenit hoc in codice suo Berkelius. — 5 qui etc.] Ov. v. 524. l. c.; Lact. arg. l. c. — insequutus] Exequi matris poenas paulo antea legimus, et cp. 73. Persequi iniurias, cp. 116. — Cap. LIX. Serv. ad Ecl. 5, 10; Myth. Vat. I, 159; II, 214. — 11. ex eo] Sic scripsit M.; monente Sch. — *'Ε. ὁδοὶ*] Sic correxi. - Meursius coni. Enneaodoi. Meminerunt eius regionis Herod. 7, 114; Thuc. 1, 100; Etym. M. v. *'Αμφίπολις*. — 13. sepulcrum] Sic correxi. — 15. defluunt] vulg. diffluunt; quae est perversa codicum scriptura. Simili modo in nonnullis Mss. Astron. Hyg. diffinire et diffinitio pro definire et definitio ponuntur. — 16. *φύλλα*] Sic correxi; vulg. phylla. — Cap. LX. Apollod 1, 9, 3. — 20. id etc.] Glossatoris haec esse putat Sch. Non assentior. — 21. liberos etc.] Sch. coni. liberos, eos fore. — 23. ut resciit] Post haec verba desunt nonnulla. — 26. se] Pro eum, ut aiunt Sch. et M. — Cap. LXI. Apollod. 1, 9, 7; Myth. Vat. I, 82; II, 56. — 30. sedens etc.] Mic. coni. et ascendens quadrigam. Puto legendum et sedens in quadriga, vel et in quadriga sedens, ex cap. 250. —

Digitized by Google

LXII. Ixion.

Ixion, Leontei filius, conatus est Iunonem comprimere. Iuno Iovis iussu nubem supposuit; quam Ixion Iunonis simulacrum esse credidit. Ex ea nati sunt Centauri. At Mercurius Iovis iussu, Ixionem ad inferos in rota constrinxit, quae ibi adhuc dicitur verti.

LXIII. Danae.

Danae, Acrisii et Aganippes filia. Huic fuit fatum, ut quod peperisset, Acrisium interficeret. Quod timens Acrisius, eam in muro lapideo praeclusit. Iovis autem in imbrem aureum conversus, cum Danae concubuit; ex quo compressu natus est Perseus. Quam pater ob stuprum, inclusam in arca, cum Perseo in mare deiecit. Ea voluntate Iovis delata est in insulam Seriphum. Quam piscator Dictys cum invenisset, effracta, vidit mulierem cum infante; quos ad regem Polydectem perduxit, qui eam in coniugio habuit, et Perseum educavit in templo Minervae. Quod cum Acrisius rescisset, eos ad Polydectem morari, repetitum eos profectus est. Quo cum venisset, Polydectes pro eis deprecatus est. Perseus Acrisio avo suo fidem dedit, se eum nunquam interfecturum. Qui cum tempestate retineretur, Polydectes moritur. Cui cum funebres ludos facerent, Perseus disco misso, quem ventus distulit in caput Acrisii, et eum interfecit. Ita, quod voluntate sua noluit, deorum factum est. Sepulto autem eo, Argos profectus est, regnaque avita possedit.

---

3. simulachrum. 18. Quod.

Cap. LXII. Schol. Hom. Od. 21, 203 sq; Schol. Pind. Pyth. 2, 39; Schol. Eur. Phoen. 1185; Schol. Stat. Th. 4 539; Myth. Vat. I, 14; II, 106; Fulg. Myth. 2, 17; Serv. ad Aen. 6, 286. — 2. Leontei] De veritate lectionis dubitat Sch. Sane secundum Euripidem aliosque Ixion Phlegyae filius fuit. Leonteum in hac re nemo commemoravit. — Iuno etc.] B. in Adv. 6, 22 ex Ms. haec profert: Iuno Iovis iussu simulacrum nubem supposuit, quam Ixion, Iunonem esse ratus, coiit: ex etc. Alio loco (Adv. 8, 6.) Hyginum haec reliquisse putat: Quam Ixion ignarus esse simulacrum coiit. — 3. simul.] Sic correxi. — 5. quae] H. coni. qua. — Cap. LXIII. Apollod. 2, 4, 1; Serv. ad. Aen. 7, 372; Schol. Stat. Th. 2, 220: 6, 286: Schol. Germ. p. 63 ed. Buhle; Myth. Vat. I, 157; II, 110. — 9. interficeret] Pro interfecturum esse, ut ait M. Vide Myth. Vat. II, l. c. — 14. piscator] Schol. Ap. Rh. 4, 1515; Schol. Stat. Th. 2, 220; Schol. Germ. et Myth. Vat l. c. Alii Dictyn regis fratrem fuisse scribunt. Apollod. l. c. Schol. Hom. Il. 14, 319. — Dictys] Schol. Germ., Schol. Stat. et Myth. Vat. l. c. hoc nomen non addunt. — 15. effracta] Tollius coni. effracta ea. — 18. Quo] Sic scripsi, monente Mic. — 21. moritur] Alia legimus cp. 64. — 22. fun. ludos] cf. cp. 273. — 23. et eum] B. ex Ms. vult avum; Sch. coni. ita eum; M. eum. — 24. factum est] B. ex Ms. vult factum vidit. Assentior Munckero, qui non mutandam putat lectionem. Cf. cp. 273. —

LXIV. Andromeda.

Cassiope filiae suae Andromedae formam Nereidibus anteposuit. Ob id Neptunus expostulavit, ut Andromeda, Cephei filia, ceto obiiceretur. Quae cum esset obiecta, Perseus, Mercurii talaribus volans, eo dicitur venisse, et eam liberasse a periculo. Quam cum abducere vellet, Cepheus pater cum Agenore, cuius sponsa fuit, Perseum clam interficere voluerunt. Ille cognita re, caput Gorgonis eis ostendit, omnesque ab humana specie sunt informati in saxum. Perseus cum Andromeda in patriam redit.

Polydectes, sive Proetus, ut vidit, Perseum tantam virtutem habere, pertimuit, eumque per dolum interficere voluit. Qua re cognita, Perseus caput Gorgonis ei ostendit, et is ab humana specie est immutatus in lapidem.

LXV. Alcyone.

Ceyx, Hesperi sive Luciferi et Philonidis filius, cum in naufragio periisset, Alcyone, Aeoli et Aegiales filia, uxor eius, propter amorem ipsa se in mare praecipitavit. Qui deorum misericordia ambo in aves sunt mutati, quae Alcyones dicuntur. Hae aves nidum, ova, pullos in mari septem diebus faciunt hiberno tempore. Mare his diebus tranquillum est; quos dies nautae alcyonia appellant.

LXVI. Laius.

Laio, Labdaci filio, ab Apolline erat responsum, de filii sui

---

1. Andromada. 2. Andromadae. 3. Andromada. 6. adducere. 10. Andromada. 11. Proetus * vidit. 14. spetie. 17. Egyales. 21. hyberno. 24. Labdacis.

Cap. LXIV. Apollod. 2, 4, 3; Ov. Met. 4, 662 sqq.; Hyg. Astr. 2, 11; Lact. arg. 4, 19; 5, 1; Schol. Germ. p. 57. Buhle; Myth. Vat. I. 73. Tractavit hanc fabulam Sophocles in Andromeda (Erat. 16. et 36.), item Euripides. — 1. Andromeda] Sic corr. M. h. l. et in sqq. — 2. Cassiope] Varie scribitur hoc nomen in codd. Latinis; legimus enim Cassiope, Cassiopea, Cassiopeia, Cassiepea, Cassiepia. Graece plerumque *Κασσιέπεια* vel *Κασσιόπη* vocatur. — 6. abducere] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. — vellet, C.] Sic distinxit M. pro vellet Cepheus, pater. Idem voluerat Sch. — 9 informati] Fortasse transformati, ut ait M. — 11. Polyd. etc.] Hinc incipit nova fabula. Si Hygini haec sunt, alios in his rebus secutus est auctores, quam cap. 68. Similia tradunt de Polydecte Apollod. 2, 4, 3; Ov. Met. 5, 242 sqq.; Lact. arg. 5, 3. — sive Proetus] Glossatoris haec esse videntur, ut iam Sch. et M. indicarunt. De Proeto vid. Ov. Met. 5, 236 sqq.; Lact. arg. 5, 2. — ut vidit] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — Cap. LXV. Apollod. 1, 7, 4. ibique Heyne; Schol Ar. Av. 251; Schol. Theocrit. 7, 57; Ov. Met. 11, 410 sqq.; Lact. arg. 11, 10; Serv. ad Ge. 1, 399; Schol. Stat. Th. 9, 361; Myth. Vat. I, 9; II, 175. — 17. Aegiales] Sic corr. M. — 20. Hae aves etc.] cf. Bode, Myth. Vat. Tom. 2, p. 175. — 21. hiberno] Sic correxi. — 22. alcyonia] Myth. Vat. I, l. c. Alii hos dies halcyonios vel halcyonides appellant; de qua re Heyne et Bode l. c. — Cap. LXVI. Apollod. 3, 5, 7; Schol. Hom. Od. 11, 270. — 24. Labdaci] Sic corr. M.

Digitized by Google

manu mortem ut caveret. Itaque Iocasta, Menoecei filia, uxor eius, cum peperisset, iussit exponi. Hunc Periboea, Polybi regis uxor, cum vestem ad mare lavaret, expositum sustulit, Polybo sciente. Quod orbi erant liberis, pro suo educaverunt; eumque, quod pedes transiectos haberet, Oedipum nominaverunt.

LXVII. Oedipus.

Postquam Oedipus, Laii et Iocastes filius, ad puberem aetatem pervenit, fortissimus praeter ceteros erat; eique per invidiam aequales obiiciebant, eum subditum esse Polybo, eo quod Polybus tam clemens esset, et ille impudens. Quod Oedipus sensit non falso sibi obiici. Itaque Delphos est profectus sciscitatum de * in prodigiis ostendebatur, mortem ei adesse de nati manu. Idem cum Delphos iret, obviam ei Oedipus venit; quem satellites cum viam regi dari iuberent, neglexit. Rex equos immisit, et rota pedem eius oppressit. Oedipus iratus, inscius patrem suum de curru detraxit, et occidit.

Laio occiso, Creon, Menoecei filius, regnum occupavit. Interim Sphinx Typhonis in Boeotiam est missa; quae agros Thebanorum vexabat. Ea regi Creonti simultatem constituit, si carmen, quod posuisset, aliquis interpretatus esset, se inde abire; si autem datum carmen non solvisset, eum se consumpturam dixit, neque aliter de finibus excessuram. Rex re audita, per Graeciam edixit, qui Sphingae carmen solvisset, regnum se et Iocasten sororem ei in coniugium daturum. Promissi cum plures regni cupidine venissent, et a Sphinge essent consumpti, Oedipus Laii filius venit, et carmen est interpretatus. Illa se praecipitavit. Oedipus re-

1. Menyci. 9. caeteros. 19. Menyci. 26. Jocastem. daturum promisit: cum.

1. caveret] In Barthii Ms. praecaveret. — Iocasta] Ita Tragici matrem Oedipodis appellant; apud Hom. est Epicaste. — Menoecei] Sic corr. M. h. l. et alibi. — 2. peperisset] Mic. deesse putat natum, vel simile quid. In Ms. Barthii: pep., iussit exponi puerum. — 3. vestem] In Ms. Barthii, per aestum. — 4. sciente. Quod] Sic distinxit M. Atque ita in A. quoque. — Quod] Sch. coni. Qui quod; M. ellipsin esse putat copulae. — 5. transiectos] i. e. perforatos, ut aiunt Sch. et M. — Cap. LXVII. Apollod. 3, 5, 7 sqq.; Schol. Hom. Od. 11, 271; Hypoth. Eur. Phoen., e cod. Guelf., p. 156 sq. Matth. — 11. et] Sch. coni. at. — 13. de etc.] Sch. coni. 'de eodem. Cum Delphos iret, obviam ei Laius venit, quem etc.' Sed hoc minime est probandum. M. sic: de origine sua. Laius, cui in prodigiis ostendebatur, mortem ei adesse de nati manu, itidem cum Delphos iret, obviam ei Oedipus venit.' Mihi haec in mentem venerant: de patre suo. Interim Laio in etc. — in prodigiis . . . manu] B. haec abesse affirmat in Ms. suo. — 19. Menoecei] Sic corr. St. — 20. Typhonis] cf. p. 31, 13. — 21. sim. const.] cf. cap. 22. — 25. Sphingae] Puto legendum Sphingis. Paulo antea nominativus est Sphinx, et in sqq. ablativus Sphinge. — 26. Iocasten] Sic correxi. Plura de hac re in seqq. M. et St. scribunt Iocastam. — daturum etc.] Sic corr. M. —

Digitized by Google

gnum paternum et Iocasten matrem inscius accepit uxorem, ex qua procreavit Eteoclem et Polynicem, Antigonam et Ismenam.

Interim Thebis sterilitas frugum et penuria incidit ob Oedipodis scelera; interrogatusque Tiresias, quid ita Thebae vexarentur, respondit, si quis ex Draconteo genere superesset, et pro patria interiisset, pestilentia liberaturum. Tum Menoeceus, Iocastes pater, se de muris praecipitavit. Dum haec Thebis geruntur, Corintho Polybus decedit. Quo audito, Oedipus moleste ferre coepit, aestimans, patrem suum obisse. Cui Periboea de eius suppositione palam fecit; id Itemales senex, qui eum exposuerat, ex pedum cicatricibus et talorum agnovit Laii filium esse. Oedipus re audita, postquam vidit se tot scelera nefaria fecisse, ex veste matris fibulas detraxit, et se luminibus privavit, regnumque filiis suis alternis annis tradidit, et a Thebis Antigona filia duce profugit.

LXVIII. Polynices.

Polynices, Oedipodis filius, anno peracto, regnum ab Eteocle fratre repetit. Ille cedere noluit. Itaque Polynices, Adrasto rege adiuvante, cum septem ductoribus Thebas oppugnatum venit. Ibi Capaneus, quod contra Iovis voluntatem Thebas se capturum diceret, cum murum ascenderet, fulmine est percussus: Amphiaraus terra est devoratus: Eteocles et Polynices inter se pugnantes alius alium interfecerunt. His cum Thebis parentatur, etsi ventus vehemens est, tamen fumus se nunquam in unam partem convertit, sed alius alio seducitur. Ceteri cum Thebas oppugnarent, et Thebani rebus suis diffiderent, Tiresias, Eueris filius, augur praemonuit, si ex Dracontea progenie aliquis interiisset, oppidum ea clade liberari. Menoeceus cum vidit se unum civium sa-

---

1. Jocastam. 2. Etheoclen. Polynicen. 7. Menycus. 8. Jocastae. 19. Etheocle. 24. Etheocles. 26. parentaretur. esset. 28. Caeteri. 29. regibus suis. Eurii. 31. Menycus.

---

1. Iocasten] Sic scripsi h. l. et paulo antea. Idem invenit N. in Ms. — 2. Eteoclem etc.] Sic corr. M. — 4. sterilitas etc.] cf. cp. 2. — 7. Menoeceus] Sic corr. M. — 8. Iocastes] Sic correxi ex p. 70, 8 et cap. 242. Ceterum sciendum, Hyginum non sine causa addidisse Iocastes pater. Nam fuit et alius Menoeceus, filius Creontis et nepos huius Menoecei, cuius meminit Hyginus cap. 68. — 9. Corintho dec.] Hoc M. dictum putat ut illa ap. Iustin. 20, 3 Corintho nunciata est victoria. — 11. Periboea] cf. cp. 66 et Apollod. l. c. Niebuhr ex Ms. edidit Eriboea. — id] Sch. coni. idem; M. item. Sic edidit N. — Itemales] N. ex Ms. Moenetes. Fortasse legendum Menoetes. *Μενοίτης* fuit nomen virorum apud Graecos satis usitatum. — Cap. LXVIII. Apollod. 3, 6, 1; 3, 6, 7 sq. — 26. parentatur] Sic scripsi ex coni. B. Idem voluit N., in cuius Ms. vitiose legebatur paretur. Ceterum similia tradit Hyg. cap. 71. — est] vulg. esset. Quod dedi, invenit N. in Ms. B. coni. exstet. — 28. Thebani] In Ms. N. Thebanus. — 29. rebus] Sic correxi. Invenit hoc N. in Ms. Idem olim coni. W. — diffiderent] In Ms. N. diffideret. — Eueris] Sic corr. M. h. l. et alibi. — 31. Menoeceus] Hic est filius Creontis, cuius meminerunt Eur. Phoen.

lutem posse redimere, [de] muro se praecipitavit. Thebani victoria sunt potiti.

LXIX. Adrastus.

Adrasto, Talai et Eurynomes filio, responsum ab Apolline fuit, eum filias suas Argiam et Deipylam apro et leoni daturum in coniugium. Sub eodem tempore Polynices, Oedipodis filius, expulsus ab Eteocle fratre, ad Adrastum devenit, et Tydeus simul, Oenei et Periboeae captivae filius, a patre, quod fratrem Menalippum in venatione occiderat, fere sub eodem tempore venit. Quod cum satellites Adrasto nuntiassent, duos iuvenes incognita veste venisse (unus enim aprinea pelle opertus, alter leonina), tunc Adrastus, memor sortium suarum, iubet eos ad se perduci, atque interrogavit, quid ita hoc cultu in regna sua venissent. Cui Polynices indicat, se a Thebis venisse, et idcirco se pelle leonina operuisse, quod Hercules a Thebis genus duceret, et insignia gentis suae secum portare. Tydeus autem dicit, se Oenei filium esse, et a Calydone genus ducere, ideo pelle aprinea se opertum, significans aprum Calydonium. Tunc rex responsi memor, Argiam maiorem dat Polynici; ex qua nascitur Thersander: Deipylam minorem dat Tydeo; ex qua nascitur Diomedes, qui apud Troiam pugnavit. At Polynices rogat Adrastum, ut sibi exercitum commodaret ad paternum regnum recuperandum a fratre; cui Adrastus non tantum exercitum dedit, sed etiam ipse cum aliis [sex] ducibus profectus est, quoniam Thebae septem portis claudebantur. Amphion enim, qui Thebas muro cinxit, septem filiarum nomine por-

---

1. de om. 5. Deiphilam. 7. Etheocle. 13. atque ita. 15. pellem leoninam. 17. portaret. 18. Calidone. 19. Calidonium. 21. Deiphilam. 25: sex om.

776; Apollód. 3, 6, 7. Menoeceus, avus eius, commemoratur ab Hyg. cp. 67; Eur. Phoen. 10. Olim h. l. et alibi Menyeus; M. corr. — 1. de muro] Sic correxi ex cp. 67 et 242. — Cap. LXIX. Apollod. 3, 6, 1 ibique Heyne; Schol. Eur. Phoen. 411. — 5. Deipylam] Sic corr. M. h. l. et in sqq. In Ms. N. Deiphilen; unde coniicere possis, olim scriptum fuisse Deipylen. — 6. Sub e. t.] Ita in sqq. quoque. In Ms. N. Eodem tempore. — 7. et Tydeus] M. coni. eo Tydeus. Male in Ms. N. ,Quod Tydeus etc. — 8. Periboeae] cf. cp. 67. Schol. ad Stat. Th. 1, 41 Eryboeam eam appellat. Periboea et Eriboea saepe in libris Mss. confunduntur. — captivae] cf. cp. 70; Apollod. 1, 8, 4. — 9. Menalippum] Alii Melanippum eum appellant; de qua re Heyne ad Apollod. p. 52; Bode ad Myth. Vat. 1, l. c. In Ms. N. Menalaippum pro Menalippum. — 11. aprinea] Ita rescripsi ex A. Idem invenit N. in Ms. M. et St. h. l. scribunt aprina, et in sqq. aprinea. — 13. atque] vulg. atque ita. Sed posterior vox ex sqq. huc immissa videtur. Sch. coni. atque ira (cum ira), vel irate. — quid ita] cf. p. 71, 5. — 15. pelle leonina] Sic correxi ex iis, quae antecedunt, et quae subsequuntur. Idem coni. M. — 17. portare] Sic corr. M., monente Sch. — 21. Deipylam] Sic corr. M. h. l. et paulo antea. In Ms. N. Deiphilen. — 25. aliis sex] Sic scripsi, monente Sch. — 26. septem etc.] De septem Thebarum portis vid. Heyne ad Apollod. l. c.; Porson ad Eur. Phoen. 1150 —

Digitized by Google

tas constituit. Hae autem fuerunt Neaera, Cleodoxe, Astynome, Astycratia, Chias, Ogygia, Chloris.

LXX. Reges septem Thebas profecti.

Adrastus, Talai filius ex Eurynome, Iphiti filia, Argivus. Polynices, Oedipodis filius ex Iocasta, Menoecei filia, Thebanus. Tydeus, Oenei filius ex Periboea captiva, Calydonius. Amphiaraus Oeclei, vel, ut alii auctores dicunt, Apollinis ex Hypermnestra, Thestii filia, Pylius. Capaneus, Hipponoi filius ex Astynome, Talai filia, sorore Adrasti, Argivus. Hippomedon, Nesimachi filius ex Mythidice, Talai filia, sorore Adrasti, Argivus. Parthenopaeus, Meleagri filius ex Atalanta, Iasii filia, ex monte Parthenio, Arcas.

Hi omnes duces apud Thebas perierunt, praeter Adrastum, Talai filium; is enim equi beneficio ereptus est. Qui postea filios eorum armatos ad Thebas expugnandas misit, ut iniurias paternas vindicarent, eo quod insepulti iacuerant Creontis iussu, qui Thebas occuparat, fratris Iocastes.

LXXI. Septem Epigoni, id est filii.

Aegialeus, Adrasti filius ex Demonassa, Argivus. Hic solus periit ex septem, qui exierant; quia pater ex septem superaverat, pro patre vicariam vitam dedit. Ceteri sex victores redierunt. Thersander, Polynicis filius ex Argia, Adrasti filia, Argivus. Polydorus, Hippomedontis filius ex Euanippe, Elati filia, Argivus. Alcmaeon, Amphiarai filius ex Eriphyle, Talai filia, Argivus. Thesimenes, Parthenopaei filius ex Clymene Nympha, Nysius *

---

1. Thera. 2. Oggygia. 5. Menoetii. 6. Calidonius. 7. autores. 8. Hypermestra. — Hiponoi. 12. Partheno. 19. Demoanassa. 20. exuperaverat. 21. caeteri. 24. Euriphyle. 25. Climene.

---

1. Hae etc.] cf. cp. 11. — Neaera] Sic scripsi h. l. et cp. 11. — 2. Ogygia] Sic corr. M. — Cap. LXX. Aesch. Sept. c. Th. 381 sqq.; Soph. Oed. Col. 1378 sqq.: Eur. Suppl. 860 sqq.; Apollod. 3, 6, 3. — 5. Menoecei] Sic corr. M. — 8. Hypermnestra] Sic scripsi h. l. et alibi. — 10. Hipp.] Sic corr. C. — Nesimachi] Sic etiam Schol. Stat. Th. 1, 44. Fortasse legendum Aristomachi ex Apollod. 3, 6, 3. N. coni. Nausimachi. — Mythidice] Apud Schol. Stat. l. c. Nausica est. — 11. Meleagri] cf. cp. 99; Schol. Stat. Th. 1, 45. Alii alia prodiderunt, ut Apollod. l. c.; Serv. ad Aen. 6, 480; Paus. 3, 12, 7. Alius Parthenopaeus fuit Talai filius; Apollod. 1, 9, 13; Paus. 9, 18, 6; Schol. Soph. Oed. Col. 1385. — 12. Iasii] cf. cp. 99; Schol. Stat. Th. 4, 309, ubi Iasi est. Graece *Ἴασος, Ἰάσιος, Ἰασίων* scribitur. — Parthenio] Sic corr. M. ex cap. 99. — Cap. LXXI. Apollod. 3, 7, 2; Paus. 9, 5 et 9. — 19. Demonassa] Sic correxi, monente M.; cf. cp. 14, 97 et 102. — 20. ex septem s.] Sic scripsi monentibus Sch. et M. Superare pro superesse etiam cp. 10. B. ex Ms. vult pater sex superaverat. — 24. Alcmaeon etc.] cf. cp. 73. — Eriphyle] Sic corr. C. — 25. Thesimenes] N. ex Ms. Biantes. Utrumque nomen corruptum est. — 26. Nysius] Post hanc vocem nonnulla excidisse, iam vidit Mic. N. ex Ms. haec: ‚Sthenelus, Capanei filius; Diomedes Tydei filius.' Eadem Sch. addenda coniecerat. Melius tamen, mea sententia, h. l. sic legeretur: Sthene-

Digitized by Google

Polynices, Oedipodis filius, anno peracto, regnum ab Eteocle fratre, Adrasto Talai filio adiutore, repetit, cum septem ductoribus, et Thebas oppugnarunt. Ibi Adrastus beneficio equi profugit. Capaneus contra Iovis voluntatem Thebas se capturum dixit; et cum murum ascenderet, fulmine ab Iove est percussus. Amphiaraus cum quadriga terra est devoratus. Eteocles et Polynices inter se pugnantes, alius alium interfecerunt. His inferiae communes cum fiunt Thebis, fumus separatur, quod alius alim interfecerunt. Reliqui perierunt.

LXXII. Antigona.

Creon, Menoecei filius, edixit, ne quis Polynicen, aut qui una venerunt, sepulturae traderet, quod patriam oppugnatum venerint. Antigona soror et Argia coniunx clam noctu Polynicis corpus sublatum in eadem pyra, qua Eteocles sepultus est, imposuerunt. Quae cum a custodibus deprehensae essent, Argia profugit, Antigona ad regem est perducta. Ille eam Haemoni filio, cuius sponsa fuerat, dedit interficiendam. Haemon amore captus, patris imperium neglexit, et Antigonam ad pastores demandavit; ementitusque est, se eam interfecisse. Quae cum filium procreasset, et ad puberem aetatem venisset, Thebas ad ludos venit. Hunc Creon rex, quod ex Draconteo genere omnes in corpore insigne habebant, cognovit. Cum Hercules pro Haemone deprecaretur, ut ei ignosceret, non impetravit. Haemon se et Antigonam coniugem interfecit. At Creon Megaram filiam suam Herculi dedit in coniugium; ex qua nati sunt Therimachus et Ophites.

LXXIII. Amphiaraus, Eriphyla et Alcmaeon.

Amphiaraus, Oeclei et Hypermnestrae, Thestii filiae, filius augur, qui sciret, si ad Thebas oppugnatum isset, se inde non rediturum, itaque celavit se conscia Eriphyle, coniuge sua, Talai filia. Adrastus autem, ut eum investigaret, monile

---

1. Etheocle. 7. Etheocles. 11. Menoetii. 12. traderent. 14. Etheocles. 15. depraehensae. 22. Draconte a. 26. Theremachus. 29. Hypermestrae.

---

lus, Capanei filius ex Euadne, Argivus. Diomedes, Tydei filius ex Deipyla, Adrasti filia, Argivus. Cf. infr. cp. 97. — 1. Polynices etc.] Eadem fere cp. 68. Sch. et M. e glossa haec esse putant. — 8 His etc.] cf. cp. 68. — fiunt] vulg. fiunt, Thebis. — Cap. LXXII. Apollod. 3, 7, 1. — 11. Menoecei] Sic corr. M. — 12. traderet] Sic corr. M. — 14. Eteocles] Sic corr. C. — sepultus] Sch. mallet repositus. M. retinendam putat vulgatam, et apposuit verba Flori 3, 21 'Tantum non eodem igne sepelitur.' — 15. depr.] Sic corr. C. — 20. et ad] B. coni. isque ad. — 22. Drac.] Sic corr. C. — 26. Therim.] Sic correxi. Idem aliis locis restituit M. — 27. Ophites] cf. cp. 30. — Cap. LXXIII. Apollod. 3, 6, 2; Myth. Vat. I, 151; II, 78. — 29. Hyp.] vulg. Hypermestrae. — 30. qui sc.] Mic. coni. qui cum sciret; Sch. quia sciret. M. accipit qui pro quia, vel eo quod. Praefero coniecturam Mic., et sic puto distinguendum: augur. Qui etc. —

Digitized by Google

aureum ex gemmis fecit, et muneri dedit sorori suae Eriphylae; quae doni cupida, coniugem prodidit. Amphiaraus Alcmaeoni filio suo praecepit, ut post suam mortem poenas a matre exequeretur. Qui postquam apud Thebas terra est devoratus, Alcmaeon, memor patris praecepti, Eriphylen matrem suam interfecit; quem postea Furiae exagitarunt.

LXXIV. Hypsipyle.

Septem ductores, qui Thebas oppugnatum ibant, devenerunt in Nemeam, ubi Hypsipyle, Thoantis filia, in servitute puerum Archemorum sive Ophelten, Lyci regis filium, nutriebat. Cui responsum erat, ne in terra puerum deponeret, antequam posset ambulare. Ergo ductores septem, qui Thebas ibant, aquam quaerentes, devenerunt ad Hypsipylen, eamque rogaverunt, ut eis aquam demonstraret. Illa timens puerum in terram deponere,* apium altissimum erat ad fontem, in quo puerum deposuit. Quae dum aquam eis tradit, draco, fontis custos, puerum exedit. At draconem Adrastus et ceteri occiderunt, et Lycum pro Hypsipyle deprecati sunt, ludosque puero funebres instituerunt, qui quinto quoque anno fiunt, in quibus victores apiaciam coronam accipiunt.

LXXV. Tiresias.

In monte Cyllenio Tiresias, Eueris filius, pastor dracones venerantes dicitur baculo percussisse, alias calcasse; ob id in mulieris figuram est conversus. Postea monitus a sortibus, in eodem loco dracones cum calcasset, rediit in pristinam speciem. Eodem tempore inter Iovem et Iunonem fuit iocosa altercatio, quis magis de re venerea voluptatem cape-

---

6. furiae. 10. Ophiten. 17. caeteri. 22. Eurimi. 25. redit.

---

1. ex gemmis] pro cum g., ut ait M. Gemmas insertas fuisse illi monili, tradunt etiam Schol. Stat. Th. 3, 274 et Myth. Vat. II, l. c. — 4. exeq.] cf. cp. 58. — Cap. LXXIV. Fragm. Hyps. Eur., p. 191 sqq. Matth. p. 467 Nauck; Apollod. 3, 6, 4; Tzetz. ad Lyc. 373; Serv. ad Ecl. 6, 68; Schol. Stat. Th. 4, 717; Myth. Vat. II, 141. 10. Ophelten] Sic corr. M.; cf. Apollod. 1, 9, 14; Paus. 2, 15, 2. — Lyci] Sch. vult Lycurgi. Quod probandum videtur, cf. cp. 15 et 273. — 15. terram] Mallem terra. — apium etc.] Lectio corrupta mihi esse videtur; quare, Mic. praeeunte, asteriscum posui. Sch. sic: Nil deest, quod putabat Mic., sed ista verba (apium — fontem) velut in parenthesi ponuntur. M. scribere, inquit, debuisset: ‚quod apium' et in sqq. in eo etc. — 17. ceteri] vulg. caeteri. — 18. ludos] cf. cp. 273; Hermann, Gr. Staatsalt. I, §. 10. — Cap. LXXV. Apollod. 3, 6, 7; Ov. Met. 3, 316 sqq.; Anton. Liber. 17; Schol. Stat. Th. 2, 96; Lact. arg. 3, 4; Myth. Vat. I, 16; II, 84; III, 48; Fulg. Myth. 2, 8. — 22. Cyllenio] Nonnulli in Cithaerone id contigisse tradunt, ut Schol. Hom. Od. 10, 499. — Eueris] Sic corr. M. — venerantes] Haec vox apud alios scriptores non reperitur. Mic. haec addit: ven. pro coeuntes videtur posuisse, a Venere deducto verbo. — 23. alias calc.] Haec eximenda censet Tiliobroga; M. aut haec verba, aut illa 'percussisse alias' eiicienda putat; Sch. coni. percussisse alias, alias calcasse. — 25. rediit] Sic correxi ex Schol. Stat. l. c. Idem voluerunt Sch. et M.

Digitized by Google

ret, masculus, an femina; de qua re Tiresiam iudicem sumpserunt, qui utrumque erat expertus. Is cum secundum Iovem iudicasset, Iuno irata, manu aversa eum excaecavit. At Iovis ob id fecit, ut septem aetates viveret, vatesque praeter ceteros mortales esset.

LXXVI. Reges Thebanorum.

Cadmus, Agenoris filius; Amphion Iovis; Polydorus Cadmi; Laius Labdaci; Pentheus Echionis; Creon Menoecei; Oedipus Laii; Polynices Oedipi; Lycus Neptuni; Eteocles Oedipi; Zethus Iovis; Labdacus Polydori.

LXXVII. Leda.

Iuppiter Ledam, Thestii filiam, in cycnum conversus, ad flumen Eurotam compressit, et ex eo peperit Pollucem et Helenam, ex Tyndareo autem Castorem et Clytaemnestram.

LXXVIII. Tyndareus.

Tyndareus, Oebali filius, ex Leda, Thestii filia, procreavit Clytaemnestram et Helenam. Clytaemnestram Agamemnoni, Atrei filio, dedit in coniugium. Helenam, propter formae dignitatem, complures ex civitatibus in coniugium proci petebant. Tyndareus cum repudiaret filiam suam Clytaemnestram, et ab Agamemnone vereretur timeretque, ne quid ex ea re discordiae nasceretur, monitus ab Ulixe, iureiurando se obligavit, et arbitrio Helenae posuit, ut, cui vellet nubere, coronam imponeret. Menelao imposuit; cui Tynda-

---

1. foemina. 8. Menoetii. 9. Etheocles. 10. Zetus. 12. cygnum. 14. Clytemnestram. 16. Clytemnestram. 20. Clytemnestram ab. 22. Ulyxe. 24. ut cui.

---

1. femina] vulg. foemina — 2. utrumque] M. addendum putat sexum, vel legendum utramque, ita ut referatur ad voluptatem rei venereae. Praefero prius. Schol. Stat. l. c. 'qui expertus fuerat utrumque sexum', Myth. Vat I, l. c. qui utrumque sexum fuerat expertus; Lact. arg. l. c. qui utramque naturam maris ac foeminae fuerat expertus. Myth. Vat. II, l. c. qui utramque naturam expertus fuerat. — secundum I. i.] Similia cp. 164 — 3. manu av.] Lectio est corrupta. Mira sunt etiam ea, quae Schol. Stat. et Myth. Vat. II, l. c. prodiderunt. — 4. vatesque etc.] Schol. Stat. l. c. vatesque praeter caeteros mortales veracissimus haberetur. — Cap. LXXVI. Apollod. 3, 5, 4 sqq. — Ordo nominum in hoc capite est turbatus. — 8. Menoecei] Sic corr. M — 9. Eteocles] Sic corr. C. — 10. Zethus] Sic corr M. — Cap. LXXVII. Apollod. 3, 10, 7; Hyg. Astr. 2, 8. — 12. cycnum] vulg. cygnum. — 13. eo] B. ex Ms. vult ea; Sch. coni. ea ex eo; Mic. Quae ex eo. — 14. Clytaem.] Sic correxit St. — Cap. LXXVIII Apollod. 3, 10, 9. — 16. Clytaem.] Sic corr St. h. l. et in sqq. — 19. ex civ.] B. in Adv. haec profert: Ms. Codex lacerus situque disperditus legit: ex vicinis Regibus, ita tamen ut non sine difficultate eam lectionem assequaris. vicinis quidem clare scriptum est.' Sch. coni. ex vicinis civitatibus, vel ex vicinitatibus; M. ex optimatibus: W. compluribus ex civitatibus. Optimum mihi esse videtur: ex viciuis civitatibus. — 21. et ab] Sic corr. C. — 22. Ulixe] vulg. Ulyxe. — 23. arbitrio] M. coni. in arb. — 24. imponeret. Men.] Sic distinxit M. pro imponeret, Men. — Menelao] Mic.

Digitized by Google

reus eam dedit uxorem, regnumque moriens Menelao tradidit.

LXXIX. Helena.

Theseus, Aegei et Aethrae, Pitthei filiae, filius cum Pirithoo, Ixionis filio, Helenam, Tyndarei et Ledae filiam virginem, de fano Dianae sacrificantem rapuerunt, et detulerunt Aphidnas, in pagum Atticae regionis. Quod Iovis eos cum vidisset tantam audaciam habere, ut se ipsi ad periculum offerrent, in quiete eis imperavit, ut peterent ambo a Plutone Pirithoo Proserpinam in coniugium. Qui cum per insulam Taenariam ad inferos descendissent, et de qua re venissent indicarent Plutoni, a Furiis strati diuque lacerati sunt. Quo Hercules ad canem tricipitem ducendum cum venisset, illi fidem eius implorarunt. Qui a Plutone impetravit, eosque incolumes eduxit. Ob Helenam Castor et Pollux frater belligerarunt, et Aethram, Thesei matrem, et Phisadiem, Pirithoi sororem, ceperunt, et in servitutem sorori dederunt.

LXXX. Castor.

Idas et Lynceus, Apharei filii, ex Messenis, habuerunt sponsas Phoeben et Hilairam, Leucippi filias. Hae autem formosissimae virgines cum essent, et esset Phoebe sacerdos Minervae, Hilaira Dianae, Castor et Pollux amore incensi eas rapuerunt. Illi amissis sponsis, arma tulerunt, si possent eas recuperare. Castor Lynceum in proelio interfecit. Idas, amisso fratre, omisit bellum et sponsam, coepitque fratrem sepelire. Cum ossa eius collocaret in pila, intervenit Castor, et prohibere coepit monumentum fieri, quod diceret, se eum quasi feminam superasse. Idas indignans, gladio, quo cinctus erat, Castori inguina traiecit. Alii dicunt, quemadmo-

---

6. Athenas. 11. Tenaream. 12. furiis. 15. eduxit ad Helenam: Castor. 20. Lairam. 22. Laira. 28. foeminam.

---

coni. Quae Men.; Sch. ea Men. — cui] vulg. ut cui. Emendavi ex sententia Sch. Tollius coni. cui et. — 1. Menelao] Abfuit hoc a Ms. Barthii. M. delendum putat. — Cap. LXXIX. Fragm. Pirithoi Eurip., p. 302 Matth.; Diodor. 4, 26; Schol. Stat. Th. 1, 475. — 6. Aphidnas] Sic scripsi ex Paus. 1, 17; Plut. Thes. 31 aliisque; vulg. Athenas. M. aut Aphidnas scribendum censet, aut legendum: detulerunt in pagum etc. — 10. insulam] M. coni. speluncam. — 11. Taenariam] Sic corr. C. — 12. strati] Mic. i. m. prostrati. Sed hoc idem est. — diuque] Sch. coni. usque. — 14. eosque] cf. cp. 251. — 15. eduxit] Ita in eadem re Jul. Hyginus quoque ap. Gell. N. A. 10, 16, 13. M. coni. reduxit. — Ob] Sic corr. M. Ceterum quae hinc sequuntur, male coniuncta sunt cum antecedentibus. Eandem rem, de qua hic agitur, exponit Apollod. 3, 10, 7. — 16. Phisadiem] Infra cp. 92 Thisadien. Utrumque nomen corruptum est. — Cap. LXXX. Apollod. 3, 11, 2; Schol. Stat. Th. 8, 50. — 20. Hilairam] Sic correxi h. l. et in sqq. Graece Ἱλάειρα est. Varie scribitur hoc nomen in codd. Latinis: legimus enim Hilaira, ilaira, elaira, laira. — 24. Castor etc.] Alia tradunt Apollod. l. c.; Ov. Fast. 5, 711; Myth. Vat. I, 77. — 26. pila] i. e. monumento, ut ait M. — 28. fem.] vulg. foeminam. —

Digitized by Google

dum aedificabat pilam, super Castorem impulisse, et sic interfectum. Quod cum annuntiassent Polluci, accurrit, et Idam uno proelio superavit, corpusque fratris recuperatum sepulturae dedit. Cum autem ipse stellam ab Iove accepisset, et fratri non esset data, ideo quod diceret Iovis, Castorem semine Tyndarei et Clytaemnestram natos, ipsum autem et Helenam Iovis esse filios; tunc deprecatus Pollux, ut liceret ei munus suum cum fratre communicare. Cui permisit, ideoque dicitur alterna morte redemptus. Unde etiam Romani servant institutum, cum desultorem mittunt, unus duos equos habet, pileum in capite, [de] equo in equum transilit, quod ille sua et fratris vice fungatur.

LXXXI. Proci Helenae.

Antilochus, Ascalaphus, Aiax Oileus, Amphimachus, Aecaeus Blanirus, Agapenor, Aiax Telamonius, Clonius, Guneus, Menelaus, Patroclus, Diomedes, Peneleus, Schedius, Nireus, Polypoetes, Elephenor, Eumelus, Sthenelus, Tlepolemus, Protesilaus, Podalirius, Eurypylus, Idomeneus, Leonteus, Thalpius, Polyxenus, Prothous, Menestheus, Machaon, Thoas, Ulysses, Phidippus, Meriones, Meges, Philoctetes. Alia veteres.

LXXXII. Tantalus.

Tantalus, Iovis et Plutonis filius, procreavit ex Dione Pelopem. Iuppiter Tantalo concredere sua consilia solitus erat, et ad

---

2. annuntiasset. 6. Clytemnestram. 9. Rhomani. 11. de om. 14. Antiochus. — Oilaeus. — Antimachus. 15. Clytius Cyanaeus. 16. Phemius, Niraeus. 17. Elephemor. 18. Euripylus. — Teleontes. 19. Thallius. — Protus Mnestheus. 23. Plytones. — Pelopen.

---

2. annuntiassent] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — 6. Clytaem.] Sic. corr. St. — 7. filios; tunc] Sic distinxi pro 'filios. Tunc etc.' Idem voluit W. — 9. alterna etc.] cf. Verg. Aen. 6, 121. — Rom.] Sic corr. C. — 11. de equo] Ita legendum arbitror. Praepositionem de etiam supra addidi p. 72, 1. — Cap. LXXXI. Apollod. 3, 10, 8; Hyg. cap. 97. — 14. Antilochus] Sic corr. M., monente Mic. — Oileus] Sic corr. C. — Amphimachus] Sic scripsi ex Apollod. l. c. aliisque. Idem voluit M. — Aecaeus Blanirus] Sic A. Fortasse legendum Teucrus Telamonius. Quem inter Helenae mnesteras commemorat Apollod. l. c. M. ex coni. Sch. pro Aecaeus scripsit Ancaeus; sed hoc non probandum videtur. Nemo enim Ancaei inter procos Helenae, vel inter principes Graeciae, qui Troiam profecti sunt, meminit. Pro Blanirus voluit M. Ialmenus ex Apollod. l. c. — 15. Clonius, Guneus] Sic correxi, monente M. Eadem nomina restitui cp. 97. — 16. Schedius] Sic correxi ex Apollod. et Hyg. l. c. — Nireus] Sic corr. C. — 17. Elephenor] Sic corr. M. — 18. Euryp.] Sic corr. C. — Idomeneus] cf. Hyg. cp. 270. Apollodorus hunc inter procos Helenae non commemoravit. — Leonteus] Sic corr. M. Idem nomen restitui cp. 97. — 19. Thalpius] Sic corr. M. Idem voluerat Mic. — Prothous] Sic corr. M., monente Mic. — Men.] vulg. Mnestheus. — 20. Alia veteres] In Ms. B. 'alia noteres.' M. coni. Helenae mnesteres. — Cap. LXXXII. Schol. Pind. Ol. 1, 97. — 23. Plutonis] Sic corr. M. Fuit autem Pluto Oceani filia. — Dione] cf. cp. 9 et 83. — Pelopem] Sic corr. C. —

Digitized by Google

epulum deorum admittere; quae Tantalus ad homines renuntiavit. Ob id dicitur ad inferos in aqua media fine corporis stare, semperque sitire; et cum haustum aquae vult sumere, aquam recedere. Item poma ei super caput pendent; quae cum vult sumere, rami vento moti recedunt. Item saxum super caput eius ingens pendet, quod semper timet ne super se ruat.

LXXXIII. Pelops.

Pelops, Tantali et Diones, Atlantis filiae, filius, cum esset in epulis deorum a Tantalo caesus, brachium eius Ceres consumpsit. Qui a deorum numine vitam recepit; cui cum cetera membra, ut fuerant, coissent, humero non perpetuo, eburneum eius loco Ceres aptavit.

LXXXIV. Oenomaus.

Oenomaus, Martis et Asteropes [Atlantis] filiae filius, habuit in coniugio Euareten, Acrisii filiam; ex qua procreavit Hippodamiam virginem eximiae formae, quam nulli ideo dabat in coniugium, quod sibi responsum fuit, a genero mortem cavere. Itaque cum complures eam peterent in coniugium, simultatem constituit, se ei daturum, qui secum quadrigis certasset, victorque exisset, (quod is equos Aquilone velociores habuit) victus autem interficeretur. Multis interfectis, novissime Pelops, Tantali filius, cum venisset, et capita humana super valvas fixa vidisset eorum, qui Hippodamiam uxorem petierant, poenitere eum coepit, regis crudelitatem timens. Itaque Myrtilo, aurigae eius persuasit, regnumque ei dimidium pollicetur, si se adiuvaret. Fide data, Myrtilus currum iunxit, et clavos in rotas non coniecit; itaque equis incitatis currum defectum Oenomai equi distraxerunt. Pelops cum

---

2. aquam. 11. caetera. 15. Atlantis om. 24. halbas — in uxorem.

---

2. aqua] vulg. aquam. Sed ultima littera, ni fallor, ex sequenti vocabulo adhaesit. Idem voluit Mic. — media f. c.] Schoppius et H. coni. medii fine corporis; quod probandum videtur. Fine genuum dicit Hyg. Astr. 3, 12; 3, 13; 4, 12; fine totius veli, 4, 12. — 3. et cum] Sch. coni. at cum. Non assentior. — 4. Item poma etc.] Haec et quae sequuntur, e glossa esse putat M. — Cap. LXXXIII. Schol. Pind. Ol. 1, 37 sq. — 9. Diones] cf. cp. 9 et 82. — 10. brachium] Ut M. ait, late accipiendum est, ut etiam humerum complectatur. — 11. cet.] vulg. caetera. — 12. non perpetuo] i. e. non continuo, ut ait M. — Cap. LXXXIV. Schol. Pind. Ol. 1, 114; Schol. Eur. Or. 981; Serv. ad Ge. 3, 7; Myth. Vat. I, 21; II, 146. — 15. Asteropes] Asterope est etiam cp. 159, sed cp. 192 (cf. Hyg. Astr. 2, 21) Sterope appellatur. Talis scripturae varietas tempore demum procedente in hoc libro oriri potuit. Meziriac. voluit h. l. Steropes. — Atlantis] Hoc nomen addidi. Idem voluerunt Meziriac. et M. — 16. Hippodamiam] Alii Hippodamen eam appellant. Utrumque rectum est. — 18. cavere] Puto legendum caveret h. l. et cp. 27. — 19. simultatem const.] cf. cp. 22. — 24. valvas] Sic corr. L. Idem iam Mic. voluerat. — 25. poenitere etc.] B. voluit poenitere coepit; Sch. retinendam putat vulgatam, et apposuit illa Cic. ad Att. 8, 5 Solet eum, cum aliquid furiose fecit, poenitere. —

Digitized by Google

Hippodamia et Myrtilo domum victor cum rediret, cogitavit sibi opprobrium futurum, et Myrtilo fidem praestare noluit, eumque in mare praecipitavit; a quo Myrtoum pelagus est appellatum. Hippodamiam in patriam abduxit suam, quod Peloponnesum appellatur. Ibi ex Hippodamia procreavit Hippalcimum, Atreum, Thyesten.

LXXXV. Chrysippus.

Laius, Labdaci filius, Chrysippum, Pelopis filium nothum propter formae dignitatem Nemeae ludis rapuit. Quem ab eo Pelops bello recuperavit. Hunc Atreus et Thyestes matris Hippodamiae impulsu interfecerunt. Pelops cum Hippodamiam argueret, ipsa se interfecit.

LXXXVI. Pelopidae.

Thyestes, Pelopis et Hippodamiae filius, quod cum Aëropa, Atrei uxore, concubuit, a fratre Atreo de regno est eiectus. At is Atrei filium Plisthenem, quem pro suo educaverat, ad Atreum interficiendum misit. Quem Atreus credens fratris filium esse, imprudens filium suum occidit.

LXXXVII. Aegisthus.

Thyesti, Pelopis et Hippodamiae filio, responsum fuit, quem ex filia sua Pelopia procreasset, eum fratris fore ultorem. Quod cum audisset,* puer est natus, quem Pelopia exposuit; quem inventum pastores caprae subdiderunt ad nutriendum. Aegisthus est appellatus, ideo quod Graece capra *αἶγα* appellatur.

LXXXVIII. Atreus.

Atreus, Pelopis et Hippodamiae filius, cupiens a Thyeste fratre suo iniurias exequi, in gratiam cum eo rediit, et in regnum suum eum reduxit, filiosque eius infantes Tantalum et Pli-

---

4. adduxit. 6. Hippalcum. — Thiesten. 8. natum. 10. Thiestes. 14. Thiestes. 20. Thiesti. 24. aega. 27. Thieste. 29. Tantulum.

---

4. abduxit] Sic correxi. Idem voluit M. — quod P. a.] E glossa haec esse putant Sch. et M. — 6. Hippalcimum] Sic correxi ex p. 43, 17. Varie scribitur hoc nomen etiam in Graecis libris; legimus enim *Ἵππαλμος*, *Ἵππαλκμος*, *Ἱππάλκιμος*. Optimum esse videtur *Ἱππάλκιμος*. — Thyesten] Sic corr. C. — Cap. LXXXV. — 8. nothum] Sic corr. M., monente B., qui hoc in Ms. se legisse affirmat. Chrysippum Pelopis et Astyoches filium fuisse, tradunt Apollod. 3, 5, 5; Paus. 6, 20, 7 aliique complures. — 9. formae dign.] i. e. praestantiam, cf. cp. 78 et 106. Formae bonitas, cp. 8. — Cap. LXXXVII. Serv. ad Aen. 11, 262; Schol. Stat. Th. 1, 684; 4, 306; Myth. Vat. I, 22; II, 147. — 22. audisset] Deesse quaedam videntur, ut iam Mic. indicavit. Schol. Stat. Th. 1, 684 sic: audisset, paruissetque responsis. — 24. *αἶγα*] Sic correxi. — Cap. LXXXVIII. Schol. Stat. Th. 4, 306. — 29. Tantalum et Pl.] Ita et cp. 244 et 246. Alia nomina affert Schol. Eur. Or. 800. —

Digitized by Google

sthenem occidit, et [in] epulis Thyesti apposuit. Qui cum vesceretur, Atreus imperavit brachia et ora puerorum afferri. Ob id scelus etiam Sol currum avertit. Thyestes scelere nefario cognito, profugit ad regem Thesprotum, ubi lacus Avernus dicitur esse. Inde Sicyonem pervenit, ubi erat Pelopia, filia Thyestis, deposita. Ibi casu nocte cum Minervae sacrificaret, intervenit; qui timens, ne sacra contaminaret, in luco delituit. Pelopia autem cum choreas ducit, lapsa, vestem ex cruore pecudis inquinavit. Quae dum ad flumen exit sanguinem abluere, tunicam maculatam deponit; capite obducto Thyestes e luco prosilivit, et ea compressione gladium de vagina ei extraxit Pelopia, et rediens in templum, sub acropodio Minervae abscondit. Postero die rogat regem Thyestes, ut se in patriam Lydiam remitteret.

Interim sterilitas Mycenis frugum ac penuria oritur ob Atrei scelus. Ibi responsum est, ut Thyestem in regnum reduceret. Qui cum ad Thesprotum regem isset, aestimans Thyestem ibi morari, Pelopiam aspexit, et rogat Thesprotum, ut sibi Pelopiam in coniugium daret, quod putaret, eam Thesproti esse filiam. Thesprotus, ne qua suspicio esset, dat ei Pelopiam, quae iam conceptum ex patre Thyeste habebat Aegisthum. Quae cum ad Atreum venisset, parit Aegisthum; quem exposuit. At pastores caprae supposuerunt. Quem Atreus iussit perquiri, et pro suo educari.

Interim Atreus mittit Agamemnonem et Menelaum filios ad quaerendum Thyestem; qui Delphos petierunt sciscitatum. Casu Thyestes eo venerat ad sortes tollendas de ultione fratris; comprehensus ab eis ad Atreum perducitur. Quem Atreus in custodiam coniici iussit, Aegisthumque vocat, aestimans suum filium esse, et mittit eum ad Thyestem interficiendum. Thyestes cum vidisset Aegisthum, et gladium, quem Aegisthus gerebat, et cognovisset quem in compressione perdiderat, interrogat Aegisthum, unde illum haberet. Ille respondit, matrem sibi Pelopiam dedisse; quam iubet arcessiri. Cui respondit, se in compressione nocturna, nescio cui, eduxisse, et ex ea compressione Aegisthum concepisse. Tunc Pelopia gladium arripuit, simulans se agnoscere, et in pectus

1. in om. — Thiesti. 3. sol. — Thiestes. 6. Thiestis. 11. Thiestes. 14. Thiest s. — Lidiam. 16. Thiestem. 17. Thiestem. 21. Thieste. 26. Thiestem. 27. Thiestes. 30. Thiestem. 31. Thiestes. 34. accersiri.

1. in epulis] Sic correxi ex p. 62, 20 et cp. 244. — 3. Sol] vulg sol — currum av] cf. cp. 258. — 9. pecudis] Sch. coni. ped s. M pecudis nomine hostiam mactatam designari putat. — 10. capite etc] Sch. distinguendum putat sic: deponit capite obducto, Thiestes ètc. Quod minime est probandum — 11. et ea c.] Fortasse legendum: et eam compressit. Qua occasione etc M. coni. 'et eam compressit. ea compressione.'.— 14. Lydiam] Sic corr. C. — 34. arcessiri] Sic corr. St. — 35. Cui resp.] Melius foret, ut ait M., quae ei resp. — nescio] Legendum videtur nesciam. Quod et Munckero aliquando venerat in mentem. — 36. Tunc Pel.] Ante haec verba deesse quaedam videntur, ut iam Sch. indicavit. —

Digitized by Google

sibi detrusit. Quem Aegisthus e pectore matris cruentum tenens, ad Atreum attulit. Ille aestimans Thyestem interfectum, laetabatur. Quem Aegisthus in littore sacrificantem occidit, et cum patre Thyeste in regnum avitum redit.

LXXXIX. Laomedon.

Neptunus et Apollo dicuntur Troiam muro cinxisse. His rex Laomedon vovit, quod regno suo pecoris eo anno natum esset, immolaturum. Id votum avaritia fefellit. Alii dicunt, parum eum promisisse. Ob eam rem Neptunus cetum misit, qui Troiam vexaret. Ob quam causam rex ad Apollinem misit consultum. Apollo iratus ita respondit: si Troianorum virgines ceto religatae fuissent, finem pestilentiae futuram. Cum complures consumptae essent, et Hesiones sors exisset, et petris religata esset, Hercules et Telamon, cum Colchos Argonautae irent, eodem venerunt, et cetum interfecerunt; Hesionenque patri pactis legibus reddunt, ut cum inde redissent, secum in patriam eam abducerent, et equos, qui super aquas et aristas ambulabant. Quod et ipsum Laomedon fraudavit, neque Hesionen reddere voluit. Itaque Hercules ad eos navibus comparatis, ut Troiam expugnaret, venit, et Laomedontem necavit, et Podarci, filio eius infanti, regnum dedit, qui postea Priamus est appellatus, ἀπὸ τοῦ πρίασθαι. Hesionen recuperatam Telamoni concessit in coniugium; ex qua natus est Teucer.

XC. Priami filii et filiae, numero LIV.

Hector, Deiphobus, Cebriones, Polydorus, Helenus, Alexander, Hipposidus, Antiphus, Agathon, Dios, Mestor, Lyside, Po-

---

2. Thiestem. 4. Thieste. 13. Hesione fors. 21. Padaci. 23. reciperatam. 26. Geriones. 27. Antinous. — Agathon, Diastor. — Polymena.

Cap. LXXXIX. Apollod. 2, 5, 9; 2, 7, 4; Ov. Met. 11, 194 sqq.; Lact. arg. 11, 6; Serv. ad Aen. 8, 157; Myth. Vat. I, 136; II, 193. — 8. Alii etc.] Aut haec ponenda sunt post immolaturum, aut ut glossa eiicienda. — 9. parum] In Ms. B. aurum. H. coni. non parum auri. — 12. religatae] In sqq. est petris relig. — 13 Hesiones] Sic correxi. Accusativus in sqq. est Hesionen. M. et St. scripserunt h. l. Hesionae. Idem voluerat Sch. — sors] Sic corr. M. — 20. eos] H. coni. hoc; Sch. putat, hanc vocem natam esse ex litteris numerum navium exhibentibus. — 21. Podarci] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — 23. Hesionen] In ed. M et St. Hesionem. Recte in A. aliisque libris Hesionen. — recup.] vulg. reciperatam. — Cap. XC. Hom. in Il.; Apollod. 3, 12, 5. — 26. Cebriones] Sic corr. M. — 27. Hipposidus] Sch coni. Hippothous. Quod probandum videtur ex Apollod. l. c.; Hom. Il. 24, 251. M. coni. Hippothous, Isus. — Antiphus] Sic correxi ex Apollod. l. c.; Hom. Il. 4, 498. Sch. coni. Antiphonus; M. Antiphonus vel Antiphus. — Dios, Mestor] Sic scripsi pro Diastor; atque ita si legimus, fit numerus liberorum LIV. Dios inter filios Priami commemoratur ab Hom. Il. 24, 251; Mestoris meminerunt Apollod. l. c; Hom. Il. 24, 257. Sch. pro Diastor voluit Mestor; quod probat M. — Lyside] Fortasse legendum Lysimache ex Apollod. l. c. Sch. coni. Lycaste. Polyxena] Sic correxi. Idem iam Sch. voluerat. —

Digitized by Google

lyxena, Ascanius, Chirodamas, Euagoras, Dryops, Astynomus, Polymedon, Laodice, Ethionome, Phegea, Henicea, Demnosia, Cassandra, Philomela, Polites, Troilus, Palaemon, Brissonius, Gorgythion, Protodamas, Atreus, Dolon, Chroeresus, Chrysolaus, Demosthea, Doryclus, Hippasus, Hyperiscus, Lysianassa, Iliona, Nereis, Euander, Proneus, Archemachus, Glaucus, Axion, Biantes, Hippotrochus, Deiopites, Medusa, Hero, Creusa.

XCI. Alexander Paris.

Priamus, Laomedontis filius, cum complures liberos haberet ex concubitu Hecubae, Cissei sive Dymantis filiae, uxor eius praegnans in quiete vidit se facem ardentem parere, ex qua serpentes plurimos exisse. Id visum omnibus coniectoribus cum narratum esset, imperant, quicquid pareret, necaret, ne id patriae exitio foret. Postquam Hecuba peperit Alexandrum, datur interficiendus; quem satellites misericordia exposuerunt. Eum pastores pro suo filio repertum expositum educarunt, eumque Parim nominaverunt. Is cum ad puberem aetatem pervenisset, habuit taurum in deliciis. Quo

---

1. Drypon. — Astinomus. 2. Polymetus. 3. Polipes. — Palemon. 4. Gorgition. 5 Doricops. — Hippassus — Hiperiscus. 6. Aromachus, Hilagus. 7. Diophites. 11. filia. 19. delitiis.

---

1. Chirodamas] Chersidamas est ap. Hom. Il. 11, 423; Apollod. l. c. — Dryops] Sic correxi ex Hom Il. 20, 454: Apollod. l. c. — Astynomus] Sic corr. C. Astygonus est ap. Apollod. l. c. — 2. Polymedon] Sic correxi ex Apollod. l. c. — Ethionome] Sch. coni. Deinone. Fortasse legendum Echemon ex Apollod. l. c. — Phegea, H.] Haec corrupta sunt nomina. — Demnosia] M. coni. Demonassa. — 3. Polites] Sic corr. M. Idem voluerant Sch. et Salm. — Palaemon] Sic corr. C; Sch. coni. Philaemon ex Apollod. l. c.; Salm. i. m. libri sui, Pammon. Pammon est Priami filius ap. Hom. Il. 24, 250. — 4. Brisson.] Hoc nomen corruptum est. — Gorgythion] Sic corr. M., ex Hom. Il. 8, 302 et Apollod. l. c. — Atreus] Fortasse legendum Arrhetus ex Apollod. l. c. Ἄρητος est apud Hom. Il. 17, 494. — Dolon] Huius alii inter filios Priami non meminerunt. — Chroeresus] Hoc nomen corruptum esse videtur. — 5. Chrysolaus] Hunc aliunde non novi. — Demosthea] Hoc nomen corruptum est. — Doryclus] Sic correxi ex Hom. Il. 11, 489; Apollod. l. c. Idem voluit M. — Hippasus] Sic corr. C. Ceterum Hippasi inter filios Priami alii non meminerunt. Hyper.] Sic correxi C. Hyperion Priami filius est apud Apollod. l c. — 6. Lysianassa] Alii eius inter Priami filias non meminerunt. — Nereis] Hanc aliunde non novi. — Proneus] M. coni. Ilioneus. — Archemachus] Sic correxi ex Apollod. l. c. — 7. Glaucus] Sic correxi, monente M. — Axion] Paus 10, 27. — Biantes] Fortasse legendum Bias ex Apollod. l. c. — Hippotrochus] Fortasse legendum Hypirochus, vel Hyperochus ex Apollod l. c. — Deiopites] Sic corr. M. ex Hom. Il. 11, 420 et Dicty Cr. 3. — 8. Medusa] Apollod l. c. Paus. 10, 26, 1. — Hero] Huius alii inter Priami filias non meminerunt. — Creusa] Apollod. et Paus. l. c — Cap. XCI. Fragm. Alexandri Eurip., p. 33 sqq. Matth., p. 298 sqq. Nauck; Apollod. 3, 12, 5; Serv ad Aen 7, 320; 5, 370; 10, 705; Myth. Vat. II, 197. — 11. Cissei s. D.] cf. cp. 111, 243 et 249. Plura de hac re apud Serv. ad Aen. 7, 320; Heyne ad Verg. Aen. 10, 705 — filiae] Sic corr. M. — 12. ex qua etc.] Sch. coni ex qua serpentes (sc. faces) plurimas exisse; H. ex qua repente plurimas (id est alias faces) exisse; W. ex qua repente plurima exarsisse. — 16. misericordia] cf. cp. 2. — 17. expositum] ante 'pastores' transponi vult Nauck. l. c. — 19. deliciis] Sic corr. C. — Quo] Quod scripsit Nauck. l. c. —

Digitized by Google

cum satellites missi a Priamo, ut taurum aliquis adduceret, venissent, qui in athlo funebri, quod ei fiebat, poneretur, coeperunt Paridis taurum abducere. Qui persecutus est eos, et inquisivit, quo eum ducerent; illi indicant, se eum ad Priamum adducere [ei], qui vicisset ludis funebribus Alexandri. Ille amore incensus tauri sui, descendit in certamen, et omnia vicit; fratres quoque suos superavit. Indignans Deiphobus, gladium ad eum strinxit, at ille in aram Iovis Hercei insiluit. Quod cum Cassandra vaticinaretur, eum fratrem esse, Priamus eum agnovit, regiaque recepit.

XCII. Paridis iudicium.

Iovis, cum Thetis Peleo nuberet, ad epulum dicitur omnes deos convocasse, excepta Eride, id est Discordia. Quae cum postea supervenisset, nec admitteretur ad epulum, ab ianua misit in medium malum; dicit, quae esset formosissima, attolleret. Iuno, Venus, Minerva formam sibi vindicare coeperunt; inter quas magna discordia orta. Iovis imperat Mercurio, ut deducat eas in Idam montem ad Alexandrum Paridem, eumque iubeat iudicare. Cui Iuno, si secundum se iudicasset, pollicita est in omnibus terris eum regnaturum, divitem praeter ceteros praestaturum; Minerva, si inde victrix discederet, formosissimum inter mortales futurum, et omni artificio scium; Venus autem Helenam, Tyndarei filiam, formosissimam omnium mulierum, se in coniugium dare promisit. Paris donum posterius prioribus anteposuit, Veneremque pulcherrimam esse iudicavit. Ob id Iuno et Minerva Troianis fuerunt infestae. Alexander Veneris impulsu Helenam a Lacedaemone ab hospite Menelao Troiam abduxit, eamque in coniugio habuit cum ancillis duabus Aethra et

---

5. ei om. 9. Hercaei. 13. discordia. 16. vendicare. 18. Ida monte. 21. caeteros. 22. formissimum.

---

2. ei] i. e. Paridi sive Alexandro, quem perisse putabant. — 5. ei qui] Sic correxi, monentibus Tollio et B. — 7. omnia] Sch. coni. omnis, pro omnes; M Hellenismum esse putat, et subaudiendum certamina. Apposuit verba Schol. Hom. Il. 4, 376: νικᾷ τὰ πάντα. — Indignans] cf. p. 77, 28. Sch. coni. Id indignans. — 8. ad eum st.] i. e. in eum, ut scribunt Serv. ad Aen. 5, 370 et Myth Vat. l. c. — 9. Hercei] Sic corr. St., monente M. — Cap. XCII. Schol Eur. Hec. 637; Serv. ad Aen. 1, 27; Myth. Vat. I, 208; II, 206; Fulg. Myth. 3, 7. — 13. id etc] Sch. et M. haec e glossa esse putant. Non assentior. — Discordia] vulg. discordia. Meminit eiusdem Hyginus p. 26, 5. — 15. dicit] Sch. alique voluerunt dicitque: H. coni. adiecitque; M. dixitque. — 16. vind.] Sic corr Sch. — 18. Idam montem] Sic correxi. Simile quid est cp. 139. — 21. divitem] Mic i. m divitiis fortasse. M. coni. et divitiis praeterea caeteros praestaturum; W. et divitiis praeter caeteros praestiturum'. Idem haec adiicit: Conicci tamen etiam liceat: divitemque, vel tum divitem praeter caeteros extiturum. — 22. formosissimum] Sic corr. C. Melius foret, mea sententia, fortissimum; quod et Munckero venit in mentem. B. coni. famosissimum. — 23. omni artificio scium] Sic p. 40, 7 augurio doctus, et p. 41, 20 augurio prudens. Mic. coni. omnium artificiosissimum. Quod non est probandum. —

Digitized by Google

Thisadie, quas Castor et Pollux captivas ei assignarant, aliquando reginas.

XCIII. Cassandra.

Cassandra, Priami et Hecubae filia, in Apollinis fano ludendo lassa obdormisse dicitur. Quam Apollo cum vellet comprimere, corporis copiam non fecit. Ob quam rem Apollo fecit, ut cum vera vaticinaretur, fidem non haberet.

XCIV. Anchises.

Venus Anchisen, Assaraci filium, amasse, et cum eo concubuisse dicitur. Ex quo procreavit Aeneam, eique praecepit, ne id apud homines enuntiaret. Quod Anchises inter sodales per vinum est elocutus; ob id a Iove fulmine est ictus. Quidam dicunt, eum sua morte obisse.

XCV. Ulixes.

Agamemnon et Menelaus, Atrei filii, cum ad Troiam oppugnandam coniuratos duces ducerent, in insulam Ithacam ad Ulixem, Laertis filium, venerunt. Cui erat responsum, si ad Troiam isset, post vicesimum annum, solum, sociis perditis, egentem domum rediturum. Itaque cum sciret ad se oratores venturos, insaniam simulans, pileum sumpsit, et equum cum bove iunxit ad aratrum. Quem Palamedes ut vidit, sensit simulare, atque Telemachum filium eius, cunis sublatum, aratro ei subiecit, et ait: Simulatione deposita, inter coniuratos veni. Tunc Ulixes fidem dedit se venturum; ex eo Palamedi infestus fuit.

XCVI. Achilles.

Thetis Nereis cum sciret, Achillem, filium suum, quem ex Peleo habebat, si ad Troiam expugnandam isset, periturum, com-

---

8. Anchisa. 9. Anchisam. — Assarici. 14. Ulyxes. 16. Ulyxem. 24. Ulyxes.

---

1. Thisadie] cf. cp. 79. — Cap. XCIII. Apollod. 3, 12, 5; Serv. ad Aen. 2, 247; Myth. Vat. I, 180; II, 196 — 7. fidem n. h.] i. e. fides illi non habetur, ut ait W. — Cap. XCIV. Serv. ad Aen. 1, 617; 2,649; Myth. Vat. I, 217. — 8. Anchises] vulg. Anchisa. Sed statim in seqq. nominativus est Anchises; item cp. 260 et 270. Sciendum, librarios in inscriptionibus harum tabularum saepius peccasse; cf. cp. 15. — 9. Anchisen] vulg. Anchisam, et cp. 254 Anchisem. Utroque loco legendum videtur Anchisen. — Assaraci] Sic corr. (; cf. cp. 270. Alii Anchisen Capyos, Assaraci filii, filium fuisse tradiderunt, ut Serv. ad Aen. 1, 284; 9, 643; Philarg. ad Ge. 3, 35. — 11. per vinum] De hac re dixi in Prolegg. — 12. fulmine etc] Alia tradit Serv. ad Aen 1, 617; 2, 649 et 687 — 13 sua morte] Mallem suam mortem. Ita sane legimus cp. 46. — Cap. XCV. Serv. ad Aen. 2, 81; Schol. Stat. Ach. 1, 93; Myth. Vat. I, 35; II, 200. — 14. Ulixes] vulg. Ulyxes h. l. et in sqq. — 20. equum etc] Plin. H. N. 35, 11. — 23. aratro ei] Sch. coni. aratro eius; Periz. araturo ei. — Cap. XCVI. Apollod. 3, 13, 8; Serv. ad Aen. 2, 477. —

Digitized by Google

mendavit eum in insulam Scyron ad Lycomedem regem. Quem ille inter virgines filias habitu femineo servabat, nomine mutato; nam virgines Pyrrham nominarunt, quoniam capillis flavis fuit, et Graece rufum πυῤῥόν dicitur. Achivi autem cum rescissent ibi eum occultari, ad regem Lycomedem oratores miserunt, qui rogarent, ut eum adiutorium Danais mitteret. Rex cum negaret apud se esse, potestatem eis fecit, ut in regia quaererent. Qui cum intelligere non possent, quis esset eorum, Ulysses in regio vestibulo munera feminea posuit, in quibus clipeum et hastam, et subito tubicinem iussit canere, armorumque crepitum et clamorem fieri iussit. Achilles hostem arbitrans adesse, vestem muliebrem dilaniavit, atque clipeum et hastam arripuit. Ex hoc est cognitus, suasque operas Argivis promisit, et milites Myrmidones.

XCVII. Qui ad Troiam expugnatum ierunt, et quot naves.

Agamemnon, Atrei et Aëropes filius, Mycenis, navibus centum. Menelaus, frater eius, Mycenis, navibus LX. Phoenix, Amyntoris filius, Argivus, navibus L. Achilles, Pelei et Thetidis filius, insula Scyro navibus LX. Automedon, auriga Achillis, Scyro navibus X. Patroclus, Menoetii et Philomelae filius, Phthia navibus X. Aiax Telamonis ex Eriboea filius, Salamine, navibus XII. Teucer frater ex Hesiona, Laomedontis filia, navibus XII. Ulysses, Laertae et Anticliae filius, Ithaca, navibus XII. Diomedes, Tydei et Deipylae, Adrasti filiae, filius, Argis, navibus XXX. Sthenelus, Capanei et Euadnes filius, Argis, navibus XXV. [Euryalus,

---

1 Scyro. 2. foemineo. 4. pyrrhon. 10. foeminea. — tubicinam. 22. Philomellae. 23. Eryboea. 26. Deiphilae. 28. Euryalus, Mecistei filius, Argis, navibus XXV, om.

---

1. commendavit] Ita Serv. quoque l. c. — Scyron] Sic corr. M., monente Sch. — 2. fem.] vulg. foem. h. l. et in sqq. — 3. Pyrrham] cf. cp. 97 sub fine. — 4 πυῤῥόν] Sic correxi. Graeca et aliis locis huius scriptoris restitui. — 9 eorum] Sch coni. earum. — 10. tubicinem] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — Cap. XCVII. Hom. Il. 2, 494 sqq.; Aristot. in Peplo (Bergk, Poet. Lyr. Gr., Lipsiae 1843, p. 455 sqq.); Dictys Cr. 1, 17; Dares 14. — 18. Mycenis] sc. Troiam ivit. M. sic: Mycenis, h. e. *Μυκηναῖος*. — 19. Phoenix] Homerus in catalogo navium eius non meminit. — 21. navibus LX] Secundum Hom. v. 685 l. c. aliosque, navibus L. — Automedon] Il. 9, 209. In catalogo navium Homerus eius non meminit. — 22. Patroclus] Quot naves hic Troiam adduxerit, Homerus non tradidit. — Philomelae] Sic corr. M. Ceterum de matre Patrocli dissentiunt scriptores, ut iam patet ex Apollod. 3, 13, 8. — 23. Eriboea] Sic corr. C. — 24 Teucer] Quot naves hic Troiam adduxerit, Homerus non tradidit. — 25 Laertae] Mallem Laertis, ex cap. 95. — 26. Diomedes] Secundum Hom. Il. 2, 599 sqq. Diomedes et Sthenelus et Euryalus cum octoginta navibus Troiam profecti sunt. Idem Hyginus prodidisse videtur. — Deipylae] Sic corr. M. h. l. et alibi. — 28. Euryalus etc.] Haec addidi ex coniectura. Si Diomedi tribuimus XXX naves, Sthenelo XXV, et Euryalo XXV, fit numerus LXXX. Sic consentit Hyginus cum Homero. —

Digitized by Google

Mecistei filius, Argis, navibus XXV]. Aiax, Oilei et Rhenes Nymphae filius, Locrus, navibus XX. Nestor, Nelei et Chloridis [Amphionis] filiae filius, Pylius, navibus XC. Antilochus, Nestoris filius, Pylius, navibus XX. Thrasymedes frater ex Eurydice, Pylius navibus XV. Eurypylus, Euaemonis et Opis filius, Ormenio, navibus XL. Machaon, Asclepii et Coronidis filius, a Tricca, navibus XX. Podalirius, frater eius, navibus IX. Tlepolemus, Herculis et Astyoches filius, Mycenis, navibus IX. Idomeneus, Deucalionis filius, a Creta, navibus XL. Meriones, Moli et Melphidis filius, a Creta, navibus XL. Eumelus, Admeti et Alcestis, Peliae filiae, filius, a Perrhaebia, navibus VIII. Philocteta, Poeantis et Demonassae filius, Meliboea, navibus VII. Peneleus, Hippalcimi et Asteropes filius, Boeotia, navibus XII. Leitus, Lacreti et Cleobules filius, ex Boeotia, navibus XII. Clonius, frater eius, ex Boeotia, navibus IX. Arcesilaus, Lyci et Theobulae filius, ex Boeotia, navibus X. Prothoenor frater, ex Thespia, navibus VIII. Ialmenus, Lyci et

---

3. Amphionis om. — navibus XC. Thrasimedes frater ex Euridice, Pylius, navibus XV. Antilochus, Nestoris filius, Pylius, navibus XX. 6. Orchomeno. 7. filius, Attica. — Podalyrius. 12. Parrhebia. 14. Hippalci. 15. Pithus. 16. Chronius. 18. ex Hastipiae.

---

1. Rhenes] Hom. Il. 2, 728. — 2. navibus XX] Secundum Hom. Il. 2, 527 sqq. aliosque nav. XL. — 3. Amphionis] Hoc nomen addidi, monente M. — Antilochus etc.] Omnes sic legunt: Thrasymedes frater etc. Antilochus Nestoris etc. Transponenda haec esse, iam vidit Sch. Homerus in catalogo non meminit filiorum Nestoris. — 6. Ormenio] Sic corr. M. ex Hom. Il. 2, 734. — Machaon] Secundum Hom. Il. 2, 729 sqq. aliosque Machaon et Podalir.us Troiam profecti sunt cum XXX navibus. Quare apud Hyginum sic legendum arbitror: Machaon — navibus XV. Podalirius — navibus XV. — Asclepii] Fortasse legendum: Asclepii, Apollinis et Coronidis filii, filius; cf. p. 43, 19; cp. 161 et 202. — 7. Tricca] Sic scripsi h. l. et p. 43, 20 ex Hom. Il. 2, 729. Salm. voluit Trica; quod idem est. — Podalirius] Sic corr. C. — 9. Mycenis] Secundum Hom. Il. 2, 653 sqq. ex Rhodo insula. — Idomeneus etc.] Hom. Il. 2, 645 sqq. — Deucalionis] cf. cp. 14. — 10. a Creta] Sic et in sqq. Aliis locis ex Creta, ut p. 43, 23. — Moli] i. e. filii Deucalionis; Hom. Il. 10, 269; 13, 279; Apollod. 3, 3, 1. — Melph.] Hanc aliunde non novi. — 11. Eumelus] Secundum Hom. Il. 2, 711 sqq. cum XI navibus Troiam venit. — 12. Perrhaebia] Sic corr. M.; qui tamen h. l. sic mallet legere: Pheris navibus XI. Guneus a Perrhaebis XXII.' Sed Gunei nomen, mea sententia, in sqq. est restituendum. — 13. Poeantis etc.] cf. cp. 14, 36, 102, 257. — Meliboea] Supra cp. 14 a Meliboea. — 14. Hippalcimi] Sic scripsi h. l. et cp. 84. — Boeotia] Mallem ex Boeotia. Ita enim in sqq. — navibus XII] Secundum Hom. Il. 2, 494 sqq. Peneleus, Leitus, Arcesilaus, Clonius et Prothoenor, duces Boeotorum, Troiam profecti sunt cum L navibus. Fortasse apud Hyg. olim sic: Peneleus n. X, Leitus n. X, Clonius n. X, Arcesilaus n. X, Prothoenor n. X. — 15. Leitus] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. — Lacreti] M. coni. Alectoris ex Apollod. 1, 9, 16. Quod probandum videtur. — 16. Clonius] Sic correxi ex Hom. l. c. aliisque. Idem iam Mic. voluerat. — 17. Lyci] Puto legendum Areilyci ex Hom. Il. 14, 451. — Theobulae] Hanc aliunde non novi. — 18. Thespia] Sic corr. M., monente. Mic., ex Hom. Il. 2, 498. — Ialmenus] Secundum Hom. Il. 2, 511 sqq. Ialmenus et Ascalaphus Troiam profecti sunt cum triginta navibus. — Lyci et Pernidis] Secundum Hom. l. c. Ialmenus et Ascalaphus Martis et Astyoches filii fuerunt, atque idem tradidit Hyg. cp. 159. —

Digitized by Google

Pernidis filius, Argis, navibus XXX. Ascalaphus, frater eius, Argis, navibus XXX. Schedius Iphiti et Hippolytes filius, Argis, navibus XX. Epistrophus, frater eius, itidem navibus XX. Elephenor, Chalcodontis et Imenaretes filius, Argis, navibus XXX. Menestheus, Petei filius, Athenis, navibus L. Agapenor, Ancaei et Iotis filius, Arcadia, navibus LX. Amphimachus, Cteati filius, Elea, navibus X. Eurychus, Pallantis et Diomedae filius, Argis, navibus XV. Amarunceus, Onesimachi filius, Mycenis, navibus XIX. Polyxenus, Agasthenis et Pelorides filius, Aetolia, navibus XL. Meges, Phylei et Eustyoches filius, a Dulichio, navibus XL. Thoas, Andraemonis et Gorges filius, [ex Aetolia, navibus XL. Protesilaus, Iphicli filius, Ithone, navibus XX]. Podarces, frater eius, itidem navibus XX. Prothous, Tenthredonis filius, Magnesia, navibus XL. Guneus, Ociti et Aurophites filius, Argis, navibus XII. Nireus, Charopi et [Aglaiae] Nymphae filius, Argis, navibus XVI. Antiphus, Thessali et Chalciopes filius, Nisyro, navibus XV. [Phidippus, frater eius, itidem navibus XV]. Polypoetes, Pirithoi et Hippodamiae

---

3. navibus XXX. — navibus X. 4. Calchodontis. 5. Menoeae filius Atheuis. 6. Agepenor. 9 Polysenes Astionis. 11. navibus LX 12. Andremonis. — Gorgid.s filius, Tyto navibus XV. Podarces frater eius itidem navibus X. — 15 Cycnus. 16. Aglaiae om. 17. Ant phus Mnesyli et Chalciopes filius, Thessalus, navibus XX. Polypoetes etc.

---

1. Argis] Sch vult Orchomeno; quod probat M. — 2. Schedius etc] Il. 2, 517 sqq — 3 navibus XX] vulg. navibus XXX, et in sqq. itidem navibus X. Quod dedi, iam M. voluerat ex Hom. l. c. — 4. Imenar.] Hoc nomen corruptum est. — Argis etc] Secundum Hom. Il. 2, 536 sqq. aliosque ex Euboea cum XL navibus. — 5. navibus XXX] Ita Dictys quoque. Secundum Homerum autem cum XL navibus profectus est. — Men. Petei] Sic scripsi ex Il. 2, 546 sq. M. coni. Mnestheus Petei. — 6. Agapenor] Sic corr. C. — Iot's] Hoc nomen corruptum est. — 7. Amphim. etc.] Secundum Hom. Il. 2, 615 sqq. aliosque Amphimachus, Thalpius, Diores, Polyxenus Troiam profecti sunt cum XL navibus. — Elea] i e. Elide. — Eurychus Pall.] Puto legendum Thalp us Euryti, ex Hom. l. c. aliisque. Eiusdem meminit Hyg. cp. 81. — 8. Am. Ones] Haec nom:na corrupta sunt. Ex Homero aliisque exspectares Diores Amaryncei — 9. Polyx. Ag.] Sic corr. M., ex Hom. l. c. Idem voluerat Mic. 10 Pelorides] Hoc nomen corruptum est. — Meges] Il. 2, 625 sqq. — 11 Eustyoches] H nc aliunde non novi. — navibus XL] Sic correxi ex Hom. l. c. — 12. Gorges] Sic correxi ex Arist. l. c.; Apollod. 1, 8, 1 aliisque. M. coni. Gor es vel Gorgis — ex Aetolia etc.] Haec addidi, monente M. — 13. Prot s lus] Il 2, 695 sqq. Protesilai nomen h. l. excidisse, iam vidit Mic. — 15. Guneus] Sic scripsi pro Cycnus. Idem nomen restitui cp. 81. — Ociti et Aur] Haec corrupta sunt. — 16. Ar is] Secundum Hom. l. c. ex Cypho. — n vi us XII] Eur. Iph Aul 278 Alia tradit Hom. Il. 2, 748. — Aglaiae] Hoc nomen add.di ex H m Il 2, 671 et Aristot. l c. Micyllus i. m. Aglaies. — 17. Argis etc.] Secundum Hom. aliosque venit ab insula Syme cum tribus n vi us — Antiphus etc] Sic correxi. Mic. coni. Antiphus Thessali et Chalciopes fil us Nisyro navibus XXX'. Quod probat M. Sed Phid ppus, cuius Hyginus etiam cp. 81 mem nit, mea sententia, h. l. minime erat omittendus. Ant phus autem et Phidi pus, ut trad t Hom. Il. 2, 676 sqq., secum duxerunt Troiam XXX naves. — 19. Polypoetes] Il. 2, 738 sqq; Hyg. cp. 81 et 114 —

filius, Argis, navibus XX. Leonteus, Coroni filius, a Sicyone, navibus XIX. Calchas, Thestoris filius, Mycenis, augur. Epeus, Panopei filius, architectus. Eurybates et Talthybius internuntii. Diaphorus iudex. Neoptolemus, Achillis et Deidamiae filius, ab insula Scyro; hic idem Pyrrhus est vocitatus a patre Pyrrha. Summa naves CCXLV.

XCVIII. Iphigenia.

Agamemnon cum Menelao fratre, Asiae delectis ducibus, Helenam uxorem Menelai, quam Alexander Paris avexerat, repetitum ad Troiam cum irent, in Aulide tempestas eos ira Dianae retinebat, quod Agamemnon in venando cervam eius violavit, superbiusque in Dianam est locutus. Is cum aruspices convocasset, et Calchas se respondisset aliter expiari non posse, nisi Iphigeniam, filiam Agamemnonis, immolasset, re audita Agamemnon recusare coepit. Tunc Ulysses eum consiliis ad rem pulchram transtulit. Idem Ulysses cum Diomede ad Iphigeniam missus est adducendam. Qui cum ad Clytaemnestram matrem eius venissent, ementitur Ulysses, eam Achilli in coniugium dari. Quam cum in Aulidem adduxisset, et parens eam immolare vellet, Diana virginem miserata est, et caliginem eis obiecit, cervamque pro ea supposuit, Iphigeniamque per nubes in terram Tauricam detulit, ibique templi sui sacerdotem fecit.

XCIX. Auge.

Auge, Alei filia, ab Hercule compressa, cum partus adesset, in monte Parthenio peperit, et ibi eum exposuit. Eodem tem-

---

1. Leophites Chroni. 3. Phocus Danai filius. 18. Clytemnestram.

---

1. Argis] Alii alia prodiderunt. — Leonteus Coroni] Sic correxi ex Hom Il. 2, 745 sq. aliisque. Idem iam Mic. voluerat. — Sicyone] Fortasse legendum Gyrtone; cf. Il. 2, 738; Hyg. cp. 14. — 2. navibus XIX.] Puto legendum n. XX. Nam, ut Homērus tradit, Polypoetes et Leonteus Troiam profecti sunt cum XL navibus. — 3. Epeus Panopei] Sic correxi, monente M. — Euryb. et Tal.] Il. 1, 319 sq. — 4. Diaphorus] Hunc aliunde non novi. — 6. Pyrrha] cf. cp. 96. — naves 245] Numerus corruptus est. Pro certo tamen haberi potest, mea sententia, Hyginum paulo plus MCCXL navibus numerasse. — Cap. XCVIII. Ov. Met. 12, 1 sqq; Hyg. cp. 261; Dictys 1, 17. — 8. Asiae] Mic. coni. aliisque; Sch. et aliis. Puto legendum, a se. — 13. se] Sch. coni. ei; M. se dictum putat pro eum. — expiari] B. coni. expiare. — 14 Agamemnonis] M. putat, glossatoris hoc esse, vel in sqq. legendum immolassent. — 16. rem pulchram] Fortasse legendum rem publicam, ita ut sensus sit: ad rem publicam respicere eum iussit. — Idem] Sch. coni. Ideo. Non assentior. — 18. Clyt] Sic corr. St. — 21. caliginem e. o.] Ov. v. 32. l c. nubemque oculis obiecit. — cervam] Ita tragici poetae, et qui eos secuti sunt; inter quos est etiam Ovid. v. 34 l. c. Alii alia litteris mandaverunt. — Cap. XCIX. Fragm. Auges Eurip., p. 94 sqq. Matth. p. 347 sqq. Nauck.; Apollod. 2, 7, 4; 3, 9, 1; Diod. 4, 33; Paus. 3, 48. —

Digitized by Google

pore Atalante, Iasii filia, filium exposuit ex Meleagro natum. Herculis autem filium cerva nutriebat. Hos pastores inventos sustulerunt, atque nutrierunt; quibus nomina imposuerunt, Herculis filio Telephum, quoniam cerva nutrierat; Atalantes autem Parthenopaeum, quoniam virginem se simulans in monte Parthenio eum exposuerat. Ipsa autem Auge patrem suum timens, profugit in Mysiam, ad regem Teuthrantem. Qui cum esset orbus liberis, hanc pro filia habuit.

C. Teuthras.

Teuthrantem regem in Mysia Idas, Apharei filius, regno privare voluit. Quo cum Telephus, Herculis filius, ex responso quaerens matrem, cum comite Parthenopaeo venisset, huic Teuthras regnum et filiam Augen in coniugium daturum promisit, si se ab hoste tutatus esset. Telephus condicionem regis non praetermisit: cum Parthenopaeo Idam uno proelio superavit. Cui rex pollicitam fidem praestitit, regnumque et Augen matrem inscientem in coniugium dedit. Quae quum mortalem neminem vellet suum corpus violare, Telephum interficere voluit, inscia filium suum. Itaque cum in thalamum venissent, Auge ensem sumpsit, ut Telephum interficeret. Tum deorum voluntate dicitur draco immani magnitudine inter eos exisse; quo viso, Auge ensem proiecit, et Telepho inceptum patefecit. Telephus re audita, inscius matrem interficere voluit: illa Herculem violatorem suum imploravit, et ex eo Telephus matrem agnovit, et in patriam suam reduxit.

CI. Telephus.

Telephus, Herculis et Auges filius, ab Achille in pugna Chironis hasta percussus dicitur. Ex quo vulnere cum indies tetro cruciatu angeretur, petit sortem ab Apolline, quod esset re-

---

5. virgine simulante. 7. Moesiam. 10. Moesia. 12. Parthenopeo. 14. tutasset. 15. Parthenopeo. — praelio.

---

1. Atalante Iasii] Alia fuit Schoenei filia, cuius meminit Hyg. cp. 173, 174, 185 et 244. Saepius, ut constat, hae a scriptoribus confunduntur. — ex Meleagro] cf. cp. 70 et 270. Idem tradunt Schol. Stat. Th. 4, 309 et Myth. Vat. I, 174. Alii Parthenopaeum Milanionis vel Martis filium fuisse tradunt. — 2. Hos] M. haec addit: Barthius ad Stat. Tom. 2, p. 989 ambos, ex membranis Gruteri. Sed vulgatum aeque rectum est.' — 5. virginem se sim.] Sic scripsi ex coniectura. In membranis Gruteri, ut B. ait ad Stat. l. c., legebatur: virgine simulanter mater ignara. Unde ipse rescribere mallet: virginem simulantem mater ignota.' Sch. coni. virginem simulans se. Vera lectio, ni fallor, haec fuit: virginem se simulans mater. Infra cp. 107 Parin se simulans; cp. 147 seque nutricem lactantem simulavit. — 7. Mysiam] Sic correxi h. l. et in sqq. — Cap. C. — 12 Parth.] Sic corr. C. — 13. Augen] cf. cp. 99. — 14. tutatus esset] Sic scripsi, monente Mic.; cf. Hyg. cp. 120, 140 et 219. — 16. pollicitam] i. e. datam, pactam. — 17. inscientem] M. coni. inscienti ei. — 23. inscius] cf. cp. 67, 122, 184. Sch. coni. eam inscius. — Cap. CI. Fragm. Tel. Eurip., p. 339 sqq. Matth. p. 456 sqq. Nauck. —

Digitized by Google

medium: responsum est, ei neminem mederi posse, nisi eandem hastam, qua vulneratus erat. Hoc Telephus ubi audivit, ad regem Agamemnonem venit, et monitu Clytaemnestrae Orestem infantem de cunabulis rapuit, minitans, se eum occisurum, nisi sibi Achivi mederentur. Achivis autem quod responsum erat, sine Telephi ductu Troiam capi non posse, facile cum eo in gratiam redierunt, et ab Achille petierunt, ut eum sanaret. Quibus Achilles respondit, se artem medicam non nosse. Tunc Ulysses ait: Non te dicit Apollo, sed auctorem vulneris hastam nominat. Quam cum rasissent, remediatus est. A quo cum peterent, ut secum ad Troiam expugnandam iret, non impetrarunt, quod is Laodicen, Priami filiam, uxorem haberet. Sed ob beneficium, quod eum sanarunt, eos deduxit, locos autem et itinera demonstravit; inde in Mysiam est profectus.

CII. Philoctetes.

Philoctetes, Poeantis et Demonassae filius, cum in insula Lemno esset, coluber eius pedem percussit. Quem serpentem Iuno miserat, irata ei ob id, quia solus praeter ceteros ausus fuit Herculis pyram construere, cum humanum corpus est exustum et ad immortalitatem traditum. Ob id beneficium Hercules suas sagittas divinas ei donavit. Sed cum Achivi ex vulnere tetrum odorem ferre non possent, iussu Agamemnonis regis in Lemno expositus est cum sagittis divinis. Quem expositum pastor regis Actoris, nomine Iphimachus, Dolopionis filius, nutrivit. Quibus postea responsum est, sine Herculis sagittis Troiam capi non posse. Tunc Agamemnon Ulyssem et Diomedem exploratores ad eum misit. Cui persuaserunt, ut in gratiam rediret, et ad expugnandam Troiam auxilio esset, eumque secum sustulerunt.

CIII. Protesilaus.

Achivis fuit responsum, qui primus littora Troianorum attigisset,

---

3. Clytemnestrae. 10. autorem. 15. Moesiam. 17. Demonasse. 19. caeteros. 20. exutum. 25. Phimachus Dolophionis.

---

3. Clytaem.] Sic corr. St. — 8. artem medicam] Ita etiam cp. 138; aliis locis artem medicinam. Utrumque probari potest ex optimis scriptoribus. — 9. nosse] In ed. Sch. posse. Mic. edidit nosse, atque ita omnino legendum est. — 12. Laodicen] Ut alii dicunt, Astyochen, Priami filiam; cf. Schol. Hom. Od. 11, 520. — 14. eos] Sch. coni. eos non. — 15. Mysiam] vulg. Moesiam; cf. cp. 99, 100, 106 et 121. — Cap. CII. Schol. Hom. Il. 2, 228; Serv. ad Aen. 3, 402; Myth. Vat. I, 59; II, 165. — 17. Demonassae] Sic corr. C. — 19. ceteros] vulg. caeteros. — 20. exustum] Sic corr. L. monente C.; H. coni. exutus et ad immortalitatem traditur. — 24. in L. expositus est] Haec cum iis, quae antecedunt, male convenire videntur. — 25. Iphim. Dol.] Sic scripsi ex coni. Meinekii. — 28. Cui] H. coni. Qui. — Cap. CIII. Fragm. Prot. Eurip., p. 314 sqq. Matth. p. 443 sqq. Nauck. — 32. responsum etc.] Ov. Heroid. 13, 93 sq. —

Digitized by Google

periturum. Cum Achivi classes applicuissent, ceteris cunctantibus, Iolaus, Iphicli et Diomedeae filius, primus e navi prosilivit; qui ab Hectore confestim est interfectus. Quem cuncti appellarunt Protesilaum, quoniam primus ex omnibus perierat. Quod uxor Laodamia, Acasti filia, cum audisset eum perisse, flens petit a dis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato, a Mercurio reductus, tres horas cum eo colloquuta est. Quod iterum cum obisset Protesilaus, dolorem pati non potuit Laodamia.

CIV. Laodamia.

Laodamia, Acasti filia, amisso coniuge, cum tres horas consumpsisset, quas a dis petierat, fletum et dolorem pati non potuit. Itaque fecit simulacrum cereum simile Protesilai coniugis, et in thalamis posuit, sub simulatione sacrorum, et eum colere coepit. Quod cum famulus matutino tempore poma ei attulisset ad sacrificium, per rimam aspexit, viditque eam ab amplexu Protesilai simulacrum tenentem, atque osculantem; aestimans eam adulterum habere, Acasto patri nuntiavit. Qui cum venisset, et in thalamos irrupisset, vidit effigiem Protesilai. Quae ne diutius torqueretur, iussit signum et sacra, pyra facta, comburi; quo se Laodamia, dolorem non sustinens, immisit, atque usta est.

CV. Palamedes.

Ulysses, quod Palamedis, Nauplii filii, dolo erat deceptus, in dies machinabatur, quomodo eum interficeret. Tandem inito consilio, ad Agamemnonem militem suum misit, qui diceret ei, in quiete vidisse, ut castra uno die moverentur. Id Agamemnon verum existimans, castra uno die imperat moveri. Ulysses autem clam noctu solus magnum pondus auri, ubi tabernaculum Palamedis fuerat, obruit; item epistolam conscriptam Phrygi captivo ad Priamum dat perferendam, militemque suum priorem mittit, qui eum non longe a castris interficeret. Postero die cum exercitus in castra rediret, qui-

---

1. caeteris. 13. simulachrum aereum. 17. simulachrum.

---

1. cet.] vulg. caet. — 2. Diomedeae] Hanc aliunde non novi. — 7. reductus] M. deesse putat particulam copulativam. — 8. Quod] Mic. i. m. quare. Hoc non est probandum. Coniungendum potius est quod cum sequenti cum, h. l. et alibi. — 9. dolorem etc] cf. cp. 104. — Cap. CIV. Ov. Heroid. ep. 13. — 13 simul] Sic corr. C. — cereum] Sic scripsi, monente Sch.; cf. Ovid. v. 152 sqq. l. c. — 17. ab ampl.] M. coni. amplexum. — 21. quo etc.] Laodamiam se ipsam interfecisse, tradit Hyginus etiam cp. 243. Alia prodiderunt Serv. ad Aen. 6, 447: Myth. Vat. I, 158; II, 215. — Cap. CV. Fragm. Palam. Eurip., p. 245 sqq. Matth. p. 427 sqq. Nauck.; Schol. Eur. Or. 422; Serv. ad Aen. 2, 82; Schol. Stat. Ach. 1, 93; Myth. Vat. I, 35; II, 200. — 24 dolo] cf. cp. 95. — 27. quiete] i. e. somno. — 31. Priamum] Sch. coni. Palamedem. Non mutanda est lectio, ut iam M. indicavit. —

Digitized by Google

dam miles epistolam, quam Ulysses scripserat, super cadaver Phrygis positam, ad Agamemnonem attulit. In qua scriptum fuit: 'Palamedi a Priamo missa' tantumque ei auri pollicetur, quantum Ulysses in tabernaculum obruerat, si castra Agamemnonis, ut ei convenerat, proderet. Itaque Palamedes cum ad regem esset productus, et factum negaret, in tabernaculum eius ierunt, et aurum effoderunt. Quod Agamemnon ut vidit, vere factum esse credidit. Quo facto Palamedes, dolo Ulyssis deceptus, ab exercitu universo innocens occisus est.

CVI. Hectoris lytra.

Agamemnon Briseidam, Brisae sacerdotis filiam, ex Mysia captivam, propter formae dignitatem quam Achilles ceperat, ab Achille abduxit, eo tempore, quo Chryseida Chrysi, sacerdoti Apollinis Sminthei, reddidit. Quam ob iram Achilles in proelium non prodibat, sed cithara in tabernaculo se exercebat. Quod cum Argivi ab Hectore fugarentur, Achilles obiurgatus a Patroclo, arma sua ei tradidit; quibus ille Troianos fugavit, aestimantes Achillem esse, Sarpedonemque, Iovis et Europae filium, occidit. Postea ipse Patroclus ab Hectore interficitur, armaque ei sunt detracta. Patroclo occiso, Achilles cum Agamemnone redit in gratiam, Briseidamque ei reddidit. Tum contra Hectorem cum inermis prodisset, Thetis mater a Vulcano arma ei impetravit, quae Nereides per mare attulerunt. Quibus armis ille Hectorem occidit, astrictumque ad currum traxit circa muros Troianorum. Quem sepeliendum cum patri nollet dare, Priamus Iovis iussu, duce Mercurio, in castra Danaorum venit, et filii corpus auro repensum accepit; quem sepulturae tradidit.

---

12. Moesia. 15. Zminti. — praelium. 21. eius.

---

3. pollicetur] sc. Priamus. Ita recte M. — 10. occisus est] Lapidibus, ut aiunt Serv. et Myth. Vatt. l. c. — Cap. CVI. Serv. ad Aen. 1, 483; Schol. Stat. Ach. 1, 175; Myth. Vat. I, 209; II, 205. — 12. Briseidam] Sic etiam in sqq., et apud Schol. Stat. l. c. Puto tamen, olim h. l. scriptum fuisse Briseida (quemadmodum paulo post legimus Chryseida), vel Briseidem, ut apud Myth. Vatt. l. c. Brisae filiam appellatam fuisse Hippodamiam, tradunt Schol. Hom. Il. 1, 184, aliique. — Mysia] Sic scripsi h. l. et alibi. Ex Lyrneso oppido fuisse Briseidem, tradunt Hom. Il. 2, 690; Ov. Heroid. ep. 3, 45 aliique complures. — 13. formae dign.] cf. cp. 78 et 85. Vulg. sic distinguunt: dignitatem, quam etc. M. aut comma delendum putat, aut legendum: quam A. c, propter formae dignitatem ab etc. — 14. Chryseida] cf. cp. 121. Astynomen eam appellatam fuisse, tradunt Schol. Hom. Il. 1, 370 aliique. — 15. Sminthei] Sic correxi. Mic. i. m. Smynthei. — iram] M. coni iniuriam; Sch. rem, vel quare ob iram. Fortasse legendum Quam ob rem iratus. — proel.] vulg. prael. — 16. cithara] Ovid. v. 113 sqq. l. c. — 19. Iovis etc.] cf. cp. 155 et 178. Alii alia tradiderunt. — 21. ei etc.] Omnes sic legunt: eius sunt detracta Patroclo occiso. Achilles etc.' Emendavi ex sententia Sch. — 22. Briseidamque etc.] Haec referenda sunt ad Agamemnonem. B. ex Ms. vult Qui Briseidam ei; Sch. coni. Briseidam qui ei. — 27. duce M.] Schol. Hor. od. 1, 10. —

Digitized by Google

CVII. Armorum iudicium.

Hectore sepulto, cum Achilles circa moenia Troianorum vagaretur, ac diceret, se solum Troiam expugnasse, Apollo iratus, Alexandrum Parin se simulans, talum, quem mortalem habuisse dicitur, sagitta percussit, et occidit. Achille occiso ac sepulturae tradito, Aiax Telamonius, quod frater patruelis eius fuit, postulavit a Danais, ut arma sibi Achillis darent. Quae [ei] ira Minervae abiurgata sunt ab Agamemnone et Menelao, et Ulyssi data. Aiax furia accepta, per insaniam pecora sua et se ipsum vulneratum occidit eo gladio, quem ab Hectore muneri accepit, dum cum eo in acie contendit.

CVIII. Equus Troianus.

Achivi cum per decem annos Troiam capere non possent, Epeus monitu Minervae equum mirae magnitudinis ligneum fecit, eoque sunt collecti Menelaus, Ulysses, Diomedes, Thersander, Sthenelus, Acamas, Thoas, Machaon, Neoptolemus. Et in equo scripserunt: 'Danai Minervae dono dant', castraque transtulerunt Tenedo. Id Troiani cum viderunt, arbitrati sunt hostes abisse. Priamus equum in arcem Minervae duci imperavit, feriatique magno opere ut essent, edixit. Id vates Cassandra cum vociferaretur, inesse hostes, fides ei habita non est. Quem in arcem cum statuissent, et ipsi noctu lusu atque vino lassi obdormissent, Achivi ex equo, aperto a Sinone, exierunt, et portarum custodes occiderunt, sociosque, signo dato, receperunt, et Troia sunt potiti.

CIX. Iliona.

Priamo Polydorus filius ex Hecuba cum esset natus, Ilionae, filiae suae, dederunt eum educandum, quae Polymestori, regi Thra-

---

8. ei om. 15. Thessander. 28. Polymnestori.

Cap. CVII. Ov. Met. 12, 1 sqq. Fuit Aeschyli fabula Ὅπλων κρίσις inscripta; item Pacuvius et Attius Armorum iudicium scripserunt. — 4. talum etc.] Lact. arg. 12, 7. — mortalem] i. e. vulnerabilem. — 6. frater patruelis] Serv. ad Aen. 1, 619; Ov. Met. 13, 41. — 8. Quae ei] Sic scripsi, monente Sch. — abiurgata] Mic. coni. abiudicata. Sane abiurgare apud alios scriptores non reperitur. B. de hac re sic: abiurgare est iurgio seu litigio abiudicare. — 9. accepta] M. coni. concepta. Quod probandum videtur; cf. Verg. Aen. 4, 474 ibique Serv.; Fulg. Myth. 1, 6. — 10. eo gladio etc.] cf. cp. 112. — Cap. CVIII. — 15. Thersandrus] Sic correxi. Graecis enim est Θέρσανδρος. Thersandri, Polynicis filii, meminit Hyg. cp. 71. Plura de hoc nomine proposuit Heyne ad Verg. Aen. 2, 261 et ad Apollod. 3, 7, 2. — 17. Danai etc.] cf. Serv. ad Aen. 2, 17. — 18. Tenedo] Mic. coni. Tenedum. Quod probandum videtur. Vitium h. l. et aliis locis ortum videtur ex compendio scripturae. — 20. Id vates] Sch. eiiciendum putat pronomen. Fortasse legendum et vates. M. accipit id pro ob id, h. l. et cp. 122. — Cap. CIX. Ov. Met. 13, 429 sqq.; Serv. ad Aen. 3, 6; 3, 15 et 49; Lact. arg. 13, 12; Myth. Vat. II, 209. — 28. Polymestori] vulg. Polymnestori h. l. et in sqq. Variat scriptura in codd. Ovidii, Servii aliorumque scriptorum; de qua re Burm. ad Ovid. v. 430 l. c. Graecis Πολυμήστωρ est. —

Digitized by Google

cum, erat nupta. Quem illa pro filio suo educavit; Deipylum autem, quem ex Polymestore procreaverat, pro suo fratre educavit, ut, si alteri eorum quid foret, parentibus praestaret. Sed cum Achivi, Troia capta, prolem Priami exstirpare vellent, Astyanacta, Hectoris et Andromachae filium, de muro deiecerunt, et ad Polymestorem legatos miserunt, qui ei Agamemnonis filiam nomine Electram pollicerentur in coniugium, et auri magnam copiam, si Polydorum, Priami filium, interfecisset. Polymestor legatorum dicta non repudiavit, Deipylumque filium suum imprudens occidit, arbitrans, se Polydorum, Priami filium, interfecisse. Polydorus autem ad oraculum Apollinis de parentibus suis sciscitatum est profectus. Cui responsum est, patriam incensam, patrem occisum, matrem in servitute teneri. Cum inde rediret, et vidit aliter esse, ac sibi responsum fuit, se Polymestoris esse filium, ab sorore Iliona inquisivit, quid ita aliter sortes dixissent. Cui soror, quid veri esset, patefecit, et eius consilio Polymestorem luminibus privavit, atque interfecit.

CX. Polyxena.

Danai victores cum ab Ilio classem conscenderent, et vellent in patriam suam quisque reverti, et praedam quisque sibi duceret, ex sepulcro vox Achillis dicitur praedae partem expostulasse. Itaque Danai Polyxenam, Priami filiam, quae virgo fuit formosissima, propter quam Achilles, cum eam peteret, et ad colloquium venisset, ab Alexandro et Deiphobo est occisus, ad sepulcrum eius eam immolaverunt.

CXI. Hecuba.

Ulysses Hecubam, Cissei filiam, vel, ut alii auctores dicunt, Dymantis, Priami uxorem, Hectoris matrem, in servitutem cum duceret, illa in Hellespontum se praecipitavit, et canis dicitur facta esse, unde et Cyneum mare est appellatum.

---

1. Deiphilum. 2. Polymnestore. 5. Andromache. 6. Polymnestorem. 9. Polymnestor. 10. Deiphilumque. 15. Polymnestoris. 16. Ilionea. 18. Polymnestorem. 22. sepulchro. 26. sepulchrum. 28. autores. — Dimantis. 30. Hellespontum mare. 31. Cyneum est appellatum.

---

1. Deipylum] Sic correxi h. l. et in sqq. *Δηΐπυλος* enim Graecis est. Olim supra cp. 69 et aliis locis Deiphila pro Deipyla. — 3. alteri] M. coni. altero. Minime assentior. — foret] i. e. accideret. Sch. coni. fieret. — parentibus etc.] Fortasse legendum alter parentibus restaret. — 14. et vidit] Periz. coni. ut vidit. Fortasse legendum et vidisset; cf. cp. 27. — 15. fuit etc.] Periz. coni. fuit, ratus, se. Mallem 'fuit, aestimans, se etc.' Ita enim saepissime legimus apud Hyginum; cf. cap. 106. — 16. Iliona] Sic corr. M. — 17. et eius] Sch. coni. Ex eius. — Cap. CX. Hypoth. Hec. Eurip.; Serv. ad Aen. 3, 322; 6, 57; Schol. Stat Ach. 1, 134. — 22. sepulc.] vulg. sepulch. h. l. et in sqq. — Cap. CXI. — 28. Cissei etc.] cf. cp. 91. — auct.] vulg. autores. — Dymantis] Sic corr. M. ex cp. 91. — 30. Hellesp. etc.] Sic scripsi ex coni. M.: cf. cp. 243. —

Digitized by Google

CXII. Provocantes inter se, qui cum quo dimicarunt.

Menelaus cum Alexandro, Alexandrum Venus eripuit. Diomedes cum Aenea, Aeneam servavit Venus. Idem cum Glauco; in hospitio cognito discesserunt. Idem cum Pandaro et Glauco alio: Pandarus et Glaucus occiduntur. Aiax cum Hectore; donificantes discessere: Aiax Hectori donavit balteum, unde est tractus; Hector Aiaci gladium, unde se interfecit. Patroclus cum Sarpedone, Sarpedon occiditur. Menelaus cum Euphorbo, Euphorbus occiditur; qui postea Pythagoras est factus, et meminit suam animam in corpora transisse. Achilles cum Asteropaeo, Asteropaeus occiditur. Idem cum Hectore, Hector occiditur; idem cum Aenea, Aeneas fugatur; idem cum Agenore, Agenorem servavit Apollo; idem cum Penthesilea Amazone, Martis et Otrerae filia, Penthesilea occiditur. Antilochus cum Memnone, Antilochus occiditur. Achilles cum Memnone, Memnon occiditur. Philoctetes cum Alexandro, Alexander occiditur. Neoptolemus cum Eurypylo, Eurypylus occiditur.

CXIII. Nobilem quem quis occidit.

Achillem Apollo Alexandri figura. Hector Protesilaum, idem Antilochum. Agenor Helenorem, idem Clonium. Deiphobus Ascalaphum, idem Autonoum. Aiax Hippodamum, idem Chlonium. Agamemnon Hippodamantem, idem Glaucum. Aiax Locrus Gargasum, idem Gauium. Diomedes Dolonem, idem Rhesum. Eurypylus Nireum, idem Machaonem. Sarpedon Tlepolemum, idem Antiphum. Achilles Troilum. Menelaus Deiphobum. Achilles Astynomum, idem Pylachantum. Neoptolemus Priamum.

---

11. Asteropeo, Asteropeus. 17. Eurypilo, Eurypilus. 20. Chlonium. 21. Antonoum. 23. Carcanum. 25. Antippum.

Cap. CXII. Hom. in Il. — 3. in hospitio] Sch. apposuit verba Petronii: Dum in hoc dictorum aestu totus incedo. — 6. donificantes] i. e. dona invicem dantes, ut ait M. — Aiax etc.] Serv. ad Ecl. 9, 6. — 7. unde] pro quo, h. l. et in sqq. — 9. qui etc.] Hor. od. 1, 28, 10 ibique Schol.; Ov. Met. 15, 160 sqq.; Lact. arg. 15, 3. — 11. Asteropaeo] Sic corr. M. — 17. Eurypyl] Sic corr. C. — occid.] cf. Schol. Iuven. 6, 654. — Cap. CXIII. — 19. Achillem etc.] cf. cp. 107. — Protes.] cf. cp. 103. — Antilochum] Ov. Heroid. 1, 15. Alia tradit Hyg. cp. 112. — 20. Helenorem] Fortasse legendum Elephenorem ex Hom. Il. 4, 463 sqq. — Clonium] Sic corr. M., monente Sch., ex Il. 15, 340. — 21. Autonoum] Sic corr. M. Autonous autem secundum Hom. Il. 11, 301 interfectus est ab Hectore. — Hippodamum] Sch. coni. Hippothoum. Ita sane Hom. Il. 17, 288 sqq — Chlonium] Sch. coni. Cleopolemum; H. Chthonium. Clonius, ut iam M. indicavit, commemoratur inter Priami filios ab Apollod. 3, 12, 5. — 22. Hippodamantem] Sch. coni. Iphidamantem ex Hom. Il. 11, 221. Hippodamas tamen Priami filius est apud Apollod. 3, 12, 5. Hippodamantem Troianum ab Achille interfectum esse, tradit Hom. Il. 20, 400 sqq. — 23. Gargasum] Sic correxi, monente Sch., ex cp. 115. — Gauium] Sch. coni. Agavum ex Dicty. — 25. Antiphum] Sic scripsi, monente M., ex cp. 97. — 26. Pylach.] Hoc nomen corruptum est. — Neoptol.] cf. Schol. Soph. Phil. 1436. —

CXIV. Achivi qui quot occiderunt.

Achilles numero LXXII. Antilochus numero II. Protesilaus numero IV. Peneleus numero II. Eurypylus numero I. Aiax Oilei numero XXIV. Thoas numero II. Leitus numero XX. Thrasymedes numero II. Agamemnon numero XVI. Diomedes numero XVIII. Menelaus VIII. Philocteta numero III. Meriones numero VII. Ulysses numero XII. Idomeneus numero XIII. Leonteus numero V. Aiax Telemonius numero XXVIII. Patroclus numero LIII. Polypoetes numero I. Teucer numero XXX. Neoptolemus VI. Fit numerus CCCLXII.

CXV. Troiani qui quot occiderunt.

Hector numero XXXI. Alexander numero III. Sarpedon numero II. Panthous numero IV. Gargasus numero II. Glaucus numero IV. Polydamas numero III. Aeneas numero XXVIII. Deiphobus numero IV. Clitus numero III. Acamas numero I. Agenor num. II. Fit numerus LXXXVIII.

CXVI. Nauplius.

Ilio capto, et divisa praeda, Danai cum domum redirent, ira deorum, quod fana spoliaverant, et quod Cassandram Aiax Locrus a signo Palladio abripuerat, tempestate et flatibus adversis ad saxa Capharea naufragium fecerunt. In qua tempestate Aiax Locrus fulmine est a Minerva ictus; quem fluctus ad saxa illiserunt, unde Aiacis petrae sunt dictae. Ceteri noctu cum fidem deorum implorarent, Nauplius audivit, sensitque tempus venisse ad persequendas filii sui Palamedis iniurias. Itaque, tanquam auxilium eis afferret, facem ardentem eo loco extulit, quo saxa acuta et locus periculosissimus erat. Illi credentes humanitatis causa id factum, naves eo duxerunt. Quo facto, plurimae earum confractae sunt, militesque plurimi cum ducibus tempestate occisi sunt, membraque eorum cum visceribus ad saxa illisa sunt; si qui autem potuerunt ad terram natare, a Nauplio interficiebantur. At

---

4 Linus. 8. Leontheus. 16. Clytus. — Athamas. 24. caeteri.

Cap. CXIV. Numeri in hoc capite multis locis corrupti esse videntur. — 4. Leitus] Sic corr. M., monente Sch.; cf. cp. 97. — 8. Leonteus] Sic corr. C. — Cap. CXV., v. — 16. Clitus] Sic corr. M. ex Hom. Il. 15, 445. — Acamas] Sic corr. M. ex Hom. — 17. Fit etc.] M. haec addit: Imo uno minor erit. Sed error, ut recte censet cl. Schefferus, procul dubio est in numeris superioribus. — Cap. CXVI. Serv. ad Aen. 11, 260; Schol. Stat. Ach. 1, 93; Myth. Vat. I, 144; II, 201. Fuerunt etiam plures Tragicorum fabulae Nauplii nomine inscriptae. — 22. saxa C.] Propert. 3, 5, 55; Ov. Trist. 1, 1, 83. *Καφήρειοι ἄκραι* sunt Eur. Tr. 89, *πέτραι Καφηρίδες* Eur. Hel. 1140. — 24. petrae] cf. cp. 19, 21, 38. — Ceteri] vulg. Caeteri. — 27. facem] cf. cp. 249. — 28. locus] W. coni. cursus. — 30. duxerunt] H. coni. direxerunt. —

Digitized by Google

Ulyssem ventus detulit ad Maronem, Menelaum in Aegyptum. Agamemnon cum Cassandra in patriam pervenit.

CXVII. Clytaemnestra.

Clytaemnestra, Tyndarei filia, Agamemnonis uxor, cum audisset ab Oeace, Palamedis fratre. Cassandram sibi pellicem adduci (quod ementitus est, ut fratris iniurias exequeretur). tunc Clytaemnestra cum Aegistho, filio Thyestis, cepit consilium, ut Agamemnonem et Cassandram interficeret. Quem sacrificantem securi cum Cassandra interfecerunt. At Electra, Agamemnonis filia, Orestem. fratrem infantem sustulit; quem demandavit in Phocide Strophio. cui fuit Astyoche, Agamemnonis soror, nupta.

CXVIII. Proteus.

In Aegypto Proteus, senex marinus, divinus dicitur fuisse; qui in omnes se figuras convertere solitus erat. Quem Menelaus, Idotheae filiae eius monitu, catena alligavit, ut sibi diceret, quando domum repetitionem haberet. Quem Proteus edocuit, iram deorum esse, quod Troia esset devicta, ideoque id fieri debere, quod hecatombe Graece dicitur, cum centum armenta occiduntur. Itaque Menelaus hecatomben fecit. Tunc demum post octavum annum. quam ab Ilio decesserat, cum Helena in patriam redit.

CXIX. Orestes.

Orestes, Agamemnonis et Clytaemnestrae filius, postquam in puberem aetatem venit, studebat patris sui mortem exequi. Itaque consilium capit cum Pylade. et Mycenas venit ad matrem Clytaemnestram, dicitque. se Aeolium hospitem esse, nuntiatque Orestem esse mortuum, quem Aegisthus populo necandum demandaverat. Nec multo post Pylades, Strophii filius, ad Clytaemnestram venit. urnamque secum affert, di-

---

1. Marathonem. 3. sq. Clytemnestra. 7. Clytemnestra. — Thiestis. 11. Astyochea. 19. Hecatomben. 24. Clytemnestrae. 27. Clytemnestram. 30. Clytemnestram.

---

1. Maronem] Sic corr. M., monente Sch.; cf. Hom. Od. 9, 197; Hyg. cp. 125. — Cap. CXVII., v. — 6. quod etc.] Haec parenthesi inclusi, monente M. — 9. sacrif.] Alii alia tradiderunt, ut Serv. ad Aen. 11, 268. — 11. Astyoche] vulg. Astyochea. Sed ultima littera, ni fallor, ex sequenti voce adhaesit. Alii non Astyochen, sed Anaxibien eam appellant; Paus. 2, 29, 4; Schol. Eur. Or. 764. — Cap. CXVIII. Hom. Od. 4, 351 sqq. — 14. divinus] i. e. mantis, vates; cf. Verg. Ge. 4, 387. — 16. Idotheae] Hom. v. 366, l. c. Theonoe est Eur. Hel. 11. — 17. domum rep.] Sic domum reditio ap. Caes. B. G. 1, 5, atque ita legendum videtur etiam apud nostrum cp. 125. B. voluit h. l. domumrepetitionem, et infra cp. 125 domireditionis. — 19. Hecatombe] Sic corr. M. Malim ἑκατόμβη. — 22. redit] Sch. coni. rediit. — Cap. CXIX. Serv. ad Aen. 4, 471. — 24. Clytaem.] Sic corr. St. h. l. et in sqq. — 25. exequi] ulcisci: cf. cp. 58. — 27. Aeolium] Soph. El. 44 Phocensem. — 28. Aeg.] Sic corr. C. — 30. dicitque] Sch. coni. dicitque ea. —

Digitized by Google

citque ossa Orestis condita esse. Quos Aegisthus laetabundus hospitio recepit. Qui occasione capta, Orestes cum Pylade, noctu Clytaemnestram matrem et Aegisthum interficiunt. Quem Tyndareus cum accusaret, Oresti a Mycenensibus fuga data est propter patrem. Quem postea furiae matris exagitarunt.

CXX. Iphigenia Taurica.

Orestem Furiae cum exagitarent, Delphos sciscitatum est profectus, quis tandem modus esset aerumnarum; responsum est, ut in terram Tauricam ad regem Thoantem, patrem Hypsipyles iret, indeque de templo Dianae signum Argos afferret: tunc finem fore malorum. Sorte audita, cum Pylade, Strophii filio, sodale suo navem conscendit, celeriterque ad Tauricos fines devenerunt. Quorum fuit institutum, ut qui intra fines eorum hospes venisset, templo Dianae immolaretur. Ubi Orestes et Pylades cum in spelunca se tutarentur, et occasionem captarent, a pastoribus deprehensi, ad regem Thoantem sunt deducti. Quos Thoas suo more iunctos in templum Dianae, ut immolarentur, duci iussit, ubi Iphigenia, Orestis soror, fuit sacerdos. Eosque ex signis atque argumentis, qui essent, quid venissent, postquam resciit, abiectis ministeriis, ipsa coepit signum Dianae avellere. Quo rex cum intervenisset et rogitaret, cur id faceret, illa ementita est dicitque, eos sceleratos signum contaminasse; quod impii et scelerati homines in templum essent adducti, signum expiandum ad mare ferre oportere, et iubere eum interdicere civibus, ne quis eorum extra urbem exiret. Rex sacerdoti dicto audiens fuit. Occasione Iphigenia nacta, signo sublato, cum fratre Oreste et Pylade in navem ascendit, ventoque secundo ad insulam Sminthen ad Chrysen, sacerdotem Apollinis, delati sunt.

---

1. Aegysthus. 3. Clytemnestram. 10. Taurinam. 12. Pylades. 30. Zminten.

---

2. occasione capta] Sic Frontin. Strat. 1, 2, 1. — Orestes c. P.] Haec glossam sapere putat M. — 4. fuga data] Sic Schol. Hor. od. 3, 2; Serv. ad Aen. 10, 497. — Cap. CXX. Eur. Iph. Taur. — 10. Tauricam] Sic corr. M., monente Sch. — 12. Pylade] Sic corr. C. — 14. Tauricos] Ex sqq. exspectares Taurorum. — 17. occas. c.] cf. cp. 119. — 18. iunctos] M. coni. vinctos. — 21. abiectis min.] i. e. abactis ministris, ut interpretatur Sch. — 23. ementita etc.] M. coni. 'ementita est eos sceleratos signum contaminasse, dicitque quod etc.' Hoc praeferendum mihi videtur. — 26. ferre] Sch. coni. ferre se. Quod probandum videtur. M. legendum putat ferri, vel subaudiendum se. — 28. dicto audiens] Sic Corn. Nep. Ages. 4, 2 et alibi. — Occas. nacta] cf. cp. 1. — 30. Sminthen] M. et St. Zminthum. Melius mihi esse videtur Sminthen. Mic. i. m. Smynthen. Sciendum tamen, neque Sminthum, neque Sminthen ab aliis inter insulas commemorari. Σμίνϑη appellatur urbs in Troade a Steph. Byz. Eadem aliis Σμίνϑια est. —

Digitized by Google

CXXI. Chryses.

Agamemnon cum ad Troiam iret, Achilles in Mysiam venit, et Chryseida, Apollinis sacerdotis filiam, abduxit, eamque Agamemnoni dedit in coniugium. Quod cum Chryses ad Agamemnonem deprecandum venisset, ut sibi filiam redderet, non impetravit. Ob id Apollo exercitum eius partim fame* prope totum consumpsit. Itaque Agamemnon Chryseida gravidam sacerdoti remisit. Quae cum diceret, se ab eo intactam esse, suo tempore peperit Chrysen iuniorem, et dixit, se ab Apolline concepisse. Postea Chryses Thoanti eos cum reddere vellet, Chryses audiit senior, Agamemnonis Iphigeniam et Orestem filios esse; qui Chrysi filio suo, quid veri esset, patefecit, eos fratres esse, et Chrysen Agamemnonis filium esse. Tum Chryses, re cognita, cum Oreste fratre Thoantem interfecit, et inde Mycenas cum signo Dianae incolumes pervenerunt.

CXXII. Aletes.

Ad Electram, Agamemnonis et Clytaemnestrae filiam, sororem Orestis, nuntius falsus venit, fratrem cum Pylade in Tauricis Dianae esse immolatos. Id Aletes, Aegisthi filius, cum rescisset, ex Atridarum genere neminem superesse, regnum Mycenis obtinere coepit. At Electra de fratris nece Delphos sciscitatum est profecta. Quo cum venisset, eodem die Iphigenia cum Oreste venit eo. Idem nuntius, qui de Oreste dixerat, dixit, Iphigeniam fratris interfectricem esse. Electra ubi audivit id, truncum ardentem ex ara sustulit, voluitque inscia sorori Iphigeniae oculos eruere, nisi Orestes intervenisset. Cognitione itaque facta, Mycenas venerunt, et Aleten, Aegisthi filium, Orestes interfecit; et Erigonam ex Cly-

---

2. iret et. — Moesiam. 3. Chryseidam. — adduxit. 18. Clytemnestrae. 22. optinere. 29. Clytemnestra.

Cap. CXXI, v. 2 iret, Ach.] Sic correxi. Idem iam Sch. voluerat. — Mysiam] Sic correxi h. l. et alibi. — 3. Chryseida] Sic correxi ex iis, quae sequuntur, et ex cp. 106. — abduxit] Sic correxi. Idem voluit Sch. — 6. partim etc.] Mic. supplendum putat partim peste; M. partim pestilentia. B. ex Ms. legendum putat: partim fame, partim morbo.' Ita sane legendum videtur. Idem conieceram, antequam Barthii lectiones inspicerem, ex cp. 2. — 9. suo tempore] i. e. mensibus exactis. — 10. Postea etc.] Haec cum iis, quae antecedunt, non bene cohaerere, iam vidit Sch. — eos] i. e. Orestem, Iphigeniam et Pyladem; de quibus cp. 120. — 12. qui Chr.] Fortasse legendum atque Chryseis. — suo] M. dictum putat pro eius, i. e. Agamemnonis. Minime assentior. — quid v. e. p.] cf. cp. 109. — 15. Thoantem] Is fortasse persecutus erat Iphigeniam et Orestem usque in eam regionem, in qua Chryses sacerdos habitabat. — Cap. CXXII, v. 18. Clyt.] Sic corr. St., h. l. et in sqq. — 20. Id] Abundat h. l. et alibi. Eodem modo apud Caes. B. G. 1, 7. — 22. obt.] Sic corr. C. 29. et] Sch. delendum putat, vel legendum at; M. coni. Etiam. — Erigonam] Malim Erigonen h. l. et cp. 130. Nominativus apud Hyginum ubique est Erigone. —

Digitized by Google

taemnestra et Aegistho natam voluit interficere, sed Diana eam rapuit in terram Atticam et sacerdotem fecit. Orestes autem, Neoptolemo interfecto, Hermionen, Menelai et Helenae filiam, abductam coniugem duxit. Pylades autem Electram, Agamemnonis et Clytaemnestrae filiam, duxit.

CXXIII. Neoptolemus.

Neoptolemus, Achillis et Deidamiae filius, ex Andromacha, Eetionis filia, captiva, procreavit Amphialum. Sed postquam audivit, Hermionen sponsam suam Oresti esse datam in coniugium, Lacedaemonem venit, et a Menelao sponsam suam petit. Cui ille fidem suam infirmare noluit, Hermionenque ab Oreste abduxit, et Neoptolemo dedit. Orestes iniuria accepta, Neoptolemum Delphis sacrificantem occidit, et Hermionen recuperavit. Cuius ossa per fines Ambraciae sparsa sunt, quae est in Epiri regionibus.

CXXIV. Reges Achivorum.

Phoroneus Inachi filius, Argus Iovis filius, Piranthus Argi filius, Triops Piranthi filius, Pelasgus Agenoris filius, Danaus Beli filius, Tantalus Iovis filius, Pelops Tantali filius, Atreus Pelopis filius, Temenus Aristomachi filius, Thyestes Pelopis, Agamemnon Atrei, Aegisthus Thyestis, Orestes Agamemnonis, Clytus Temeni filius, Aletes Aegisthi, Tisamenus Orestis. Alexander Eurysthei.

CXXV. Odyssea.

Ulixes cum ab Ilio in patriam Ithacam rediret, tempestate ad Ciconas est delatus, quorum oppidum Ismarum expugnavit, praedamque sociis distribuit. Inde ad Lotophagos, homines minime malos, qui loton ex foliis flore procreatum edebant,

---

2. rapuit, et in terram Atticam sacerdotem fecit. 4. adductam. 5. Clytemnestrae. 12. adduxit. 17. Peranthus. 18. Peranthi. 25. Ulyxes.

---

2. rapuit etc.] Sic scripsi ex coniectura. — 3. Hermionen] Perperam nonnulli legunt Hermionem, h. l. et cp. 123. — 4. abductam] Sic corr. M., monente Sch. — Cap. CXXIII. Schol. Hom. Od. 4, 4; Serv. ad Aen. 3, 297. — 8. Amphialum] Hunc aliunde non novi. Fortasse legendum Anchialum. Molossus est filius Neoptolemi et Andromaches ap. Serv. l. c. Duos filios commemorat Paus. 1, 11, 1, id est Molossum et Pielum. Ex quo loco St. voluit apud Hyginum Pielum. — 12. abduxit] Sic corr. M. — 14. Cuius] i. e. Neoptolemi; cf. Ovid. Ib. 303 sq. — Cap. CXXIV, v. 16. Achivorum] H. coni. Argivorum. — 17. Piranthus] vulg. Peranthus, infra autem cp. 145 Pirantus vel Piranthus. Scribe utroque loco Piranthus; item in sqq. Piranthi. — 18. Triops] Sch. coni. Triopas. Graece *Τριόπας* et *Τρίοψς* appellatur. Cf. infr. cp. 145. — 22. Temeni] Male in nonnullis editionibus Temenei. Recte in A. Temeni; quod restituit M. — Cap. CXXV. Hom. Od. lib. 9 sqq. — 25. Ulixes] vulg. Ulyxes. — 27. Inde etc.] Od. 9, 82 sqq. — 28. foliis flore] In Ms. B. foliis rore; M. coni. trifolii flore. In glossario quodam apud H. Stephanum sic: Trifolium, *Λωτὸς*, *τρίφυλλον*. —

Digitized by Google

idque cibi genus tantam suavitatem praestabat, ut qui gustabant, oblivionem caperent domum reditionis. Ad eos socii duo missi ab Ulysse, cum gustarent herbas ab eis datas, ad naves obliti sunt reverti; quos vinctos ipse reduxit. Inde ad Cyclopem Polyphemum, Neptuni filium. Huic responsum erat ab augure Telemo, Eurymi filio, ut caveret, ne ab Ulysse excaecaretur. Hic media fronte unum oculum habebat, et carnem humanam epulabatur. Qui postquam pecus in speluncam redegerat, molem saxeam ingentem ad ianuam opponebat. Qui Ulyssem cum sociis inclusit, sociosque eius consumere coepit. Ulysses cum videret, eius immanitati atque feritati resistere se non posse, vino, quod a Marone acceperat, eum inebriavit, seque Utim vocari dixit. Itaque cum oculum eius trunco ardenti exureret, ille clamore suo ceteros Cyclopas convocavit, eisque spelunca praeclusa dixit: Utis me excaecat. Illi credentes, eum deridendi gratia dicere, neglexerunt. At Ulysses socios suos ad pecora alligavit, et ipse se ad arietem, et ita exierunt. Ad Aeolum, Hellenis filium, cui ab Iove ventorum potestas fuit tradita. Is Ulyssem hospitio libere accepit, follesque ventorum ei plenos muneri dedit; socii vero, aurum argentumque credentes, cum accepissent, et secum partiri vellent, folles clam solverunt, ventique evolaverunt. Rursum ad Aeolum est delatus, a quo eiectus est, quod videbatur Ulysses numen deorum infestum habere. Ad Laestrygonas, quorum rex fuit Antiphates * devoravit, navesque eius undecim confregit, excepta nave, qua sociis eius consumptis, evasit in insulam Aenariam ad Circen, Solis filiam, quae potione data homines in feras bestias commutabat. Ad quam Eurylochum cum viginti duobus sociis misit, quos illa ab humana specie immutavit. Eurylochus, timens qui non intraverat, inde fu-

1. civibus tantam. 2. domi. 13. Marathone — Utin. 15. caeteros. 25. Lestrygonas.

1. cibi genus] vulg. civibus. Quod dedi, voluit B. ex M. — 2. domum red.] Sic corr. M; cf. cp. 118. — 10. opp. Qui] Sch. coni. opponebat, qua. — 13. Marone] Sic corr. M., monente Mic. Cf. Hom. Od. 9, 197; Hyg. cp. 116. — Utim] Ita omnes praeter A. — 15. cet.] vulg. caet. — 18. exierunt. Ad] Sic distinguendum puto; vulg. 'exierunt ad etc.' Statim in sqq. Ad Laestrygonas etc. — 19. Hellenis] Plerique omnes Hippotae filium eum appellant. Hom. Od. 10, 2; Serv. ad Aen. 1, 52. — 20. libere] pro liberaliter, ut ait M. Sic Verg. Ge. 1, 128 liberius pro liberalius posuit. — 23. Rursum etc.] Hom. Od., 10, 55 sqq. — 26. Antiphates etc.] In Ms. B. 'ad Laestrigonas, quorum Rex fuit Antiphates, divortiavit.' Adiicit Barthius: Sed desunt nonnulla verba de sociis ab Antiphate deglutitis quae sunt apud Homerum obvia'. M. supplendum putat: 'deinde venit; qui socios eius', vel simile quid. Fortasse legendum: Ad Laestrygonas, quorum rex fuit Antiphates. Is unum ex sociis eius devoravit, navesque etc. Cf. Hom. Od. 10, 102 sqq.; Ov. Met. 14, 333 sqq. — 27. excepta] Sch. coni. excepta una; cf. Hom. v. 132; Ovid. v. 241 l. c. — sociis etc.] Hom. v. 134 et Ovid. v. 242 l. c. — 28. Aenariam] M. coni. Aeaeam ex Hom. Od. 10, 135 sqq.; Hyg. cp. 127 aliisque. — 31. Euryl.] vulg. sic: Eurylochus timens, qui. —

git, et Ulyssi nuntiavit. Qui solus ad eam se contulit, sed in itinere Mercurius ei remedium dedit, monstravitque, quomodo Circen deciperet. Qui postquam ad Circen venit, et poculum ab ea accepit, remedium Mercurii monitu coniecit, ensemque strinxit, minatus, nisi socios sibi restitueret, se eam interfecturum. Tunc Circe intellexit, non sine divina voluntate deorum id esse factum; itaque fide data, se nihil tale commissuram, socios eius ad pristinam formam restituit, ipsa cum eodem concubuit, ex quo duos filios procreavit, Nausithoum et Telegonum. Inde proficiscitur ad lacum Avernum, ad inferos descendit, ibique invenit Elpenorem socium suum, quem ad Circen reliquerat, interrogavitque eum, quomodo eo pervenisset. Cui Elpenor respondit, se ebrium per scalam cecidisse et cervices fregisse; et deprecatus est eum, cum ad superos redisset, sepulturae traderet, et sibi in tumulo gubernaculum poneret. Ibi et cum matre Anticlia est locutus de fine errationis suae. Deinde ad superos reversus, Elpenorem sepelivit, et gubernaculum, ita ut rogaverat, in tumulo ei fixit. Tum ad Sirenas, Melpomenes Musae et Acheloi filias venit, quae partem superiorem muliebrem habebant, inferiorem autem gallinaceam. Harum fatum fuit, tamdiu vivere, quamdiu earum cantum mortalis audiens nemo praetervectus esset. Ulysses monitus a Circe, Solis filia, sociis cera aures obturavit, seque ad arborem malum constringi iussit, et sic praetervectus est. Inde ad Scyllam, Typhonis filiam, venit, quae superiorem corporis partem muliebrem, inferiorem ab inguine piscis, et sex canes ex se natos habebat; eaque sex socios Ulixis, nave abreptos, consumpsit. In insulam Siciliam ad Solis pecus sacrum venerat; quod socii eius cum coquerent in aëno, mugiebat: mo-

9. Nausiphoum. 22. tandiu. 24. obduravit. 28. Ulyxis. 30. aheno.

4. monitu] Sch. coni. monitu eo coniecit, i. e. in poculum. — 6. sine etc.] M. vult sine deorum voluntate. Quod probandum videtur ex Schol. Stat. Th. 4, 551 sqq; Myth. Vat. I, 15. Sch. coni. sine divina voluntate. — 9. duos] Unius tantum, id est Telegoni, meminerunt Serv. ad Aen. 2, 44; Schol. Stat. et Myth. Vat. l. c. — Nausithoum] Sic scripsi, monente Mic. Secundum Hes. Th. 1016 Nausithous fuit filius Ulyssis et Calypsus. — Mic. haec addit: Haec in veteri exemplari i. m. erant: Deioneus genuit Cephalum, Cephalus Archium, Archius Laertem, Laertes Ulyssem, Ulysses ex Circe Telegonum, ex Penelope Telemachum. Telegonus ex Penelope, Ulyssis coniuge, Italum, qui Italiam ex suo nomine appellavit; e Telemacho Latinus, qui Latinam Linguam ex suo nomine appellavit'. — Cf. cp. 127. — 11. Elpenorem] Perperam nonnulli habent Elphenorem. — 12. ad] pro apud, h. l. et alibi. — 19. Melpomenes] cf. p. 30, 17. — 21. Harum etc.] Hyg. cp. 141; Lact. arg. 5, 9. — 22. tamdiu] Sic corr. M. — 24. obtur.] Sic corr. C. — arborem malum] Arbor mali dixit Verg. Aen. 5, 504; de qua re Serv. — 26. Typhonis] cf. p. 31, 11 et cp. 151. Crataeidis filia est infr. cp. 199. — 27. ab inguine] Sic Ov. ep. ex Ponto 4, 10, 25. — piscis etc.] Alia legimus p. 31, 11 sqq. et cp. 151. — 28. Ulixis] Sic correxi. M. et St. ediderunt Ulyssis. — 29. In etc.] Quae hinc sequuntur usque ad illa Ex his locis etc., magnam partem corrupta sunt. — 30. aëno] Sic correxi h. l. et in sqq. —

Digitized by Google

nitus, id ne attingeret, ab Tiresia et a Circe Ulysses. Itaque multos socios ob eam causam ibi amisit. Ad Charybdinque perlatus ter die obsorbebat, terque eructabat; eo monitu Tiresiae praetervectus est. Sed ira Solis, quod pecus eius erat violatum, cum in insulam eius venisset, et monitu Tiresiae vetuerat violari, cum Ulysses condormiret, socii involarunt pecus; itaque cum coquerent, carnes ex aëno dabant balatus. Ob id Iovis navem eius fulmine incendit. Ex his locis errans, naufragio facto, sociis amissis, enatavit in insulam Aeaeam. Calypso, Atlantis filia, Nympha, quae specie Ulyssis capta, anno toto eum retinuit, neque a se dimittere voluit, donec Mercurius Iovis iussu denuntiavit Nymphae, ut eum dimitteret. Ibi facta rate, Calypso omnibus rebus ornatum eum dimisit: eamque ratim Neptunus fluctibus disiecit, quod Cyclopem, filium eius, lumine privaverat. Ibi cum fluctibus iactaretur, Leucothee, (quam nos matrem Matutam dicimus), quae in mari exigit aevum, baltheum ei dedit, quo sibi pectus suum vinciret, ne pessum abiret. Quod cum fecisset, enatavit. Inde in insulam Phaeacum venit, nudusque ex arborum foliis se obruit, qua Nausicaa, Alcinoi regis filia, vestem ad flumen lavandam tulit. Ille erepsit e foliis, et ab ea petit, ut sibi opem ferret. Illa misericordia mota, pallio eum operuit, et ad patrem suum eum adduxit. Alcinous hospitio liberaliter acceptum donisque decoratum, in patriam Ithacam dimisit. Ira Mercurii iterum naufragium fecit. Post vicesimum annum, sociis amissis, solus in patriam redit. Et cum ab hominibus ignoraretur, domumque suam

---

1. Circe monitus. 6. vetuerit. 7. aheno. 10. Aeacam. 13. et ibi. 16. Leucothoe. 20. Nausica.

---

1. Tiresia etc.] Hom. Od. 11, 108 sqq.; 12, 137 sqq., et 267 sq. Tiresiae Hyginus in antecedentibus, ubi de Ulyssis ad inferos descensu agit, non meminit. Sed fortasse illo loco nonnulla exciderunt. — Ulysses] Olim legebatur: monitus U. Correxit M. — 2. Ad etc.] In Ms. B. 'Ad Charybdin perlatus quae ter etc.' Quod probandum videtur. H. coni. Ad Charybdin denique perlatus quae etc.' Mic. haec addit: Videntur hic corrupta quaedam, quaedam etiam transposita esse; noluimus tamen quicquam a vetusto exemplari recedere'. cf. Hom. Od. 12, 101 sq; Verg. Aen. 3, 420 ibique Serv.; Ov. Met. 7, 62. — 3. eo] Sch. coni. eam. Quod probat M. — 6. vetuerat] Sic corr. M., monente Sch. — 7. itaque] H. coni. idque. — 9. Ex his etc.] Hom. Od. 7, 244 sqq.; 12, 447 sqq. — 10. Aeaeam] Sic corr. C. Aeaeam sedem Calypsus fuisse, tradit etiam Mela 1, 7. Item apud Propert. 3, 10, 31 Calypso appellatur Aeaea puella. Alii autem Aeaeam sedem Circes fuisse prodiderunt. M. voluit h. l. Ogygiam, et supra p. 102, 28 Aeaeam pro Aenariam. Mic. haec addit: Homerus hanc insulam Ogygiam vocat, et erant quoque in vetusto exemplari quaedam erasa, et pro iis Aeaeam ab indocto aliquo superinductum. — Calypso] Sch. edidit ubi Calypso. Fortasse legendum: Aeaeam, quam inhabitabat Cal. etc. — Atlantis] cf. p. 30, 5 et cp. 243. — 13. Ibi] vulg. et ibi. Quod dedi, iam Sch. voluerat. — 16. Leucothee] Sic corr. M; cf. cp. 2. — 20. ex etc.] Hom. Od. 5, 491 *φύλλοισι καλύψατο*. — obruit] B. ex Ms. vult operuit. M. retinendam putat vulgatam. — Nausicaa] Perperam in nonnullis Nausica. — 21. lavandam] Sic recte A. M. et St. Male in aliis, lavandum. — 27. hominibus] M. sic: Malim, inquit, omnibus. Nisi forte putas homines opponere eum cani, a quo agnitus fertur cp. 126.

Digitized by Google

attigisset, procos, qui Penelopen in coniugium petebant, obsidentes vidit regiam, seque hospitem simulavit; at Euryclia nutrix ipsius, dum pedes ei lavat, ex cicatrice Ulyssem esse cognovit. Postea procos, Minerva adiutrice, cum Telemacho filio et duobus servis interfecit sagittis.

CXXVI. Ulyssis cognitio.

Ulysses ab Alcinoo rege, Nausicaae patre, cum esset muneribus dimissus, naufragio facto, nudus Ithacam pervenit, ad quandam casam suam, ubi erat nomine Eumaeus sybotes, hoc est subulcus pecoris. Quem canis cum agnosceret, et ei blandiretur, Eumaeus eum non recognescebat, quoniam Minerva eum et habitum eius commutaverat. Eumaeus eum rogavit, unde esset, et ille ait, se naufragio huc pervenisse. Quem cum pastor interrogaret, an Ulyssem vidisset, dixit, se comitem eius esse, et signa et argumenta coepit dicere. Quem mox Eumaeus casa recepit, cibo potuque animavit. Quo cum venissent famuli, missi solito more pecora petitum, et ille interrogasset Eumaeum, qui essent, ait: Post Ulyssis profectionem, cum iam tempus intercederet, proci Penelopen in coniugium petentes venerunt. Quos illa condicione ita differt: Cum telam detexuero, nubam. Quam interdiu detexebat, et sic eos differebat. Nunc autem illi cum ancillis Ulyssis discumbunt, et pecora eius consumunt. Tunc Minerva effigiem suam ei restituit. Subito sybotes ut vidit Ulyssem esse, tenens amplectensque lacrimari coepit prae gaudio, et admirari, quid esset illud, quod eum immutaverat. Cui Ulysses ait: Crastino die perduc me in regiam ad Penelopen. Quem cum duceret, Minerva eum iterum in faciem mendici transformavit. Quem cum Eumaeus ad mnesteras perduxisset, et cum ancillis discumberent, ait ad illos: Habetis ecce alterum mendicum, qui cum Iro vos delectet. Tunc Antinous, unus ex mnesteribus ait: Imo inter se luctentur.

---

2. et Euryclia. 7. Nausicae. 19. incederet. — Penelopem. 25. lachrymari. 27. Penelopem. 28. ei iterum faciem. 31. Tunc Melanthius.

---

2. at] Sic corr. M., monente Sch. — Cap. CXXVI. Hom. Od. 14, 1 sqq. — 7. Nausicae] Sic corr. M. — 9. sybotes] cf. Prolegg. — 10. subulcus] B. coni. subulcus, quem canis pecoris cum etc.; Sch. subulcus, pecoris quem canis cum etc.' De qua re M. sic: Dubito tamen nonnihil, an tam levi medicina satis sanatus sit locus. Nam canis ille, qui Ulyssem agnoscebat, non Eumaei erat canis, nec custos pecoris, sed quem Ulysses, antequam ad bellum Troianum proficisceretur, enutriverat'. Idem vir doctus glossam sapere putat illa 'hoc est subulcus pecoris.' — 13. et ille] Sch. coni. ille. Quod probandum videtur. — 19. tempus] B. ex Ms. vult tempus ingens. — intercederet] Sic corr. Sch. — Penelopen] Sic corr. M., h. l. et in sqq. — 21. nubam etc.] B. coni. nubam: Noctu autem quam interdiu texebat, retexebat'. Quod probandum videtur. — 24. restituit etc.] Sch. coni., restituit subito. Sybotes etc. — 25. lacr.] vulg. lachrymari. — 28. eum etc.] Sic correxi, monente M; cf. cp. 204. B. coni. ei iterum faciem in etc. — 30. ancillis] Sch. coni. ancillis illi. — 32. Antinous] vulg. Melanthius. Emendavi, monente Mic., ex Hom. Od. 18, 34 sqq. —

Digitized by Google

et victor accipiet ventriculum fartum et harundinem, unde victum eiiciat. Qui cum luctati essent, et Ulysses Irum applosisset, atque eum eiecisset, Eumaeus in mendici persona Ulyssem ad Eurycliam nutricem perduxit, dicitque, eum socium Ulyssis fuisse * cui cum vellet, Ulysses ei os compressit, atque Penelopen et eam praemonuit, ut arcum et sagittas eius daret procis, ut qui ex iis eum intendisset, eam uxorem duceret. Quae cum fecit inter se certarent, et nemo posset intendere, Eumaeus ait deridendi gratia: demus * non pateretur Antinous, qui erat * Eumaeus arcum seni tradidit. Ille omnes procos confixit, excepto Melanthio servo. Is clam procis deprehensus est; cui nares et brachia et reliquas partes membrorum minutatim secuit, atque domum suam cum coniuge potitus est. Ancillas autem suas iussit corpora eorum ad mare deferre; in quas rogatu Penelopes post caedem procorum Ulysses animadvertit.

CXXVII. Telegonus.

Telegonus, Ulyssis et Circes filius, missus a matre, ut genitorem quaereret, tempestate in Ithacam est delatus, ibique fame coactus, agros depopulari coepit. Cum quo Ulysses et Telemachus ignari arma contulerunt. Ulysses a Telegono filio est interfectus, quod ei responsum fuerat, ut a filio caveret mortem. Quem postquam cognovit qui esset, iussu Minervae, cum Telemacho et Penelope in patriam redierunt; in insulam Aeaeam ad Circen Ulyssem mortuum deportarunt, ibique sepulturae tradiderunt. Eiusdem Minervae monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen duxerunt uxo-

---

1. farsum. 2. Ulysses iterum applosisset. 6. Penelopem. 9. Post intendere. 10. Melanthius, qui. 25. Aeaçam. 27. Penelopem.

---

1. ventric. f.] cf. Hom. Od. 18, 44 sqq. et 118 sqq. — fartum] Sic corr. M. — unde] i. e. qua; cf. cp. 112. — 2. Irum] Sic corr. L., monente C. Mic. coni. Ulysses in terram applosisset; B. Ulysses Irum terrae applosisset. — 5. cui etc.] B. in Adv. haec profert: Scribendum 'cui cum ulularet.' Errore solemni breviationibus. Reliqua lacunosa sunt, nec in membranis auxilium, quae hic situ et vermibus exesae sunt.' M. ex Hyg. cp. 125 et Hom. Od. 19, 467 sqq. sic fere legendum putat: At Euryclia, dum pedes ei lavat, ex cicatrice Ulyssem esse cognovit. Quae cum exclamare eum esse Ulyssem vellet, Ulysses ei os compressit'. Vel cum Ausonio Perioch. 19 Quae cum multa alia quaerere vellet etc. — 6. Penelopen] Sic corr. M. — et eam] Sch. coni. etiam. Quod probandum videtur. — 8. Quae etc.] Sch. coni. Quae cum fecit et inter etc; H. Qui cum confestim inter etc. — 9. posset] Sic correxi. Idem iam Mic. voluerat. — intendere] Perperam vulg. intenderet. — Eumaeus etc.] Hoc Homerus non tradidit. — 10. Antinous] Sic correxi ex Hom. Od. 21, 287. M. haec addit: Forte scripsit: 'Demus etiam huic mendico experiundi potestatem. Cum non pateretur Melanthius, qui erat fautor proterviae procorum, Eumaeus etc.' Antinous pro Melanthius etiam paulo antea restitui. — Eumaeus] Hom. Od. 21, 378. — 13. atque] Sch. coni. itaque, i. e. et ita. — domum suam] Mic. coni. domo sua. Quod probandum videtur ex cp. 108 et 182. — Cap. CXXVII. Schol. Hom. Od. 11. 134. — 24. cum Tel. etc.] Simili modo loquuntur Corn. Nep. Phoc. 2; Curt. 4, 5; Hyg. cp. 6. — 25. Aeaeam] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. Cf. supra p. 104, 10. —

Digitized by Google

res. [Ex] Circe et Telemacho natus est Latinus, qui ex suo nomine Latinae linguae nomen imposuit. Ex Penelope et Telegono natus est Italus, qui Italiam ex suo nomine denominavit.

CXXVIII. Augures.

Amycus Elati filius, Mopsus Ampyci filius, Amphiaraus Oeclei vel Apollinis filius, Tiresias Eueris filius, Manto Tiresiae filia, Polyidus Coerani filius, Helenus Priami filius, Cassandra Priami filia, Calchas Thestoris filius, Theoclymenus Thestoris filius, Telemus Protei filius, Telemus Eurymi filius; Sibylla Samia, alii Cumaeam dixerunt.

CXXIX. Oeneus.

Liber cum ad Oeneum, Parthaonis filium, in hospitium venisset, Althaeam, Thestii filiam, uxorem Oenei, adamavit. Quod Oeneus ut sensit, voluntate sua ex urbe excessit, simulatque se sacra facere. At Liber cum Althaea concubuit; ex qua nata est Deianira. Oeneo autem ob hospitium liberale muneri vitem dedit, monstravitque quomodo sereret, fructumque eius ex nomine hospitis *οἶνος* ut vocaretur, instituit.

CXXX. Icarius et Erigone.

Cum Liber pater ad homines esset profectus, ut suorum fructuum suavitatem atque iucunditatem ostenderet, ad Icarium et

---

1. Ex om. 7. Eurymi. 9. Theoclimenus. 11. Cymiam. 19. Oenon.

---

1. Ex] Hoc addidi ex coniectura. Ita enim Hyginus multis aliis locis. — Latinus etc.] Eadem fere in scholio Ms. Mic., quod apposui supra ad p. 103, 9. — 2. linguae] Sch. coni terrae; W. genti. — Cap. CXXVIII. — 6. Amycus] Ex sqq. videtur legendum Ampycus. Idem coni. Sch. — Elati] Secundum Schol. Ap. Rh. 1, 65; Paus. 5, 17, 10 Ampyx, Mopsi pater, filius Titaronis fuit. — Mopsus A.] cf. cp. 14. — Oeclei] cf. cp. 70. — 7. Eueris] Sic corr. M., h. l. et cp. 68 et 75. Cf. Apollod. 3, 6, 7. — 9. Theoclym.] Sic corr. M. ex Homero aliisque. — Thestoris f.] Sch. putat, haec ex antecedentibus huc esse translata. Secundum Hom. Od. 15, 252 Polyphidis filius fuit. Mic. i. m. Polyphidae, ut apud Hom. — 10. Telemus etc.] Mic coni. Theonoe Protei filia, ex Eur. Hel. 11; Sch. Telegonus Protei fil., ex. Apollod. 2, 5, 9. — Tel. Eurymi] Hom. Od. 9, 509; Ov. Met. 13, 771 sqq.; Hyg. cp. 125. — 11. Cumaeam] vulg. Cymaeam. — Cap. CXXIX. Mic. haec addit: Fabulae, quae hinc ad Marsyam usque, hoc est, ad cap. 165 sequuntur, capitibus suis et numero inscriptae non erant in veteri exemplo, quae nos tamen ad indicem restituimus. — 19. Oenos scripsit M., monente Sch. Vera lectio, ni fallor, est *οἶνος*. Cf. Myth. Vat. I, 87. In glossa cod. Leid. Servii ad Ge. 1, 8 sic: vinum Graeco verbo Ynon a suo nomine appellavit'. Scribendum erat *οἶνον*. — Cap. CXXX. Apollod. 3, 14, 7 ibique Heyne; Schol. cod. Venet. ad Hom. Il. 22, 29; Hyg. Astr. 2, 4; Serv. ad Ge. 1, 33; 2, 389; Prob. ad Ge. 2, 385; Schol. Germ. p. 78 sq. Buhle; Myth. Vat. I, 19; II, 61. Fuit etiam Sophoclis tragoedia Erigone. — 22. Icarium] Infr. cp. 224, 243 et 254 vulgo Icarus. Tales discrepantiae in nominibus scribendis in multis codicibus comparent. In cod. Astr. Hyg. Guelferbytano inveni ycarium, icarium, ycarum et icarum. Optimum est Icarium. Graece enim pater Erigones *Ἰκάριος* appellatur. Sciendum tamen, apud Latinos scriptores, maximeque apud poetas, eundem etiam Icarum appellari. Cf. Ov. Met. 10, 450; Ib. 611 sqq. —

Digitized by Google

Erigonen in hospitium liberale devenit. Iis utrem plenum vini muneri dedit, iussitque, ut in reliquas terras propagarent. Icarius, plaustro onerato, cum Erigone filia et cane Maera in terram Atticam ad pastores devenit, et genus suavitatis ostendit. Pastores cum immoderatius biberent, ebrii facti, conciderunt; qui arbitrantes, Icarium sibi malum medicamentum dedisse, fustibus eum interfecerunt. Icarium autem occisum canis ululans Maera Erigonae monstravit, ubi pater insepultus iaceret. Quo cum venisset, super corpus parentis in arbore suspendio se necavit. Ob quod factum Liber pater iratus, Atheniensium filias simili poena afflixit. De ea re ab Apolline responsum petierunt; quibus responsum est, quod Icarii et Erigones mortem neglexissent. Quo responso, de pastoribus supplicium sumpserunt, et Erigonae diem festum oscillationis pestilentiae causa instituerunt, et ut per vindemiam de frugibus Icario et Erigonae primum delibarent. Qui deorum voluntate in astrorum numerum sunt relati; Erigone signum Virginis, quam nos Iustitiam appellamus; Icarius Arcturus in sideribus est dictus, canis autem Maera Canicula.

CXXXI. Nysus.

Liber cum in Indiam exercitum duceret, Nyso, nutricio suo, dum ipse inde rediret, regni Thebani potestatem tradidit; sed posteaquam inde reversus est Liber, Nysus regno cedere noluit. Liber cum nutricio contendere noluit, passusque est eum regnum obtinere, dum occasio sibi regni recuperandi daretur. Itaque post annum tertium cum eo redit in gratiam, simulatque in regno se sacra facere velle, quae Trieterica dicuntur, quoniam post tertium annum faciebat, militesque muliebri ornatu pro Bacchis introduxit, et Nysum cepit, regnumque suum recuperavit.

---

1. Erigonam. 4. Mera. 8. Mera. — Erigone. 14. Erigone. 16. deliberarent. 18. iusticiam. 19. Mera. 20. Nisus. 21. Niso. 23. Nisus. 29. Nisum.

---

1. Erigonen] Sic correxi. In sqq. nominativus est Erigone, genitivus Erigones, ablativus Erigone. — 4. Maera] Sic corr. M., h. l. et in sqq. — terram Atticam] De hoc dicendi genere dixi in Prolegg. — genus suavitatis] Idem habet Schol. Germ. l. c.; H. coni. genus suave vitis. Cf. infr. cp. 274. — 6. malum med.] Idem apud Schol. Germ. l. c. Venenum dixerunt Hyg. Astr.; Serv. et Prob. l. c. Vide infr. cp. 132. — 8. ululans etc.] vulg. ululans Maera, Erigonae. Comma delendum est. Nec potest probari sententia Munckeri, qui ululare aliquem dictum putat ab Hygino, ut flere aliquem dicere solemus. Cf. Hyg. Astr. l. c. — Erigonae] Sic corr. C. — monstravit, ubi etc.] Eadem apud Schol. Germ. l. c. Sch. coni. monstravit, et ubi etc. Fortasse legendum: 'monstravit. Quae cum venisset, ubi pater insepultus iaceret, super etc.' — 14. Erigonae] Sic corr. C. — 16. delibarent] Sic corr. L. Idem iam Mic. voluerat. — Cap. CXXXI. — 20. Nysus] Sic correxi ex cp. 167 et 179. Idem in sqq. restituit M. —

Digitized by Google

CXXXII. Lycurgus.

Lycurgus, Dryantis filius, Liberum de regno fugavit. Quem cum negaret deum esse, vinumque bibisset, et ebrius matrem suam violare voluisset, tunc vites excidere est conatus, quod diceret, illud malum medicamentum esse, quod mentes immutaret. Qui insania ab Libero obiecta, uxorem suam et filium interfecit, ipsumque Lycurgum Liber pantheris obiecit in Rhodope, qui mons est Thraciae, cuius imperium habuit. Hic traditur unum pedem sibi pro vitibus excidisse.

CXXXIII. Hammon.

Liber in India cum aquam quaereret, nec invenisset, subito ex harena aries dicitur exiisse. Quo duce Liber cum aquam invenisset, petit ab Iove, ut eum in astrorum numerum referret; qui adhuc hodie aequinoctialis aries dicitur. In eo autem loco, ubi aquam invenerat, templum constituit, quod Iovis Hammonis dicitur.

CXXXIV. Tyrrheni.

Tyrrheni, qui postea Tusci sunt dicti, cum piraticam facerent, Liber pater impubis in navem eorum conscendit, et rogat eos, ut se Naxum deferrent. Qui cum eum sustulissent, atque vellent ob formam constuprare, Acoetes gubernator eos inhibuit; qui iniuriam ab eis passus est. Liber ut vidit in proposito eos permanere, remos in thyrsos commutavit, vela in pampinos, rudentes in hederam; deinde leones atque pantherae prosiluerunt. Qui, ut viderunt, timentes in mare se praecipitaverunt. Quos et in mari in aliud monstrum transfiguravit; nam quisquis se praecipitaverat, in delphini effigiem transfiguratus est, unde delphini Tyrrheni sunt appel-

---

2. Driantis. 21. Acetes. 26. quod.

Cap. CXXXII. Hom. Il. 6, 130 sqq.; Ov. Met. 4, 22; Serv. ad Aen. 3, 15; Intpp. ad Propert. 3, 15, 23; Hor. od. 2, 29, 16. Fuit etiam Aeschyli fabula Lycurgi nomine inscripta. — 2. Dryantis] Sic corr. M. ex cp. 242. — 5. malum med.] i. e. venenum; cf. cp. 130. — Cap. CXXXIII. Hyg. Astr. 2, 20; Serv. ad Aen. 4, 196; Schol. Stat. Th. 3, 476; Schol. Germ. p. 61 Buhle; Myth. Vat. I, 121; II, 80. — 11. India] In Libya hoc accidisse tradit Serv. l. c.; in Oriente Schol. Lucan. 9, 512; in Africa Hyg. Astr. l. c. Myth. Vat. I, l. c. sic: quum Indos peteret et per Xerolybiam exercitum duceret. — 12. harena] De hoc scribendi genere Prob. ad Ge. 1, 70. — Cap. CXXXIV. Hom. hymn. in Bacchum; Apollod. 3, 5, 3; Hyg. Astr. 2, 17; Ov. Met. 3, 582 sqq.; Lact. arg. 3, 9; Serv. ad Aen. 1, 67; Myth. Vat. I, 122; II, 171. — 21. Acoetes] Sic corr. C. — 25. Qui] M. coni. Quae; H. Tusqui, i. e. Tusci, ex antiquo scribendi genere. Sed non mutanda est lectio. Recte W. sic: Relativum qui passim, apud nostrum praesertim, cum duritie quadam atque obscuritate periodos connectit. — 26. quos et] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. — 28. unde etc.] Delphinus vocatur Tyrrhenus piscis a Sen. Agam. 446. —

lati, et mare Tyrrhenum est dictum. Numero autem fuerunt duodecim, his nominibus: Aethalides, Medon, Lycabas, Libys, Opheltes, Melas, Alcimedon, Epopeus, Dictys, Simon, Acoetes. Hic gubernator fuit: quem ob clementiam Liber servavit [et Proreus].

CXXXV. Laocoon.

Laocoon, Acoetis filius, Anchisae frater, Apollinis sacerdos, contra voluntatem Apollinis cum uxorem duxisset, atque liberos procreasset, sorte ductus, ut sacrum faceret Neptuno ad littus, Apollo, occasione data, a Tenedo per fluctus maris dracones misit duos, qui filios eius Antiphantem et Thymbraeum necarent. Quibus Laocoon cum auxilium ferre vellet, ipsum quoque nexum necaverunt. Quod Phryges idcirco factum putarunt, quod Laocoon hastam in equum Troianum miserit.

CXXXVI. Polyidus.

Glaucus, Minois et Pasiphaae filius, dum ludit pila, cecidit in dolium melle plenum. Quem cum parentes quaererent, Apollinem sciscitati sunt de puero. Quibus Apollo respondit: Monstrum vobis natum est; quod si quis solverit, puerum vobis restituet. Minos, sorte audita, coepit monstrum a suis quaerere; cui dixerunt, natum esse vitulum, qui ter in die colorem mutaret per quaternas horas, primum album, secundo rubeum, deinde nigrum. Minos autem ad monstrum solvendum augures convocavit. Qui cum non invenirent,

---

2. Ethalides. 11. Thimbraeum. 24. invenirentur.

---

1. Numero etc.] Nomina nautarum praeter Hyginum et Ovidium nemo memoriae prodidit. Secundum Ovidium v. 687 l. c. viginti nautae in ea navi fuisse dicuntur, ex quibus solus Acoetes superstes remansit. Nomina nautarum, quae ab Ov. v. 582 sqq. commemorantur, haec sunt: Acoetes, Opheltes, Dictys, Libys, Melanthus, Alcimedon, Epopeus, Lycabas, Aethalion, Medon, Proreus. Gubernator navis fuit Acoetes Maeonius; proreta Melanthus. Celeusma dixit Epopeus. Hygini locus in nonnullis corruptus est. In codice Mic. XI nomina legebantur; quibus Mic. Prorei nomen ex Ov. v. 634 l. c. addidit. — 2. Aethalides] Sic correxi. — 3. Simon] Hoc nomen in suspicione mihi est. — 5. et Proreus] Haec addidit Mic. ex coniectura. M. coni. 'Proreus, Acoetes. Hic etc.' Quod praeferendum videtur. — Cap. CXXXV. Verg. Aen. 2, 201 sqq., ibique Serv.; Myth. Vat. II, 207. — 7. Acoetis] Hoc alii non tradunt. — Anchisae frater] Hoc nusquam alibi legimus. Capyn Anchisae patrem fuisse, Hom. Il. 20, 239; Apollod. 3, 12, 2 aliique prodiderunt. — 11. filios etc.] Alia nomina affert Serv. ad Aen. 2, 211. — Antiphantem] Puto legendum Antiphatem ex Gr. Ἀντιφάτης. — Thymbr.] Sic corr. C. — 13. nexum] Sch. coni. innexum vel nexu. — Cap. CXXXVI. Apollod. 3, 3 ibique Heyne; Hyg. Astr. 2, 14; Plin. H. N. 25, 2. Fuerunt tragoediae Sophoclis Polyidus, et alter Polyidus Euripidis. — 16. Pasiphaae] Malim Pasiphaes. — 19. solverit] Solvere h. l. et in sqq. idem est quod εἰκάσαι τὴν θέαν apud Apollod. l. c. — 22. per q. h.] Haec glossatoris esse putat Tollius. — 23. rubeum] Sic Fulg. Myth. 1, 2. — 24. invenirent] Sic correxi, monente M. Sensus hic est: Qui cum dicere non possent, cuinam rei simile esset illud monstrum. Sch. coni. invenirent, tum. —

Digitized by Google

Polyidus, Coerani filius, Bizanti monstrum demonstravit: eum arbori moro similem esse; nam primum album est, deinde rubrum, cum permaturuit, nigrum. Tunc Minos ait ei: Ex Apollinis responso filium mihi oportet restituas. Quod Polyidus dum auguratur, vidit noctuam super cellam vinariam sedentem, atque apes fugantem. Augurio accepto, puerum exanimem de dolio eduxit. Cui Minos ait: Corpore invento, nunc spiritum restitue. Quod Polyidus cum negaret posse fieri, Minos iubet eum cum puero in monumento includi, et gladium poni. Qui cum inclusi essent, draco repente ad corpus pueri processit. Quod Polyidus aestimans eum velle consumere, gladio repente percussit, et occidit. Altera serpens, parem quaerens, vidit eam interfectam, et progressa herbam attulit, atque eius tactu serpenti spiritum restituit. Idemque Polyidus fecit. Qui cum intus vociferarentur, quidam praeteriens Minoi nuntiavit. Qui monumentum iussit aperiri, et filium incolumem recuperavit; Polyidum cum multis muneribus in patriam remisit.

CXXXVII. Merope.

Polyphontes, Messeniae rex, Cresphontem, Aristomachi filium, cum interfecisset, eius imperium et Meropen uxorem accepit.

CXXXVIII. Philyra, quae in tiliam versa est.

Saturnus Iovem cum quaereret per terras, in Thracia cum Philyra, Oceani filia, in equum conversus, concubuit. Quae ex eo peperit Chironem Centaurum, qui artem medicam primus

---

3. permaturavit. 21. Meropem. 22. Tibiam.

---

1. Bizanti] Sch. coni. virenti; M. Byzantius. Fortasse legendum: Polyidus Coerani, Abantis filii filius; cf. Paus. 1, 43. St. coni. 'Polyidus, Coerani filius, Abantis nepos'. Sed adiicit haec: Bizanti retineri tamen potest. Quid Bizanti Coerano evenerit, docet Plutarch. Tom. 2, p. 985. quem Parium fuisse addit. — demonstravit etc.] Haec verba sic accipienda videntur: Polyidus regi indicavit, cuinam rei simile esset monstrum, dicendo, vitulum eum fructui arboris mori similem esse. Sch. coni. 'Polyidus, Coerani filius, virenti demonstravit eum arbori moris similem esse.' — 2. arbori moro] Sic arbor malus cp. 125, arbor laurus cp. 203, arbores populi cp. 154. Apollod. l. c. haec habet: τὴν χρόαν τῆς βοὸς εἴκασε βάτου καρπῷ. M. sic: Si quid mutandum videtur, libenter rescriberem rubi moro. Quod probat Heyne l. c. — nam etc.] M. haec addit: Si praecedentia verba a vitio libera sunt, scribendum, nam morum primum. Propter praecedens moro τὸ morum repetere supervacaneum duxit indoctus librarius. — 3. permaturuit] Sic corr. M. — 5. noctuam etc.] Haec ficta sunt lusu verborum inter γλαῦκα et Γλαῦκον facto, ut ait Heyne l. c. — 6. fugantem. Augurio etc.] Sic M. pro fugantem augurio etc. — 13. parem] i. e. coniugem, ut ait M. Sic Ovidius multis locis. — Cap. CXXXVII. Apollod. 3, 8, 5; Hyg. cp. 184. — 21. Meropen] Sic corr. M. h. l. et cp. 184. — Cap. CXXXVIII. Ap. Rh. 2, 1233 sqq.; Schol. Ap. Rh. 1, 554; 2, 1233 sqq.; Serv. et Philarg. ad Ge. 3, 93; Schol. Germ. p. 86 Buhle; Myth. Vat. I, 103; II, 62; Fragm. Dosithei magistri. — 23. in Thracia] Secundum Philarg. l. c. in Thessalia. — 25. artem medicam] In fragm. Dosith., et infra cp. 274 artem medicinam. —

Digitized by Google

invenisse dicitur. Philyra postquam invisitatam speciem se peperisse vidit, petit ab Iove, ut se in aliam speciem commutaret. Quae in arborem philyram, hoc est tiliam, commutata est.

CXXXIX. Curetes.

Postquam Opis Iovem ex Saturno peperit, petit Iuno, ut sibi eum concederet, quoniam Saturnus Orcum sub Tartara deiecerat, et Neptunum sub undas, quod sciret, si quis ex eo natus esset, se regno privaret. Qui cum Opem rogaret, ubi esset, quod illa peperisset, illa lapidem involutum ostendit; eum Saturnus devoravit. Quod cum sensisset, coepit Iovem quaerere per terras. Iuno autem Iovem in Creten insulam detulit. Amalthea, pueri nutrix, eum in cunis in arbore suspendit, ut neque coelo, neque terra, neque mari inveniretur; et ne pueri vagitus exaudiretur, impuberes convocavit, eisque clipeola aënea et hastas dedit, et iussit eos circum arborem euntes crepare. Qui Graeci Curetes sunt appellati, alii Corybantes dicuntur; hi autem Lares appellantur.

---

1. inusitatam. 2. aliquam. 3. Tiliam. 9. ut esset. 12. Cretensi insula. 13. Adamantaea. 16. clypeola.

---

1. invisitatam] Sic correxi ex frgm. Dosith. Idem voluit St. — 2. aliam] Sic correxi. Idem iam M. voluerat. — Cap. CXXXIX. Serv. ad Aen. 3, 104; ad Ge. 4, 153; Schol. Stat. Th. 4, 785, et Ach. 2, 190; Myth. Vat. I, 104; II, 16. — 6. Opis] Puto legendum Ops, ut p. 27, 3. Perperam opis pro ops etiam in nonnullis codd. Servii. Res ita sese habet: Ops fuit Oceani filia, uxor Saturni; Opis autem (cf. supra p. 29, 4; Serv. ad Ge. 3, 93) Nympha, Nerei filia. — 7. Orcum] i. e. Plutonem. Sic Cic. N. D. 3, 17; Myth. Vat. I, 108; Isid. Orig. 8, 11, 42. — 8. quod etc.] M. coni. quod sciret, ut, si quis etc.; addit tamen: Si nihil mutandum putes, adducere possis illa cp. 166 'Optionem a Iove accepit, si quid ab iis petiisset, impetraret.' Sed et ea mihi ὕπουλα viderentur, et eadem medicina curanda, nisi ita Lactantius quoque loqueretur Argum. lib. XI fab. 3 'Optandi Deus ei veniam dedit, si quid vellet, a se peteret. — eo] M. accipit pro se, ut cp. 80 liceret ei pro liceret sibi. Sch. coni. ea. Quod praeferendum videtur. — 9. ubi] Sic correxi ex Schol. St. Th. l. c. Idem voluit M. — 10. lapidem] Videtur aliquid deesse. Schol. Stat. Th. l. c. sic: illa lapidem ei involutum veste monstravit, quem Saturnus voravit.' Eadem fere habet Myth. Vat. II, l. c. — 12. Creten insulam] Ita legendum arbitror. Creten dixit Hyg. etiam infr. cp. 198. — 13. Amalthea] Sic correxi ex Schol. Stat. Th. l. c.; Hyg. Astr. 2, 14; Lact. Firm. 1, 22 aliisque. Idem iam Wowerius et H. voluerant. — 18. alii etc.] Lectio corrupta est. M. et St. scribunt, aliis C. d. Malim sic scribere: appellati (alii Corybantes dicunt), hi etc.; cf. supra p. 41, 19 et 42, 13. Schol. Stat. Th. l. c. haec habet: Ne vagitus pueri audiretur, Corybantes posuit, quia Curetes Latine lares familiares appellantur'. Hyg. Astr. 2, 2 Curetes appellat Iovis administros. Nonnulli eosdem fuisse dicunt Curetes et Corybantes, ut iam monuit Serv. ad Aen. 3, 104. Alii diversos faciunt, ut Apollodorus, Ov. Fast. 4, 209; Sen. Herc. Oet. 1877; de qua re Heyne ad Apollod. 1, 1, 6; Creuzer, Symb. und Mythol. — hi etc.] B. ex Ms. vult, Latine lares appellantur'. Cf. Schol. Stat. Th. l. c., cuius verba paulo antea posui. —

Digitized by Google

CXL. Python.

Python, Terrae filius, draco ingens. Hic ante Apollinem ex oraculo in monte Parnasso responsa dare solitus erat. Huic ex Latonae partu interitus erat fato futurus. Eo tempore Iovis cum Latona, Coei filia, concubuit; hoc cum Iuno resciit, facit, ut Latona ibi pareret, quo Sol non accederet. Python ubi sensit Latonam ex Iove gravidam esse, persequi coepit, ut eam interficeret. At Latonam Iovis iussu ventus Aquilo sublatam ad Neptunum pertulit. Ille eam tutatus est; sed ne rescinderet Iunonis factum, in insulam eam Ortygiam detulit; quam insulam fluctibus cooperuit. Quod cum Python eam non invenisset, Parnassum redit. At Neptunus insulam Ortygiam in superiorem partem rettulit; quae postea insula Delus est appellata. Ibi Latona oleam tenens, parit Apollinem et Dianam, quibus Vulcanus sagittas dedit donum. Post diem quartum quam essent nati, Apollo matris poenas executus est; nam Parnassum venit, et Pythonem sagittis interfecit; unde Pythius est dictus. Ossaque eius in cortinam coniecit, et in templo suo posuit, ludosque funebres ei fecit, qui ludi Pythia dicuntur.

CXLI. Sirenes.

Sirenes, Acheloi fluminis et Melpomenes Musae filiae, Proserpinae raptum lamentantes, ad Apollinis petram venerunt, ibique Cereris voluntate, quod Proserpinae auxilium non tulerant, volaticae sunt factae. His responsum erat, tamdiu eas victuras, quamdiu cantantes eas audiens nemo esset praetervectus. Quibus fatalis fuit Ulysses; astutia enim sua cum praeternavigasset scopulos, in quibus morabantur, praecipita-

---

5. Poli filia. 18. inde. 23. raptu aberrantes. — Apollinis terram.

Cap. CXL. Ov. Met. 1, 416 sqq.; Lact. arg. 1, 8; Serv. ad Aen. 3, 73; Schol. Stat. Ach. 2, 9; Myth. Vat. I, 37; II, 17. — 2. ante Apollinem] Secundum Paus. et Schol. Eur. Or. 163 prima praeerat Tellus oraculo Delphico, tum Themis, postea Apollo. Alii alia prodiderunt. Ael. V. H. 3, 1; Schol. Iuven. sat. 1, 82; Schol. Aesch. Prom. 209; Schol. Pind. Pyth. hypoth. — 3. responsa dare] Qua de causa supra p. 31, 3 draco divinus appellatur. — 5. Coei] Sic correxi; cf. p. 29, 9. — 9. tutatus est] cf. cp. 100. — 10. factum] In Ms. B. fatum. Sed vulgata retinenda est. Paulo antea: facit, ut Latona etc. Nec male M. lectores delegat ad Ov. Met. 3, 336. — 13. in super. etc.] i. e. aquis superferri iussit. — 16. Post etc.] Apollinem in prima infantia matris poenas executum esse, Macrob. Sat. 1, 17; Schol. Hor. od. 3, 22; Schol. Stat. Ach. 2, 9 aliique litteris mandaverunt. Sch. sic distinguendum putat: donum, post diem quartum quam essent nati. Apollo etc.' Quod non est probandum. — 18. unde] Sic correxi monente M. Infra cp. 167 unde Dionysus est appellatus'. M. apposuit verba Lactantii arg. 1, 8 Unde etiam Apollo Pythius est appellatus, ludique Pythii. — 19. cortinam] Serv. ad Aen. 3, 92. — Cap. CXLI. Ov. Met. 5, 551 sqq.; Lact. arg. 5, 9; Hyg. cp. 125; Myth. Vat. I, 186; II, 101; Fragm. Dosith. — 22. Acheloi etc.] cf. p. 30. — 23. raptum lamentantes ad Apollinis petram] Sic correxi ex fragm. Dosith. Idem ex eodem voluerunt Valckenaer et St. — 27. fatalis] i. e. exitio; cf. p. 41, 21.

runt se in mare. A quibus locus Sirenides cognominatur, qui est inter Siciliam et Italiam.

CXLII. Pandora.

Prometheus, Iapeti filius, primus homines ex luto finxit. Postea Vulcanus Iovis iussu ex luto mulieris effigiem fecit; cui Minerva animam dedit, ceterique dii alius aliud donum dederunt, ob idque Pandoram nominarunt. Ea data in coniugium Epimetheo fratri; inde nata est Pyrrha; quae mortalis dicitur prima esse creata.

CXLIII. Phoroneus.

Inachus, Oceani filius, ex Argia sorore sua procreavit Phoroneum, qui primus mortalium dicitur regnasse. Homines ante secula multa sine oppidis legibusque vitam exegerunt una lingua loquentes, sub Iovis imperio. Sed postquam Mercurius sermones hominum interpretatus est, unde hermeneutes dicitur esse interpres (Mercurius enim Graece Hermes vocatur) idem nationes distribuit, tum discordia inter mortales esse coepit. Quod Iovi placitum non est. Itaque exordium regnandi tradidit Phoroneo, ob id beneficium, quod Iunoni sacra primus fecit.

CXLIV. Prometheus.

Homines antea ab immortalibus ignem petebant, neque in perpetuum servare sciebant; quod postea Prometheus in ferula detulit in terras, hominibusque monstravit, quomodo cinere

---

11. Archia. 19. Iunonis.

---

1. Sirenides] Sch. coni. Sirenitis ex Strab. 6, 255. Quod probandum videtur. *Σειρηνουσσῶν ἀκρωτήριον* appellatur ille locus a Strab. 1, 22; 5, 247, *Σειρηνὶς πέτρα* a Dionys. Per. 360. — Cap. CXLII. — 4. homines] Sch. coni. hominem, ut opponatur mulieri. De qua re M. sic: illa oppositio nihilominus constabit, si homines retineas. — 8. fratri] i. e. fratri Promethei. Male Sch. supplendum putat Pandorae. — Cap. CXLIII. — 11. Inachus etc.] cf. p. 28, 5; Apollod. 2, 1, 1. — Argia] Sic correxi ex p. 28, 3. Ceterum alii scriptores non Argiam, sed Melien, Oceani filiam, uxorem Inachi fuisse tradunt, ut Apollod. 2, 1, 1; Schol. Hom. Il. 1, 22; Schol. Aesch. Prom. 921; Schol. Eur. Or. 933. — 12. qui etc.] Schol. Stat. Th. 4, 589 Phoroneus autem, Inachi filius, qui primus mortalibus regnavit'. Cf. Myth. Vat. II, 8. — 15. unde etc.] Fortasse legendum: unde *ἑρμηνευτής* dicitur, id est interpres (Mercurius enim Graece '*Ἑρμῆς* dicitur) etc.' Serv. ad Aen. 4, 242 haec profert: '*Ἑρμῆς* autem Graece dicitur, *ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας*, Latine interpres. Cf. Schol. Hor. od. 3, 11; Myth. Vat. I, 119. M. sic: Facile credo Cl. Scheffero haec omnia includenda esse parenthesi; nec refragor reponenti et interpres; quanquam non valde id necessarium. Videtur enim velle interpretis vocabulum apud Graecos a Mercurio ducere originem. — 17. idem] Sch. coni. item. Non assentior. — 19. Iunoni] Sic correxi. Idem iam Munckero venit in mentem. Simile quid restitui cp. 40. — Cap. CXLIV. Apollod. 1, 7, 1; Hyg. Astr. 2, 15; Serv. ad Ecl. 6, 42; Myth. Vat. I, 1; II, 64. — 23. quod] Lectio, ni fallor, corrupta est. M. accipit quod pro ob quod.

Digitized by Google

obrutum servarent. Ob hanc rem Mercurius Iovis iussu deligavit eum in monte Caucaso ad saxum clavis ferreis, et aquilam apposuit, quae cor eius exesset. Quantum die ederat, tantum nocte crescebat. Hanc aquilam post triginta annos Hercules interfecit, eumque liberavit.

CXLV. Niobe sive Io.

Ex Phoroneo et Cinna nati Apis et Nioba. Hanc Iuppiter mortalem primam compressit; ex ea natus est Argus, qui suo nomine Argos oppidum cognominavit. Ex Argo et Euadne Criasus, Piranthus et Iasus nati; ex Pirantho Callirhoe, Argus Arestorides, Triopas. Hic* ex hoc Eurisabe Anthus, Pelasgus, Agenor. Ex Triope et Oreaside Xanthus et Inachus; ex Pelasgo Laris; ex Inacho et Argia Io.

Hanc Iuppiter dilectam compressit, et in vaccae figuram convertit, ne Iuno eam cognosceret. Id Iuno cum rescivit, Argum, cui undique oculi refulgebant, custodem ei misit; hunc Mer-

---

7. Thronio. 10. Crinus. — Basus. 11. Aristorides.

---

1. Ob hanc r.] Aliam causam afferunt Schol. Aesch. Prom. 11 et 1021; Schol. Ap. Rh. 2, 1253; Hyg. Astr. l. c. — 4. crescebat] Sch. coni. recrescebat. Quod probandum videtur; cf. cp. 55. — triginta] Secundum Aeschylum ap. Hyg. Astr. l. c. ad XXX milia annorum alligatus fuerat. — Cap. CXLV. — 6. Niobe etc.] Puto legendum: 'Niobe. Io sive Isis'. Duae narrationes h. l. in unam coaluisse videntur. De Phoroneo eiusque progenie vid. Apollod. 2, 1, 1 sqq.; Schol. Eur. Or. 920 et 1239; ad Phoen. 1116. — 7. Phoroneo] Sic corr. C. — et Cinna] Lectio corrupta est. Puto legendum: Inachi filio; cf. cp. 143. — mortalem p. c.] Apollod. l. c.; Schol. Stat. Th. 4, 589. — 9. Ex etc.] In iis, quae hinc sequuntur, alia sunt corrupta, alia omissa. — Euadne] i. e. filia Strymonis et Neaerae; cf. Apollod. l. c. — 10. Criasus] Sic correxi ex Apollod. et Schol. Eur. Or. 920. Idem iam Sch. voluit. — Iasus] Sic correxi, monente Sch. Cf. Heyne ad Apollod. 2, 1, 2. — Pirantho] Scaliger et Sch. coni. Pirantho et. — 11. Arestorides] vulg. Aristorides, ut olim etiam apud Ov. Met. 1, 624. De Argo Panopte, qui a nonnullis etiam Arestorides vocatur (Ap. Rh. 1, 112; Apollod. et Ovid l. c.) apud Hyginum statim in seqq. sermo est. Hoc loco autem illa 'Argus Arest.' eiicienda videntur. — Triopas] In seqq. legimus ex Triope; cp. 124 Triops, Piranthi filius; cp. 225 Pelasgus Triopae filius. Graece Τρίοψ et Τρίοπας filius Piranthi appellatur. Quare omnibus locis aut Triopas aut Triops scribendum erat. Triopas est ap. Hyg. Astr. 2, 14. — Hic] M. delendum putat, ut natum ex seq. hoc. Sed fortasse nonnulla exciderunt, quae ad Triopam pertinebant. — ex hoc] Haec referenda videntur ad Triopam. Hoc si recte se habet, statuendum est, Triopam duas uxores habuisse. Melius tamen sic legeretur: Ex Triopa et Eury..... Pelasgus, Agenor; ex Triopa et .... Xanthus et Inachus'. Secundum Schol. Eur. Or. 920 ex Triopa et Soide nati sunt Pelasgus, Iasus, Xanthus et Agenor. Hellanicus ap. Schol. Hom. Il. 3, 75 et Paus. 2, 16 tres filios Triopae commemorant, id est Iasum, Agenorem et Pelasgum. — Eurisabe] Hoc nomen corruptum est. Sch. coni. et Eurisabe. — 12. Pelasgus] cf. cp. 225. Agenoris filius appellatur cp. 124. — Triope] M. vult Triopa. — Oreaside] Fortasse legendum Orseide, h. l. et ap. Schol. Eur. Or. l. c. Orseis est nomen Nymphae ap. Apollod. 1, 7, 2. — 13. Laris] M. coni. Lycaon; cf. Apollod. 3, 8, 1; Hyg. cp. 176 et 225. — Io] Apollod. 2, 1, 3; Ov. Met. 1, 568 sqq.; Lact. arg. 1, 10, 13 et 14; Serv. ad Aen. 7, 790; ad Ge. 3, 152; Prob. ad Ge. 3, 146. — 14. Hanc etc.] Hinc incipit altera fabula. —

Digitized by Google

curius Iovis iussu interfecit. At Iuno Formidinem ei misit, cuius timore exagitata, coegit eam, ut se in mare praecipitaret: quod mare Ionium est appellatum. Inde in Scythiam transnavit, unde Bosphorus fines sunt dictae; inde in Aegyptum, ubi parit Epaphum. Iovis cum sciret, suapte propter opera tot eam aerumnas tulisse, formam suam ei propriam restituit, deamque Aegyptiorum esse fecit, quae Isis nuncupatur.

CXLVI. Proserpina.

Pluton petit ab Iove, Proserpinam, filiam eius et Cereris, in coniugium daret. Iovis negavit Cererem passuram, ut filia sua in Tartaro tenebricoso sit, sed iubet eum rapere eam, flores legentem in monte Aetna, qui est in Sicilia. In quo Proserpina dum flores cum Venere et Diana et Minerva legit, Pluton quadrigis venit, et eam rapuit. Quod postea Ceres ab Iove impetravit, ut dimidia parte anni apud se, dimidia apud Plutonem esset.

CXLVII. Triptolemus.

Cum Ceres Proserpinam filiam suam quaereret, devenit ad Eleusinum regem, cuius uxor Cothonea puerum Triptolemum pepererat, seque nutricem lactantem simulavit. Hanc regina

1. formidinem. 4. Bosphorum.

1. Formidinem] vulg. formidinem; cf. supra p. 30, 16. Oestrum Ioni immissum esse, plurimi tradiderunt; Apollod. l. c.; Serv. ad Ge. 3, 152; ad Aen. 7, 790. — 2. exagitata] B. coni. exagitatam coegit ut se; M. exagitatam coegit eam ut se. — 4. Bosphorus fines] Sch. coni. Bosphori fines; H. Bosphorus eius fines. Munckero praeter alia hoc in mentem venerat: Bospori fauces. Atque sic malim scribere. — 5. Iovis] pro Iuppiter. — Cap. CXLVI. Hom. hymn. in Cer.; Ov. Fast. 4, 421 sqq.; Met. 5, 341 sqq.; Paus. 1, 38 sq.; Schol. Stat. Th. 5, 374; Lact. arg. 5, 6; Myth. Vat. II, 93. — 10. in c.] M. coni. sibi in c.' Hoc sane melius est; cf. cp. 69 et 88. Mihi haec in mentem venerant: Pluton petit ab Iove, ut sibi Proserpinam etc.; cf. cp. 179. — 13. Aetna] Sic Arist. mirab. narrat. cp. 116; Schol. Stat. et Lact. arg. l. c.; Myth. Vat. I, 7; II, l. c. Alii alia tradiderunt; de qua re Spanh. ad Callim. h. Cer. 9; Intptt. ad Propert. 1, 3, 1 et ad Ovid. l. c. — 15. Quod] abundat h. l. W. coni. quo facto. — Cap. CXLVII. Apollod. 1, 5, 1 sq.; Hyg. Astron. 2, 14; Ov. Fast. 4, 507 sqq.; Serv. ad Ge. 1, 19 et 163; Schol. Stat. Th. 2, 382; Myth. Vat. I, 8; II, 96 et 97. — 19. Eleusinum] Hunc patrem Triptolemi fuisse, praeter Hyginum tradiderunt Panyasis apud Apollod. l. c.; Serv. ad Ge. 1, 19 et Schol. Stat. l. c. Secundum Hyginum primus regnavit Eleusinus, pater Triptolemi; tum Celeus, postea Triptolemus. — 20. Cothonea] Sic etiam Schol. Stat., qui l. c. Hyginum exscripsit. Servio ad Ge. 1, 19 est Cyntinia; Myth. Vat. II, 96 Hionia. Haec omnia corrupta sunt. M. pro Cothonea legendum putat Polymnia ex Tzetz. ad Hes. op. p. 7 ed. Heins. Sed hoc non probandum videtur. Malim Metanira; quo nomine uxor Celei, mater Triptolemi, vocatur ab Hom. h. Cer. 161; Apollod. l. c.; Ov. Fast. 4, 539 aliisque. — 21. nutricem lact.] Serv. ad Ge. 1, 9 et Schol. Stat. l. c. habent nutricem. M. sic: Lactantem nutricem existimo dixisse Hyginum, quia et assa nutrix est, quae lac non praestat infantibus, sed solum diligentiam adhibet, ut loquitur Schol. Iuven. sat. 14, 208. —

Digitized by Google

libens nutricem filio suo recepit. Ceres cum vellet alumnum suum immortalem reddere, interdiu lacte divino alebat, [noctu] clam in igne obruebat. Itaque praeterquam solebant mortales, crescebat. Id sic fieri cum mirarentur parentes, eam observaverunt. Cum Ceres eum vellet in ignem mittere, pater expavit. Illa irata Eleusinum exanimavit; at Triptolemo, alumno suo, aeternum beneficium tribuit. Nam fruges propagati* currum draconibus iunctum tradidit; quibus vehens orbem terrarum frugibus obsevit. Postquam domum rediit, Celeus eum pro benefacto interfici iussit; sed re cognita, iussu Cereris Triptolemo regnum dedit. Quod ex patris nomine Eleusinum nominavit, Cererique sacra instituit, quae Thesmophoria Graece dicuntur.

CXLVIII. Vulcanus.

Vulcanus cum resciit, Venerem cum Marte clam concumbere, et se virtuti eius obsistere non posse, catenam ex adamante fecit, et circum lectum posuit, ut Martem astutia deciperet. Ille cum ad constitutum venisset, concidit cum Venere in plagas, adeo ut se exsolvere non posset. Id Sol cum Vulcano nuntiasset, ille eos nudos cubantes vidit, deos omnes

---

2. noctu om. 4. et sic. 10. Peleus. 12. nominavit, fierique sacrum. 17. astucia. 19. exolvere.

---

2. interdiu] M. vult interdiu eum, ex Serv. ad Ge. 1, 19. Quod probandum videtur. — noctu] Hoc M. addidit ex Serv. et Schol. Stat. l. c. Idem voluerat Sch. — 3. clam etc.] Schol. Stat. l. c. clam igne eum obruebat; Serv. ad Ge. 1, 19 clam in ignem obruebat.' Prius praefero; cf. Ov. Fast. 4, 553 sq. — 4. Id sic] vulg. Et sic. Emendavi ex Serv. ad Ge. 1, 19. — mirarentur p.] Olim sic distinguebatur: mirarentur, parentes etc. M. correxit. Serv. ad Ge. 1, 19 haec profert: Id sic fieri cum pater admiraretur; Schol. Stat. l. c. 'Cum hoc pater miraretur.' — 6. expavit] Apud Serv. ad Ge. 1, 19; Schol. Stat. et Myth. Vat. II, l. c. exclamavit. Quod rectius esse putat M. — 8. propagati] B. ex Ms. legendum putat propaganti; Sch. praeter alia coni. propagare, pro ut propagaret. Quod nec Munckero displicuit. Sed verior lectio, ni fallor, haec est: Nam fruges ei propagandas et currum etc.; cf. Schol. Stat. l. c. et Myth. Vat. II, 97. Idem coni. Bode ad Myth. Vat. II, l. c. Serv. ad Ge. 1, 19 sic: Nam ad fruges portandas (leg. propagandas) currum draconibus iunxit, deditque ei. — quibus vehens] Malim scribere quibus ille vehens. Myth. Vat. II, 97; Serv. et Schol. Stat. l. c. sic: Quibus ille vectus. Sed Hyginianum, ut M. ait, elegantius est. — 10. Celeus] Sic corr. M. Idem voluit Sch. Cf. Apollod. et Ov. Fast. l. c.; Serv. ad Ge. 1, 163; Paus. 1, 14. Male scribitur Cephalus apud Serv. ad Ge. 1, 19; Cepheus apud Schol. Stat. l.; item Teleus apud eundem ad Th. 7, 407. Secundum quosdam auctores Celeus fuit nomen pueri, quem Ceres nutrivit. — 12. Eleusinum] Serv. ad Ge. 1, 19 et Schol. Stat. l. c. Mic. coni. Eleusim; M. Eleusinam; Sch. Eleusinum, vel Eleusinium legendum putat. Si mutanda videtur lectio, malim Eleusina. Eleusis urbs commemoratur infr. cp. 275. — Cererique sacra] Sic correxi ex Serv. ad Ge. 1, 19; Schol. Stat. l. c.; Myth. Vat. II, 97. Idem voluit M. — 13. Thesmophoria] Serv. ad Ge. 1, 19 et Myth. Vat. II, 99 Θεσμοφόρια. — Cap. CXLVIII. Hom. Od. 8, 266 sqq.; Ov. Met. 4, 167 sqq. et Art. am. 2, 561 sqq.; Serv. ad Aen. 6, 14; Schol. Stat. Ach. 1, 192; Myth. Vat. I, 43; II, 121. — 18. ad constitutum] Sic Varro R. R. 2, 5. — 20. ille] Sch. coni. et ille. Quod probandum videtur. — vidit] cf. cp. 27. —

Digitized by Google

convocavit. [Qui ut] viderunt, [riserunt]; Martem id ne faceret, pudor terruit. Ex eo conceptu nata est Harmonia. Cui Minerva et Vulcanus vestem sceleribus tinctam muneri dederunt; ob quam rem progenies eorum scelerata extitit. Soli autem Venus ob indicium ad progeniem eius semper fuit inimica.

CXLIX. Epaphus.

Iuppiter Epaphum, quem ex Io procreaverat, [in] Aegypto oppida communire, ibique regnare iussit. Is oppidum primum Memphim, et alia plura constituit, et ex Cassiopeia uxore procreavit filiam Libyen, a qua terra est appellata.

CL. Titanomachia.

Postquam Iuno vidit, Epapho, ex pellice nato, tantam regni potestatem esse, curat in venatu ut Epaphus necetur, Titanosque hortatur, Iovem ut regno pellant, et Saturno restituant. Hi cum conarentur in coelum ascendere, eos Iovis cum Minerva et Apolline et Diana praecipites in Tartarum deiecit. Atlanti autem, qui dux eorum fuit, coeli fornicem super humeros imposuit; qui adhuc dicitur coelum sustinere.

CLI. Ex Typhone et Echidna nati.

Ex Typhone gigante et Echidna Gorgon, canis Cerberus triceps; draco, qui mala Hesperidum trans Oceanum servabat; Hydra, quam ad fontem Lernaeum Hercules interfecit; Draco,

---

1. convocavit,* viderunt. ex eo Martem id ni faceret. 2. Armonia. 8. in om. 10. Cassiopia. 11. Lybien. 17. precipites. 23. Lerneum.

---

1. Qui etc.] Sic scripsi ex coniectura. Simile est illud cp. 134 Qui ut viderunt, in mare se praecipitaverunt. Ov. Met. 4, 188 Superi risere etc. In B. Ms. sic: deos omnes convocavit, dii riserunt. Sch. coni. convocavit, ii riserunt. — Martem] vulg. Ex eo Martem. Emendavi ex coniectura. Illa 'Ex eo' ex sqq. male huc immissa sunt. In B. Ms. 'ex illo Martem ne idem faceret pudor terruit.' — 2. Harmonia] Sic corr. M.; cf. p. 30, 16 et cp. 6. — 4. eorum] i. e. Harmoniae, et cui nupta fuit, Cadmi; cf. Myth. Vat. I, 151; II. 78. — 5. Soli etc.] Plura de hac re ap. Serv. ad Aen. 1, 14; 6, 14 et ad Ecl. 6, 47; Schol. Stat. Ach. 1, 192; Myth. Vat. I, 143; II, 121. — Cap. CXLIX. Apollod. 2, 1, 4; Schol. Stat. Th. 4, 737; Myth. Vat. II, 75; Isid. Orig. 14, 5, 1. — 8. in Aeg.] Sic correxi ex Myth. Vat. II, l. c. Idem restituendum puto ap. Schol. Stat. l. c. — 10. Memphim] cf. cp. 275. — Cassiopeia] Ita fere omnes; sed in A. est Cassiopia. De nominis scriptura dixi ad cp. 64. — 11. Libyen] Sic corr. C. Schol. Stat. l. c. sic: filiam Libyen, quae postea in Africa regnum possedit. Cuius nomine terra Libyes (leg. Libye) est appellata'. Eadem fere in Myth. Vat. II, l. c. — Cap. CL. Schol. Stat. Th. 2, 4; Myth. Vat. I, 11; II, 53. — 14. curat] Olim sic distinguebatur: curat in venatu, ut etc. M. corr. — Titanosque] Similiter cp. 167 a Titanis, pro a Titanibus. Sic Plautus in nonnullis locis, et Ennius ap. Lact. Firm. 1, 14. Apud Hyginum tamen aliis locis Titanes, non Titani dicuntur; cf. p. 27, 2 et cp. 155. — Cap. CLI, cf. p. 31, 10 sqq. — 21. Gorgon] Hoc nomen in suspicione mihi est, ut iam supra dixi ad p. 29, 8 et 31, 10. — 23. Lernaeum] Sic corr. M. —

Digitized by Google

qui pellem arietis Colchis servabat; Scylla, quae superiorem partem mulieris, inferiorem canis, et canes sex ex se natos habebat; Sphinx, quae in Boeotia fuit; Chimaera in Lycia, quae priorem partem leonis figuram, posteriorem draconis habebat, media ipsa Chimaera.

Ex Medusa, Gorgonis filia, et Neptuno nati sunt Chrysaor et equus Pegasus; ex Chrysaore et Callirhoe Geryon trimembris.

CLII. Typhon.

Tartarus ex Terra procreavit Typhonem immani magnitudine, specieque portentosa; cui centum capita draconum ex humeris enata erant. Hic Iovem provocavit, si vellet, secum de regno certaret. Iovis fulmine ardenti pectus eius percussit. Qui cum flagraret, montem Aetnam, qui est in Sicilia, super eum imposuit; qui ex eo adhuc ardere dicitur.

Phaethon, Solis et Clymenes filius, cum clam patris currum conscendisset, et altius a terra esset elatus, prae timore decidit in flumen Eridanum. Hunc Iuppiter cum fulmine percussisset, omnia ardere coeperunt. Iovis, ut omne genus mortalium cum causa interficeret, simulavit se id velle extinguere; amnes undique irrigavit, omneque genus mortalium interiit, praeter Pyrrham et Deucalionem. At sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant, in arbores populos commutatae sunt.

CLIII. Deucalion et Pyrrha.

Cataclysmus, quod nos diluvium vel irrigationem dicimus, cum

---

1. Colchos. 3. Chimera. 5. Chimera. 7. Gerion. 10. ex tartara. 11. spetiaeque. 13. certare. 14. Cui cum. — Etnam. 22. Phaëtontis.

---

1. Colchis] Sic corr. M. ex p. 31, 10. — superiorem etc.] Eadem fere p. 31, 11; alia contra cp. 125. — 3. Chimaera] Sic corr. C., h. l. et in sqq. — 4. priorem etc.] cf. cp. 57. — 6. Gorgonis] De hoc paulo antea dixi. — Cap. CLII. Apollod. 1, 6, 3; Anton. Lib. 28; Schol. Aesch. Prom. 331; Schol. Ar. Nub. 335; Schol. Stat. Th. 2, 595. — 10. ex terra] Sic corr. C., monente Mic. — 12. si] Schol. Stat. l. c. ut, si vellet etc. — 13. certaret] Sic correxi ex Schol. Stat. l. c. — 14. Qui cum] Sic correxi ex Schol. Stat. l. c. Idem voluit M. — Aetnam] Apollod. l. c. Alia narrat Verg. Aen. 3, 578; 9, 716. — qui etc.] Talia additamenta et aliis locis in hoc libro reperiuntur; cf. cp. 153. — 15. super etc.] Sic cp. 150 coeli fornicem super humeros imposuit. Schol. Stat. l. c. Aetnam ei superimposuit. — 16. Phaethon etc.] Incipit fabula de Phaethonte; de qua Ov. Met. 1, 750; Hyg. infr. cp. 154; Serv. ad Aen. 10, 189; Hyg. Astr. 2, 42; Schol. Germ. p. 83 Buhle. — Clymenes] i. e. Oceani filiae; cf. p. 29, 10. — 19. Iovis] pro Iuppiter. — 20. cum causa] i. e. sub praetextu vel obtentu aliquo, ut ait M. — 23. arbores populos] Ap. Rh. 4, 604; Serv. ad Aen. 10, 189; Isid. Orig. 16, 9. — Cap. CLIII. Apollod. 1, 7, 2; Schol. Hom. Il. 1, 126; Schol. Pind. Ol. 9, v. 64, 68 et 70; Ov. Met. 1, 253; Lact. arg. 1, 7; Serv. ad Ecl. 6, 41; Schol. Germ. p. 68 Buhle; Myth. Vat. I, 189; II, 73. — 26. Cataclysmus etc.] M. voluit factus pro factum. Addit tamen haecce: nisi cataclysmum neutro genere scripsit, ut thesaurum, Peloponesum, et alia id genus inveni apud nonnullos deterioris aetatis scriptores'. Mihi secus videtur. Ni fallor, olim haec fabula inscripta erat Cataclysmus. Quare sic legendum arbitror: Cataclysmus. Quod nos etc. —

Digitized by Google

factum est, omne genus humanum interiit, praeter Deucalionem et Pyrrham, qui in montem Aetnam, qui altissimus in Sicilia esse dicitur, fugerunt. Hi propter solitudinem cum vivere non possent, petierunt ab Iove, ut aut homines daret, aut eos pari calamitate afficeret. Tum Iovis iussit eos lapides post se iactare; quos Deucalion iactavit, viros esse iussit, quos Pyrrha, mulieres. Ob eam rem λαὸς dictus; λᾶας enim Graece lapis dicitur.

CLIV. Phaethon Hesiodi.

Phaethon Clymeni Solis filii et Meropes Nymphae filius, quam Oceanitidem accepimus, cum indicio patris avum Solem cognovisset, impetratis curribus male usus est. Nam cum esset propius terram vectus, vicino igni omnia conflagrarunt; et fulmine ictus in flumen Padum cecidit. Hic amnis a Graecis Eridanus dicitur, quem Pherecydes primus vocavit. Indi autem, quod calore vicini ignis sanguis in atrum colorem versus est, nigri sunt facti. Sorores autem Phaethontis, dum interitum deflent fratris, in arbores sunt populos versae. Harum lacrimae, ut Hesiodus indicat, in electrum sunt duratae. Heliades tamen nominantur. Sunt autem Merope, Helie, Aegle, Lampetie, Phoebe, Aetherie, Dioxippe. Cycnus autem, rex Liguriae, qui fuit Phaethonti propinquus, dum deflet propinquum, in cycnum conversus est. Is quoque moriens flebile canit.

---

2. alissimus. 7. Laos dictus, Laos enim. 9. sq. Phaëton. 11. iudicio. 19. lachrymae. — Electrum. 21. Aeglae, Lampedie, Phoebea, Etherie. — Cygnus. 23. cygnum.

---

2. Aetnam] Nigid. ap. Schol. Germ. l. c. In montem Athon Deucalionem delatum esse, tradit Serv. ad Ecl. l. c. Vulgaris autem fama olim fuit, eum in montem Parnassum cum Pyrrha uxore pervenisse. Ov. Met. 1, 317; Schol. Ap. Rh. 2, 713; Etym. M. in Παρνασσός. — altiss.]] Sic corr. C. — 4. petierunt ab Iove] Apollod. et Schol. Germ. l. c.; Tzetz. Chil. 8, 138. Ut alii tradunt, Delphos profecti, a Themide, quae tum oraculo praeerat, quaesierunt rationem genus humanum reparandi. — 5. eos] pro se. — 7. λαὸς etc.] Sic correxi; cf. Schol. Germ. l. c. Similia prodiderunt Schol. Hom. Il. 1, 10; Serv. ad Ge. 1, 63; Ov. Met. 1, 414. — Cap. CLIV. Serv. ad Aen. 10, 189; Hyg. cp. 152; Lact. arg. 2, 1 sqq; Schol. Germ. p. 83 sq. — 9. Hesiodi] Ni fallor, hoc additum est a librario quodam, qui in seqq. haecce legerat: Harum lacrimae, ut Hesiodus etc.' M. haec adiicit: In opere forte aliquo deperdito istam fabulam tradidit Hesiodus. In Theogonia, quae hodie exstat, Phaethontem Cephali et Aurorae facit filium. — 10. Clymeni etc.] Hoc alii non tradunt. Ut supra ait Hyginus p. 31, 7 et cp. 152, Phaethon natus erat ex Sole et Clymene, Oceani filia. — 11. indicio] Sic corr. C. — patris etc.] Alii alia tradiderunt; cf. Ov. Met. 1, 750 sqq.; Serv. l. c. — 13. et fulm.] Sch. coni. at fulm. — 15. quem etc.] Schol. Germ. l. c. sic: Ab Arato et Pherecyde Eridanus Padus esse putatur. M. coni. quem Ph. Padum vocavit, vel, quem Ph. Padum putavit, vel, quem Ph. primus Padum vocavit. — 19. Harum etc.] Lact. arg. 2, 2 Lacrymae earum, ut Hesiodus et Euripides indicant, in electrum sunt conversae. — lacrimae] vulg. lachrymae. — 21. Aegle, Lampetie] Sic corr. C. — Phoebe, Aetherie] Sic corr. M. — Cycnus] vulg. Cygnus. —

Digitized by Google

CLV. Iovis filii.

Liber ex Proserpina, quem Titanes carpserunt; Hercules ex Alcumena; Liber ex Semele Cadmi et Harmoniae; Castor et Pollux ex Leda, Thestii filia; Argus ex Nioba, Phoronei filia; Epaphus ex Io, Inachi filia; Perseus ex Danae, Acrisii filia; Zethus et Amphion ex Antiopa, Nyctei filia; Minos, Sarpedon et Rhadamanthus ex Europa, Agenoris filia; Hellen ex Pyrrha, Epimethei filia; Ethalion ex Protogenie, Deucalionis filia; Dardanus ex Electra, Atlantis filia; Lacedaemon ex Taygete, Atlantis filia; Tantalus ex Plutone, Himantis filia; Aeacus ex Aegina, Asopi filia; Aegipan ex capra Boëtis; Arcas ex Callisto, Lycaonis filia; Aëthlius ex Protogenia, Deucalionis filia; Pirithous ex Dia, Deionei filia.

CLVI. Solis filii.

Ex Perseide, Oceani filia, Circe, Pasiphae [Aeeta, Perses]. Ex Clymene, Oceani filia, Phaethon [et Phaethontides, id est Merope, Helie] Lampetie, Aegle, Phoebe [Aetherie, Dioxippe].

CLVII. Neptuni filii.

Boeotus et Aeolus ex Melanippa, Aeoli filia; Agenor et Bellerophon ex Eurynome, Nysi filia; Leuconoe ex Themisto, Hy-

---

3. Hermoniae. 6. ex Amphio et Antiopa Nictei. 7. Rhadamantus. — Helena. 8. Pyrrhe Pimethei. 10. Thaygete. 11. Egina. — Aegippam. 12. Arcada. — Calisto Licaonis. — Etolus. 13. Oenei. 15. Solis filii. Circe ex Perside Oceani filia, Pasiphae ex Clymene Oceani filia, Phaëton, Lampetie, Aegle, Phoebe. 21. Booetus et Hellen ex Antiopa Aeoli filia. 22. Themistho Hipsei.

Cap. CLV, 2. carpserunt] i. e. discerpserunt, distraxerunt. Cf. cp. 167. — 3. Harmoniae] Sic corr. M. — 6. et Amphion ex] Sic corr. C. — Nyctei] Sic corr. M. — 7. Rhadamanthus] vulg. Rhadamantus. — Hellen] Sic correxi ex Apollod. 1, 7, 2. — 8. Pyrrha] Sic M. — Epimethei] Sic correxi. M. et St. Epimeti. — Ethalion] Puto legendum Aëthlius ex Protogenia etc., ex Apollod. 1, 7, 2; Paus. 5, 1, 3. Atque ita quoque in seqq. legendum videtur. — 10. Plutone etc.] Fortasse legendum Plutone Nympha, Oceani filia. — 11. Aegipan] Sic corr. M. — 12. Boëtis] Sic A; vulg. Boetis. Utrumque corruptum est. Secundum Euhemerum ap. Hyg. Astr. 2, 13 Aega quaedam Panos uxor fuisse dicitur. Quae ab Iove compressa, peperit puerum, qui Aegipan appellatus est. — Arcas] Sic correxi ex cp. 176. 224 et 275. — Callisto] Sic corr. M. — Lycaonis] Sic corr. C. — Aëthlius] Sic correxi. Idem iam Mic. voluerat. Sciendum, eadem haec paulo antea legi; quod negligentia librariorum factum puto. — 13. Deionei] Sic correxi ex Schol. Hom. Il. 1, 268. M. et St. ediderunt Eionei. — Cap. CLVI. Totum hoc caput emendavi et restitui ex p. 31, 6 sqq. et cp. 154. — 16. Perseide] Sic corr. M. — 21. Boeotus etc.] Sic correxi ex Hyg. cp. 186 et 252. Idem voluit M. — Agenor etc.] Secundum Apollod. 3, 1, 1 ex Neptuno et Libye, Epaphi filia, nati sunt Agenor et Belus. — 22. Eurynome] Eurymede, uxor Glauci, est mater Bellerophontis ap. Apollod. 1, 9, 3. — Leuconoe] De veritate lectionis dubito. Leucon est filius Athamantis et Themistus, Hypsei filiae, ap. Apollod. 1, 9, 2; Paus. 6, 21, 11 aliosque. Fortasse idem a nonnullis Neptuni filius dictus erat. — Themisto] Sic corr. C. — Hypsei] Sic corr. M. —

Digitized by Google

psei filia; Hyrieus ex Alcyone, Atlantis filia; Abas ex Arethusa, Herilei filia; Epopeus ex Alcyone, Atlantis filia; Belus, Actor, Dictys ex Agamede, Augiae filia; Euadne ex Lena, Leucippi filia; Megareus ex Oenope, Epopei filia; Cycnus ex Calyce, Hecatonis filia; Periclymenus et Ancaeus ex Astypalaea, Phoenicis filia; Neleus et Pelias ex Tyro, Salmonei filia; Euphemus et Lycus et Nycteus ex Celaeno, Ergei filia; Peleus, Arprites, Ancaeus; Eumolpus ex Chiona, Aquilonis filia; Amymone item * Cyclops Euphemus; Metus ex Melite, Busiris filia.

CLVIII. Vulcani filii.

Palaemon, Cecrops, Erichthonius, Corynetes, Cercyon, Philoctus, Pinther.

CLIX. Martis filii.

Oenomaus ex Asterope, Harmonia ex Venere, Leodo ex Ce *

1. Rias ex Alcyone. 2. Aretusa. — Ephoceus. 3. Dyctis. — Augei. 4. Cygnus. 5. Euriclimenus. — Autheus. 6. Astyphile. 7. Nyctaeus. — Caeleno. 8. Moepus ex Chiona. 9. Amoemone. 12. Phillamnon. — Erichtonius. — Cercion.

1. Hyrieus] Sic correxi ex Eratosth. cp. 23; Hyg. Astr. 2, 21. Idem iam H. voluerat. — 2. Herilei] M. coni. Hesperi, vel Nerei. — Epopeus] Sic correxi ex Apollod. 1, 7, 4. Ex eodem l. c. et 3, 10, 1 haec potius exspectares: Epopeus ex Canace, Aeoli filia; Hyperenor ex Alcyone, Atlantis filia. — 3. Belus] Hic, ut iam antea dixi, secundum Apollodorum fuit filius Neptuni et Libyes. — Actor] Secundum Schol. Hom. Il. 1, 749 Neptuni ex Molione filius fuit. — Dictys] Sic corr. C. Alii eius inter filios Neptuni non meminerunt. — Augiae] Sic correxi ex Hom. Il. 11, 740. — Euadne etc.] M. coni. Euadne ex Pitana, Leucippi filia.' Mihi haec in mentem venerant: Euadne ex Pitane, Eurotae fluminis filia; Peratus ex Calchinia, Leucippi filia; cf. Pind. Ol. 6, 30 ibique Schol.; Paus. 2, 5, 5. — 4. Oenope] Lectio corrupta esse videtur. — Cycnus] Sic correxi h. l. et alibi. Eiusdem Cycni meminit Hyg. cp. 273. Alius Cycnus fuit Martis filius; de quo cp. 31, 159 et 273. — 5. Hecatonis] H. coni. Hecataeonis. — Periclymenus] Sic correxi ex Eur. Phoen. 1157; Apollod. 3, 6, 8. St. edidit Periclimenus. — Ancaeus ex Astypalaea] Sic corr. St.; cf. Hyg. p. 42, 18. — 7. Euphemus] Ex p. 42, 16 haecce exspectares: Euphemus ex Europa, Tityi filia. — Lycus etc.] cf. Hyg. Astr. 2, 21. — Nycteus] Sic corr. St. — Celaeno] Sic corr. C. — 8. Ergei] Hoc nomen corruptum est. Fortasse olim sic legebatur: Euphemus ex Europa, Tityi filia; Lycus et Nycteus ex Celaeno, Atlantis filia; Erginus etc. Ergini meminit Hyginus etiam supra p. 42, 20. — Arprites] Hoc nomen corruptum est. — Ancaeus] M. coni. Antaeus ex Apollod. 2, 5, 11. Ancaeus paulo antea commemoratur. — Eumolpus] Sic correxi, monente M. — 9. Amymone] Sic correxit M. Melius tamen sic legeretur: Nauplius ex Amymone, Danai filia; cf. p. 41, 17 et cp. 169. — Euphemus] Fortasse legendum Polyphemus; cf. Hom. Od. 1, 70. — Metus etc.] H. coni. Amycus ex Melie. Ego sic malim scribere: Amycus ex Melie, Oceani filia; cf. cp. 17. — 10. Busiris] Ex Apollod. 2, 5, 11 coniicere possis sic esse legendum: Busiris ex Lysianassa, Epaphi filia. — Cap. CLVIII, v. 12. Palaemon] vulg. Philammon. Emendavi ex Apollod. 1, 9, 16. Idem voluit M. — Cecrops] Hic ab aliis inter filios Vulcani non commemoratur. — Cercyon] Sic corr. M. — Philoctus, Pinther] Haec nomina corrupta sunt. — Cap. CLIX, v. 15. Asterope] Malim sic scribere: Sterope, Atlantis filia. Sic Arat. Phaen. 263; Eratosth. cp. 23; Hyg. cp. 192. Nonnulla de hac re iam supra dixi ad cp. 84. — Leodo] Sic A. Nonnulli scribunt Leodoce; alii Leo-

Digitized by Google

Lycus, Diomedes Thrax, Ascalaphus, Ialmenus, Cycnus, Dryas.

CLX. Mercurii filii.

Priapus, Echion, Antian, Eurytus, Cephalus ex Creusa Erechthei filia, Eurestus, Aptale, Libys ex Libye Palamedis filia.

CLXI. Apollinis filii.

Delphus, Asclepius ex Coronide Phlegyae filia, Euripides ex Cleobula, Ilius ex Urea Neptuni filia, Argeus ex Euboea Macarei filia, Philammon ex Leuconoe Luciferi filia, Lycoreus ex Nympha, Linus ex Urania Musa, Aristaeus ex Cyrene Penei filia.

CLXII. Herculis filii.

Hyllus ex Deianira, Tlepolemus ex Astyoche, Leucites, Telephus ex Auge Alei filia, Leucippus, Therimachus, Creontiades, Archelous, Ophites, Deucalion, Euhenus, Lydus et

---

4. Echo. — Erictei. 5. Lybys ex Lybie. 7. Phlegiae. — Eurypides. 8. Eubea. 10. Aristeus. 13. Hillus. 14. Theromachus. — Leontiades. 15. Lidus.

---

dice. M. coni. Laodice. — 1. Lycus] Hunc aliunde non novi. — Ascalaphus, Ialm.] Hi fuerunt Martis et Astyoches filii; cf. cp. 97. — Cap. CLX, v. 4. Priapus] Secundum Paus. 9, 31, 2; Schol. Ap. Rh. 1, 932 filius Liberi et Veneris fuit; secundum alios Adonidis et Veneris. — Echion] Sic correxi. Burm. (in cat. Argon.) vult: Echion ex Antianira, et Eurytus. Melius tamen sic legeretur: Eurytus et Echion ex Antianira, Meneti filia; cf. p. 39, 11. — Cephalus] cf. cp. 241. — ex Creusa] Secundum Apollod. 3, 14, 3 ex Herse, Cecropis filia. — Erechthei] Sic corr. M. — 5. Eurestus] Hoc nomen corruptum est. — Aptale] M. coni. Prylis. Puto legendum Aethalides, vel potius Aethalides ex Eupolemia, Myrmidonis filia; cf. p. 39, 14. — Libys etc.] Sic corr. C. — Libye etc.] M. coni. Libye, Epaphi filia. — Cap. CLXI, v. 7. Phlegyae] Sic corr. C. — Eurip.] Sic corr. C. Alii Euripidis inter filios Apollinis non meminerunt. — 8. Ilius etc.] M. coni. Eleuther ex Aethusa; H. Phyllus ex Hyria. Puto legendum Miletus ex Area, ex Apollod. 3, 1, 2, apud quem Area Cleochi filia est. — Argeus] Hoc nomen corruptum est. — Euboea] Sic corr. C. — ex Leuconoe] Alia legimus cp. 200. M. haec addit: Repono, etsi timide, Leucothoë ex cp. 14 et Ov. Met. 4, 196, quanquam ibi patrem eius non Luciferum, sed Orchamum facit. — Lycoreus] Schol. Ap. Rh. 2, 713; Etym. M. v. *Λυκώρεια*. Lycorus est ap. Paus. 10, 6, 3. — 10. nympha] Fortasse legendum n. Corycia; cf. Schol. Ap. Rh. et Etym. M. l. c. — Linus etc.] Idem in fragm. Dosith. Secundum Apollod. 1, 3, 2 Apollinis et Calliopes filius fuit. — Aristaeus] Sic corr. M. — Cap. CLXII. Apollod. 2, 7, 7 sq. — 13. Hyllus] Sic corr. M. — Leucites] M. coni. Lysippus. — 14. Therimachus] Sic corr. M., h. l. et alibi. — Creontiades] Sic corr. M; cf. Apollod. 2, 4, 11. Leontiades male scribitur etiam ap. Schol. Stat. 4, 570. — 15. Archelous] Sch. coni. Agelaus; de quo Apollod. 2, 7, 8. — Ophites] cf. cp. 31. Sch. coni. Onites. Quod probandum videtur ex Apollod. 2, 7, 8. — Deucalion] Sch. coni. Deicoon; de quo Apollod. 2, 4, 11; Paus. 2, 7, 9. — Euhenus] cf. cp. 242. Sch. coni. Eueres ex Apollod. 2, 7, 8. — Lydus] Sic corr. M. Sed alii neque Lidum neque Lydum inter filios Herculis commemorant. Secundum Apollod. 2, 7, 8 Lynceus fuit Herculis filius ex una Thespiadum. —

Digitized by Google

duodecim Thespiades, quos ex Thespii regis filiabus procreavit.

CLXIII. Amazones.

Ocyale, Dioxippe, Iphinome, Xanthe, Hippothoe, Otrere, Antiope, Laomache, Glauce, Agaue, Theseis, Hippolyte, Clymene, Polydora, Penthesilea.

CLXIV. Athenae.

Inter Neptunum et Minervam cum esset certatio, qui primus oppidum in terra Attica conderet, Iovem iudicem sumpserunt. Minerva quod primum in ea terra oleam sevit, quae adhuc dicitur stare, secundum eam iudicatum est. At Neptunus iratus, in eam terram mare coepit irrigare velle; quod Mercurius Iovis iussu id ne faceret prohibuit. Itaque Minerva ex suo nomine oppidum Athenas condidit, quod oppidum in terris dicitur primum esse constitutum.

Orpheus Eurydicen Nympham amavit, quam sono citharae mulcens uxorem duxit. Hanc Aristaeus pastor dum amans sequitur, illa fugiens in serpentem incidit, et mortua est. Postque maritus ad inferos descendit, et legem accepit, ne eam conversus aspiceret; quam conversus aspiciens, iterum perdidit.

Myrrha cum patrem suum amaret, inebriavit, et sic cum eo concubuit. Quod pater resciens, utero plenam coepit evaginato persequi gladio. Illa in arborem myrrham est conversa; quam pater gladio feriens, Adonis exinde natus est, quem Venus diligens * * *

---

4. Othrepte — Antioche. 16. Eurydicem. — cytharae. 17. Aristeus.

---

1. duodecim etc.] Alii alia tradiderunt; cf. Apollod. l. c. — Cap. CLXIII. Schol. Hom. Il. 3, 189. — 4 Iphinome] Fortasse legendum Iphinoe; quod est nomen mulierum satis usitatum. — Otrere] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. Otrera est cp. 30 et aliis locis. — Antiope] Sic correxi. Idem iam Sch. voluerat. Antiopa est cp. 30 et 241. — Cap. CLXIV. Apollod. 3, 14, 1; Paus. 1, 26; Serv. ad Ge. 1, 12; Schol. Stat. Th. 7, 185; 12, 630; Myth. Vat. I, 2; II, 119. — 9. in terra A.] De hoc dicendi genere dixi in Prolegom. — 10. quae etc.] Paus. 1, 27. — 11. stare] M. mavult exstare. — 12. irrigare velle] i. e. inundare, ut ait M. Sic cp. 153 irrigatio pro cataclysmo. — quod] Abundat h. l. et alibi. — 16. Orpheus etc.] Incipit fabula de Orpheo et Eurydice. Ov. Met. 10, 1 sqq.; Schol. Stat. Th. 8, 59; Myth. Vat. I, 76; II, 44; III, 8, 20; Fulg. Myth. 3, 10. Quae apud Hyginum narrantur, iisdem fere verbis leguntur in Myth. Vat. III et Fulg. l. c. Nec sine causa censet Munkerus, haec ab inepto aliquo interpolatore ex Fulgentio assuta esse Hygino. Ceterum Hyginum olim de hac re scripsisse, patet ex inscriptione cap. 216. — Eurydicen] Sic corr. M — 17. Aristaeus] Sic corr. M. h. l. et cp. 161. — pastor] Rex est ap. Hyg. Astr. 2, 4. — 19. postque] M. vult postquam, ex Fulg. l. c. — 22. Myrrha etc.] Incipit fabula de Myrrha sive Smyrna; de qua Serv. ad Ecl. 10, 18; Fulg. Myth. 3, 8; Myth. Vat. I, 200; II, 34; Hyg. cp. 58. Quae autem h. l. narrantur, a librario huc immissa mihi videntur. — 25. quam etc.] Fulg. l. c. quam arborem pater gladio percutiens, Adon exinde natus est. —

Digitized by Google

CLXV. Marsyas.

Minerva tibias dicitur prima ex osse cervino fecisse, et ad epulum deorum cantatum venisse. Iuno et Venus cum eam irriderent, quod et caesia erat, et buccas inflaret, foeda visa et in cantu irrisa, in Idam silvam ad fontem venit; ibique cantans in aqua se aspexit, et vidit se merito irrisam. Unde tibias ibi abiecit, et imprecata est, ut quisquis eas sustulisset, gravi afficeretur supplicio. Quas Marsyas, Oeagri filius, pastor, unus ex Satyris invenit; quibus assidue commeletando, sonum suaviorem indies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharae cantum in certamen provocaret. Quo ut Apollo venit, Musas iudices sumpserunt. Et cum iam Marsyas inde victor discederet, Apollo citharam versabat, idemque sonus erat; quod Marsya tibiis facere non potuit. Itaque Apollo victum Marsyan ad arborem religatum Scythae tradidit, qui eum membratim separavit. Reliquum corpus discipulo Olympo sepulturae tradidit, e cuius sanguine flumen Marsyas est appellatum.

CLXVI. Erichthonius.

Vulcanus Iovi ceterisque diis solia aurea ex adamante cum fe-

---

4. Caesia. 5. sylvam. 9. unus ex * turis. 11. cytharae. 13. cytharam. 15. scythae. 17. Marsyan. 20. caeterisque. — soleas aureas.

Cap. CLXV. Herod. 7, 26; Apollod. 1, 4, 2; Ov. Met. 6, 382 sqq; Fast. 6, 696 sqq. et 551; Lact. arg. 6, 5; Fulg. Myth. 3, 9; Myth. Vat. I, 125; II, 115; Palaephat. cp. 48. — 4. erat] Ex sqq. exspectares esset. — 8. Oeagri] De veritate lectionis dubito. Ut aiunt Plut. de mus. 5, Tzetz. Chil. 1, 15 aliique complures, Marsyae pater Hyagnis fuit. Apollodorus et Palaeph. l. c. eum Olympi filium appellant. Sed Olympus secundum Hyg. cp. 273 aliosque Marsyae discipulus fuit. Plura de hac re affert Burm. ad Ov. Met. 6, 400. — 9. ex Satyris] Sic correxi. Mic. i. m. ex Saturis. Satyrus appellatur Marsyas ab Ov. Met. 6, 383 et Fast. 6, 703. — commeletando] i. e. meditando. Praeter Hyginum hac voce nemo usus est. — 13. citharam versabat] Apollod. l. c. *τὴν κιθάραν στρέψας ἠγωνίζετο ὁ Ἀπόλλων.* Myth. Vat. II. l. c. invertit citharam, et canere coepit. Salmas. ad Solin. p. 119 Hygini verba sic accipienda putat: ad aliud, inquit, modulationis genus citharam accommodabat. Plura de hac re dixit Heyne ad Apollod. l. c. — 14. Marsya] Sic Myth. Vat. II., l. c. — 15. Scythae] Sch. haec addit: Scytharum olim proprium et singulare habitum hoc artificium excoriandi. Gronov. ad Sen. de Ira 2, 5. — qui etc.] Sch. coni. 'qui cutem ei membratim separavit.' Marsyae ab Apolline cutem detractam esse, Apollodorus, Ovidius aliique prodiderunt. — 16. membratim] Membratim laniare dicit Hyg. cp. 184. — 17. Olympo] cf. cp. 273; Ov. Met. 6, 393; Ep. ex Ponto 3, 3, 42; Tzetz. Chil. 1, 15. — Marsyas] Sic corr. M. Idem Sch. voluerat. Marsya fluvius ille appellatur ab Ov. Met. 6, 400; Myth. Vat. II, l. c. — Cap. CLXVI. Apollod. 3, 14, 6; Ov. Met. 2, 551 sqq.; Hyg. Astr. 2, 13; Serv. ad Ecl. 4, 62 et ad Ge. 3, 113; Lact. arg. 2, 8; Schol. Germ. p. 53; Lactant. Firm. Inst. div. 1, 17; Fulg. Myth. 2, 14; Myth. Vat. I, 128; II, 37 et 40. — 20. ceterisq.] vulg. caeterisque. — solia aurea] Sic correxi. Festus: Solia, inquit, appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possunt sedere'. Sch. voluit solia aurea et soleas ex etc.; M. solia aurea, vel sellas aureas ex etc.; Periz. solia aurea nexa adamante, vel solia ex auro et ex adamante. — ex] M. accipiendum putat pro cum, h. l. et cp. 25 et 73. —

Digitized by Google

cisset, Iuno, cum sedisset, subito in aëre pendere coepit. Quod cum ad Vulcanum missum esset, ut matrem, quam ligaverat, solveret, iratus quod de coelo praecipitatus erat, negat se matrem ullam habere. Quem cum Liber Pater ebrium in concilio deorum adduxisset, pietati negare non potuit. Tum optionem a Iove accepit, si quid ab iis petisset, impetraret. Tunc ergo Neptunus, quod Minervae erat infestus, instigavit Vulcanum, Minervam petere in coniugium. Qua re impetrata, in thalamum cum venisset, Minerva, monitu Iovis, virginitatem suam armis defendit, interque luctandum ex semine eius, quod in terram decidit, natus est puer, qui inferiorem partem draconis habuit. Quem Erichthonium ideo nominarunt, quod ἔρις Graece certatio dicitur, χθὼν autem terra dicitur. Quem Minerva cum clam nutriret, dedit in cistula servandum Aglauro, Pandroso et Hersae, Cecropis filiabus. Hae cum cistulam aperuissent, cornix indicavit. Illae a Minerva insania obiecta, ipsae se in mare praecipitaverunt.

CLXVII. Liber.

Liber, Iovis et Proserpinae filius, a Titanis est distractus, cuius cor contritum Iovis Semelae dedit in potionem. Ex eo praegnans cum esset facta, Iuno in Beroen, nutricem Semeles, se commutavit, et ait: Alumna, pete a Iove, ut sic ad te veniat, quemadmodum ad Iunonem, ut scias quae voluptas est, cum deo concumbere. Illa autem instigata petit ab Iove, et fulmine est icta. Ex cuius utero Liberum exuit, et Nyso

---

13. eris. 14. chton. 15. Herse. 21. Semele.

---

5. concilio] Puto legendum concilium. Similia et aliis locis notavi. — 6. accepit etc.] Similia et aliis locis in hoc libro reperiuntur; atque ita quoque Lact. arg. 11, 3. Contra Fulg. Myth. l. c. Promissum accepit, ut, quicquid vellet, praesumeret. — 13. quod etc.] Eandem etymologiam proposuerunt Serv. ad Ge. 3, 113; Fulg. Myth. et Myth. Vatt. l. c. — 14. dicitur etc.] Similia sunt illa cp. 167 'unde Dionysus est appellatus, et Bimater est dictus'. Sed Hyginum non ita scripsisse arbitror. Melius h. l. sic legeretur: quod ἔρις Graece certatio, χθὼν autem terra dicitur. — 15. Aglauro etc.] cf. Heyne ad Apollod. p. 329. — 16. Hae etc.] St. haec addit: Nihil certi in historia fabulosa statui potest. Hyginus refert tres sorores aperuisse cistulam. Ovidius Met. 2, 558 dicit duas sorores Pandroson atque Hersen praecepto Minervae paruisse, sed cistulam ab Aglauro apertam fuisse; denique Paus. 1, 18 et 27 unam Pandroson sibi commissa sine fraude fuisse tuitam, sed duas eius sorores Aglauron et Hersen cistulae vincula solvisse docet. — cornix] Coronei filia, quae in cornicem mutata erat, ut ait Ov. Met. 2, 569. — 17. in mare] Secundum Hyg. Astr. l. c. et Myth. Vat. II, 37 de arce Atheniensium se praecipitaverunt. — Cap. CLXVII. Schol. Stat. Th. 1, 12; Fulg. Myth. 2, 15; Myth. Vat. I, 120; II, 29; Hyg. cp. 179. — 20. Titanis] Ex aliis locis exspectares Titanibus; de qua re iam antea dixi ad cp. 150. — 21. Iovis] pro Iuppiter. B. coni. Iovi Semele dedit etc. Sed hoc minime est probandum. — potionem] i. e. philtrum, ut ait B. — 22. in Beroen] Schol. Stat. l. c. in aniculam decoratam. — 25. est] Sch. vult sit, ex cp. 179. Hoc sane melius est. — 26. Nyso] i. e. nutricio Liberi; Hyg. cp. 131 et 179. Cuius alii auctores non meminerunt. Fuit et nutrix Liberi, Nysa nomine. Hyg. cp. 182; Serv. ad Ecl. 6, 15. —

Digitized by Google

dedit nutriendum; unde Dionysus est appellatus, et Bimater est dictus.

CLXVIII. Danaus.

Danaus, Beli filius, ex pluribus coniugibus quinquaginta filias habuit, totidemque filios frater Aegyptus. Qui Danaum fratrem et filias eius interficere voluit, ut regnum paternum solus obtineret; filiis uxores a fratre poposcit. Danaus re cognita, Minerva adiutrice, ex Africa Argos profugit. Tunc primum dicitur Minerva navem fecisse biproram, in qua Danaus profugeret. At Aegyptus ut resciit Danaum profugisse, mittit filios ad persequendum fratrem, et eis praecepit, ut aut Danaum interficerent, aut ad se non reverterentur. Qui postquam Argos venerunt, oppugnare patruum coeperunt. Danaus ut vidit, se eis obsistere non posse, pollicetur eis filias suas uxores, ut pugna absisterent. Impetratas sorores patrueles acceperunt uxores; quae patris iussu viros suos interfecerunt. Sola Hypermnestra Lynceum servavit. Ob id ceterae dicuntur apud inferos in dolium pertusum aquam ingerere. Hypermnestrae et Lynceo fanum factum est.

CLXIX. Amymone.

Amymone, Danai filia, dum studiose in silva venatur, Satyrum iaculo percussit; eam Satyrus voluit violare. Illa Neptuni fidem imploravit. Quo Neptunus cum venisset, Satyrum abegit, et ipse cum ea concubuit. Ex quo conceptu nascitur Nauplius. Id in quo loco factum est, Neptunus dicitur fuscina percussisse terram, et inde aquam profluxisse; qui Lernaeus fons dictus est, et Amymonium flumen.

Amymone, Danai filia, missa est a patre aquam petitum ad sa-

---

17. Hypermestra. 19. Hypermestrae. 20. sq. Amimone. 21. sylva. 26. Lerneus. 27. Amimonium. 28. Amimone.

---

1. et Bimater etc.] Haec mihi glossam sapere videntur. M. haec addit: Hoc vero falsum est, et scholion forte inepti glossatoris, nisi ante haec verba nonnulla de Baccho femori insuto exciderunt, ut ill. Heinsius suspicatur. Vid. Diodor. lib. 3, p. 198 ubi omnia haec accuratius referuntur, ut et initio lib. 4. Adde notas nostras ad Fulgent. 2, 15; Etymol. in *Διόνυσος* et *Διώνυσος*, ut et in *διθύραμβος;* Isidor. Orig. 8, 2.' Schol. Stat. Th. 7, 166 sic: unde Liber Bimater appellatus est, quod duas veluti matres habuit. — Cap. CLXVIII. Apollod. 3, 1, 4 sq.; Schol. Eur. Hec. 869 et Or. 859 sq.; Schol. Hom. Il. 1, 42; Serv. ad Aen. 10, 497; Schol. Stat. Th. 1, 324; 6, 291; Schol. German. p. 81 sq.; Myth. Vat. I, 134. — 7. filiis] M. coni. et filiis. Wasseus ex Schol. Germ. l. c. legendum putat: easque filiis suis uxores a fratre poposcit. — 8. Tunc etc.] cf. cp. 277. — 17. Hypermnestra] Sic ubique scripsi. St. scripsit h. l. et cp. 170 Hypermnestra, aliis locis Hypermestra. — Cap. CLXIX. Apollod. 2, 1, 4; Schol. Stat. Th. 2, 433; Myth. Vat. I, 45; II, 200. — 20. Amymone] Sic corr. C. — 21. silva] vulg. sylva. — 24. conceptu] Sic et supra cp. 148. — 26. et inde etc.] Lectio corrupta esse videtur. — 28. Amymone etc.] Haec fabula in nonnullis a praecedenti recedit, ita ut ex aliis auctoribus composita esse videatur. —

Digitized by Google

crum faciendum. Quae dum quaerit, lassitudine obdormiit; quam Satyrus violare voluit. Illa Neptuni fidem imploravit. Quod cum Neptunus fuscinam in Satyrum misisset, illa se in petram fixit. Satyrum Neptunus fugavit. Qui cum quaereret in solitudine a puella, illa se aquatum missam esse dixit a patre; quam Neptunus compressit. Pro quo beneficium ei tribuit, iussitque eius fuscinam de petra educere. Quae cum eduxisset, tres silani sunt secuti; qui ex Amymones nomine Amymonius fons appellatus est. Ex qua compressione natus est Nauplius. Hic autem fons Lernaeus est postea appellatus.

CLXX. Filiae Danai quae quos occiderunt.

Idea Antimachum, Philomela Panthium, Scylla Proteum, Phicomone Plexippum, Euippe Agenorem, Demoditas Chrysippum, Hyale Perium, Trite Enceladum, Damone Amyntorem, Hippothoe Obrimum, Myrmidone Oeneum, Eurydice Canthum, Cleo Asterium, Arcania Xanthum, Cleopatra Metalcem, Philea Philinam, Hyparete Protheonem, Chrysothemis Asteriden, Pyrante Athamantem, Armoasbus * Glaucippe Niauium, Demophile Pamphilum, Autodice Clytum, Polyxena Aegy-

---

8. eduxisset et. — Amimonis. 9. Amimonius. 10. Lerneus. 13. Proteam. 15. Amintorem, Hypothoë. 16. Myrmydone Mineum. 20. Antodice.

---

1. Quae dum] M. coni. quam dum. Sed similia et aliis locis in hoc libello reperiuntur. Statim in sqq. 'Quae cum eduxisset.' — 4. petram] Eadem voce et aliis locis utitur Hyginus; de qua re plura in Prolegg. — Qui etc.] In his verbis deesse quaedam videntur, ut iam Sch. indicavit. — 6. quo] i. e. qua re. — 8. eduxisset, tres] Sic corr. M. — silani] i. e. aquae fistulae, ut ait M. Utitur eadem voce Lucret. 6, 1264. — Cap. LCXX. Apollod. 2, 1, 5. In catalogo Hygini plura sunt omissa, plurima corrupta. Nonnulla ex Apollodoro l. c. restitui possunt. — 13. Idea] In fine huius catalogi Itea. Utrumque corruptum est. Side appellatur filia Danai a Paus. 3, 22, 11. — Panthium] Pandion Danai filius est Apollod. l. c. — Phicomone] Hoc nomen corruptum est. — 14. Plexippum] Idem nomen in sqq. repetitum est. — Euippe] Male olim in nonnullis libris Eunippe. M. corr. — Demoditas] Hoc nomen corruptum est. — 15. Hyale] Hyalos nomen viri est apud Boeckh. Inscr. 286. — Perium] Lectio corrupta est. *Πίερος* nomen virorum fuit. — Damone] Fortasse legendum Damno, quo nomine vocatur uxor Agenoris ap. Schol. Ap. Rh. 3, 1185. — 16. Myrmidone] Fortasse legendum: Obrimum, ... Myrmidonem. Myrmidon commemoratur ab Apollod. l. c. — Oeneum] Sic correxi ex Apollod. l. c. Melius autem, mea sententia, sic legeretur: Myrmidonem, ... Oeneum. — 17. Cleo] Fortasse legendum Clio. — Arcania] Hoc nomen corruptum est. — Philea Phil.] Haec corrupta sunt. — 18. Hyparete] Fortasse legendum Hipparete; quo nomine uxor Alcibiadis appellatur ap. Plut. Alc. 8. — Protheonem] Fortasse legendum Prothoonem. Prothoon appellatur unus ex Troianis ap. Hom. Il. 14, 515. — Asteriden] Hoc nomen corruptum esse videtur. Asteria Danai filia est Apollod. l. c. Quare fortasse sic legendum: Chrysothemis ...., Asteria .... — 19. Pyrante] Hoc nomen corruptum est. — Athamantem] Fortasse legendum Acamantem; quamquam nec hunc inter filios Aegypti ab aliis commemoratum inveni. — Armoasbus] Hoc nomen corruptum est. — Niauium] Lectio corrupta est. — 20. Autodice] Ita legendum arbitror. *Αὐτόδικος* nomen virorum fuit. — Clytum] Clitus inter filios Aegypti commemoratur ab Apollod. l. c. —

Digitized by Google

ptum, Hecabe Dryantem, Achamantis Echominum, Arsalte Ephialten, Mnestra Eurysthenem, Amymone Midamum, Helice Evideam, Amoeme Polyctorem, Polybe Iltonomum, Helicta Cassum, Electra Hyperantum, Eubule Demarchum, Daplidice Pugnonem, Hero Andromachum, Europome Atlitem, Pyrantis Plexippum, Critomedia Antipaphum, Pirene Dolichum, Eupheno Hyperbium, Themistagora Podasimum, Palaeno Aristonon, Itea Antiochum, Erate Eudaemonem. Hypermnestra Lynceum servavit. Qui cum Danaus perisset, primusque Abas ei nuntiasset, Lynceus circumspiciens in templo, quid ei muneri daret, casu conspexit clipeum, quem Danaus consecraverat Iunoni, quem in iuventa gesserat: refixit et donavit Abanti, ludosque consecravit, qui quinto quoque anno aguntur. Qui appellantur Ἄσπις ἐν Ἄργει. Quibus ludis cursoribus corona non datur, sed clipeus. At Danaides post patris interitum, viros duxerunt Argivos, e quibus qui nati, sunt appellati.

CLXXI. Althaea.

Cum Althaea, Thestii filia, una nocte concubuerunt Oeneus et Mars. Ex quibus cum esset natus Meleager, subito in regia apparuerunt Parcae, Clotho, Lachesis, Atropos. Cui fata ita

---

2. Ephialtem, Monuste. — Amimone. — 3. Polydectorem. 6. Pyrene. 7. Dolychum. 8. Eudemonem. 9. Hypermestra. 10. circunspiciens. 14. Aspis en Argo e quibus.

---

1. Achamantis] Hoc nomen corruptum est. — Echominum] Fortasse legendum Chthonium: cuius meminit Apollod. l. c. — Arsalte] Hoc nomen corruptum est. — 2. Ephialten] Sic correxi. — Mnestra] Sic correxi. Mnestrae meminit Apollod. l. c. — Eurysthenem] Peristhenes est filius Aegypti apud Apollod. l. c. — Midamum] Hoc nomen corruptum est. — 3. Evideam Amoeme] Item haec corrupta sunt. — Polyctorem] Sic correxi ex Apollod. l. c. — Polybe Iltonomum Helicta] Haec omnia corrupta sunt. — 4. Cassum] Fortasse legendum Cisseum ex Apollod. l. c. — Hyperantus] Ὑπεράνθης nomen virorum fuit. — 5. Daplidice] Hoc nomen corruptum est. Callidice est ap. Apollod. l. c. — Pugnonem] Lectio corrupta est. — Europome Atlitem] Haec corrupta sunt. Alcis Aegypti filius fuit secundum Apollod. l. c. — 6. Pyrantis] Plerique omnes legunt Pyranthis. In A. est Pyrantis. — Plexippum] Idem nomen iam supra legimus. — Critomedia] Hanc aliunde non novi. — Pirene] Sic correxi ex Apollod. l. c. — 7. Eupheno] Hoc nomen corruptum est. — Themistagora] Themistagoras nomen virorum apud Graecos fuit. Boeckh. Inscr. 2953. — 8. Palaeno Aristonon] Haec corrupta sunt. Celaeno est Danai filia apud Apollod. l. c. — Itea] Lectio corrupta est. Actaea Danai filia est apud Apollod. l. c. — Antiochum] Hoc corruptum esse putat St. — Erate] Fortasse legendum Erato, vel Euroto. Euroto Danai filia est Apollod. l. c. — 9. Hypermn.] vulg. Hypermestra. — Qui etc.] Similia infra cp. 273. Pro Qui cum M. coni. 'Quod cum.' Quod probandum videtur. — 11. quem etc.] M. coni. quem Danaus in iuventa gesserat, et consecraverat Iunoni. Cf. cp. 273. — 14. Ἀσπὶς etc.] Sic correxi h. l. et cp. 273. Idem iam Salm. et M. voluerant. H. coni. ἀσπίδος ἐν Ἄργει, St. ἀσπὶς ἐξ Ἄργους, quemadmodum in antiquis inscriptionibus iste agon vocari solet, ut docet Spanh. ad Callim. h. Pall. 35. — 17. sunt app.] Sch. coni. Danai sunt appellati, ex Serv. ad Aen. 2, 5. — Cap. CLXXI. Apollod. 1, 8, 2; Anton. Lib. cp. 2; Ov. Met. 8, 449 sqq.; Hyg. cp. 174. —

cecinerunt: Clotho dixit, eum generosum futurum; Lachesis fortem; Atropos titionem ardentem aspexit in foco, et ait: Tam diu hic vivet, quamdiu hic titio consumptus non fuerit. Hoc Althaea mater cum audisset, exiluit de lecto, atque titionem extinxit, et eum in regia media obruit fatalem, ne ab igni obrueretur.

CLXXII. Oeneus.

Oeneus, Parthaonis filius, Aetoliae rex, cum omnibus diis annua sacra fecisset, et Dianam praeteriisset, ea irata, aprum immani magnitudine, qui agrum Calydonium vastaret, misit. Tunc Meleager, Oenei filius, se pollicetur cum delectis Graeciae ducibus ad eum expugnandum iturum.

CLXXIII. Qui ad aprum Calydonium ierunt.

Castor et Pollux, Iovis filii; Eurytus Mercurii, parth. Echion Mercurii, Thebis; Aesculapius Apollinis; Iason Aesonis, Thebis; Alcon Martis, Thracia; Euphemus Neptuni; Iolaus Iphicli; Lynceus et Idas Apharei; Peleus Aeaci; Telamon Aeaci; Admetus Pheretis; Laertes Arcesii, Ithaca; Deuca-

2. ticionem. 3. vivit. — ticio. 8. Porthaonis. 14. Verusius Mercurii. — Parthecion Mercurii. 18. Laerta * Arcippa.

---

3. vivet] Sic correxi, monente Sch. — 6. obrueretur] Sch. coni. absumeretur; H. obureretur; M. amburereter. — Cap. CLXXII. Apollod. 1, 8, 2; Anton. Lib. cp. 2; Ov. Met. 8, 260 sqq.; Lact. arg. 8, 4; Schol. Stat. Th. 2, 481; Myth. Vat. I, 146; II, 144; Hyg. cp. 174. — 8. Parthaonis] Sic scripsit M. ex cap. 129, 175, 239. Graece *Πορθάων*, *Παρθάων* et *Πορθεύς* scribitur. Plura de hac re ap. Heins. ad Ov. Met. 8, 541; Heyne ad Apollod. 1, 7, 10. — Cap. CLXXIII. Apollod. 1, 8, 2; Ov. Met. 8, 299 sqq. — 14. Eurytus] Sic correxi. Idem voluit M. Euryti Mercurii meminerunt Apollod. 1, 9, 16; Hyg. cp. 14 et 160. Secundum Apollod. 1, 8, 2 ad aprum Calydonium profectus est Eurytion Actoris ex Phthia; secundum Ovid. l. c. Eurytus Actoris, frater Cteati, et impiger Eurytion; quem interpretes Ovidii Iri, Actoris filii, filium fuisse dicunt. — parth. Ech.] vulg. Parthecion. M. coni. Echion. Eius meminit Hyg. cp. 14. Pro parth fortasse legendum Sparta. Ex Sparta autem fuerunt Castor et Pollux. Quare fortasse sic scribendum est: Castor et Pollux, Iovis filii, ex Sparta; Eurytus Mercurii; Echion Mercurii. — 15. Thebis] Ut supra legimus cp. 14, Eurytus et Echion, Mercurii filii, fuerunt ex Alope, quae postea Ephesus dicta est. Fortasse h. l. nonnulla exciderunt. Iphicles, Amphitryonis filius, Thebanus, apri Calydonii venator appellatur ab Apollod. l. c. — Aesculapius] Hic etiam inter Argonautas commemoratur supra cp. 14. — 16. Thebis Alcon] Pro Alcon legendum puto ab Iolco, vel ex Iolco. Praeterea Dryantis nomen, quod in fine huius capitis legitur, huc reponendum censeo. Dryas Martis etiam ab Apollod. et Ovid. l. c. commemoratur. Totus igitur locus sic constituendus mihi videtur: Thebis; Iason Aesonis, ex Iolco; Dryas Martis, Thracia. — Euphemus N.] Apollod. 1, 9, 16; Hyg. cp. 14 et 157. — Iolaus I.] Ovid. v. 310 l. c.; Hyg. cp. 14. — 18. Laertes etc.] Sic scripsi ex coniectura. M. et St. scribunt Laerta Arcesii. Sed Laertes scribitur etiam infr. cp. 189. Praeterea locus, unde venerit, addendus videtur. — Deucalion] cf. cp. 14. —

Digitized by Google

lion Minois; Theseus Aegei; Plexippus, Ideus, Lynceus, Thestii filii, fratres Althaeae; Hippothous Cercyonis; Caeneus Elati; Mopsus Ampyci; Meleager Oenei; Hippasus Euryti; Ancaeus Lycurgi; Phoenix Amyntoris; Dryas Iapeti; Enaesimus, Alcon, Denuxippus, Hippocoon Amyci, Atalante Schoenei.

Quae civitates auxilium miserunt Oeneo.

Thebae, Argos, Iolcos, Sparta, Teurone, Messene, Perrhaebia, Phthia, Magnesta, Salamin, Calydon, Thessalia, Oechalia, Ithaca, Tegea, Creta, Dolopea, Athenae, Magnesia et Arcadia.

CLXXIV. Meleager.

Althaea, Thestii filia, ex Oeneo peperit Meleagrum. Ibi in regia

---

2. Hippotas Gerionis. 3. Amyci. — Hyppassus. 5. Euatimus. — Hyppocoon. — Athlantes Pondaei. 8. Tenerdos, Iolcos. — Messe. — Perrhoebia. 10. Tegaea.

---

1. Plexippus etc.] Lectio corrupta est. Vitium autem inde ortum mihi esse videtur, quod Apharei filiorum nomina, id est Lynceus et Idas, a librariis per errorem bis ponebantur, et ex hoc loco vitiosam illam lectionem in cp. 174 translatam esse arbitror. Ex aliis autem auctoribus possis coniicere, sic esse legendum: Plexippus et Toxeus, Thestii etc. (Ovid. v. 304 et 440 l. c.; Myth. Vat. I, 204), vel Plexippus et Agenor (Myth. Vat. I, 146; II, 144; Schol. St. Th. 2, 481; Hyg. cp. 244), vel, quod optimum mihi videtur esse, Plexippus, Toxeus et Agenor (Lact. arg. 8, 4). — 2. Hippothous C.] Sic correxit M., monente Sch. Hippothoi inter venatores apri Calydonii meminit Ovid. l. c. Secundum Hyg. cp. 187 et 252 Hippothous Neptuni et Alopes, Cercyonis filiae, filius fuit. Idem tradunt Ar. Av. 560; Paus. 1, 5, 2. — 3. Ampyci] Sic corr. M. — Hippasus] Sic corr. M. ex Ovid. v. 313 l. c. Patrem eius in aliis auctoribus commemoratum non inveni. — 4. Dryas Iapeti] Lectio corrupta est. Dryantis nomen, ut iam antea dixi, initio huius catalogi reponendum est. Hoc loco autem fortasse sic legendum: Phyleus Augeae, ab Elide; cf. Ovid. v. 308 l. c. — 5. Enaesimus] Sic corr. M. ex Ovid. v. 362 l. c. — Alcon] Hic inter filios Hippocoontis commemoratur ab Apollod. 3, 10, 5. — Denuxippus] Fortasse legendum Dexippus. M. coni. Dorycleus ex Apollod. 3, 10, 5. — Hippocoon Amyci] Fortasse legendum Hippocoontis filii, Amyclis. Ovid. v. 314 l. c. 'Et quos Hippocoon antiquis misit Amyclis.' — Atalante Schoenei] Sic corr. M. Idem iam Micyllo erat visum. Atalanten Schoenei inter apri Calydonii venatores fuisse, Apollod. 1, 8, 2; Lact. arg. 8, 4 aliique tradiderunt. Ut quidam aiunt, Atalante Iasi filia, huic venationi interfuisse dicitur. De qua re plura persecuti sunt Spanh. ad Callim. Dian. 216; Heyne ad Apollod. 1, 8, 2. — 7. Quae etc.] Hinc incipere debebat novum caput. Plura nomina etiam hoc loco excidisse videntur. — 8. Thebae, Argos] Sic scripsi, monente Mic. Cf. Apollod. 1, 8, 2. Thebae etiam ab Hygino in antecedentibus commemorantur. Argivi autem fuerunt Iolaus et Phoenix. — Teurone] Mic. coni. Pleuron; Sch. Teutrania; M. Pleurone. Puto legendum Taenarum. Euphemus enim, Neptuni filius, cuius Hyginus paulo antea meminit, Taenarius fuit; cf. supra cp. 14. — Messene] Sic corr. M. Idem voluit Sch. — Perrhaebia] Ita recte M. et St. Ex Perrhaebia autem venerat Admetus; cf. Hyg. cp. 97. — 9. Magnesta] Puto legendum Magnesia. Quod nomen librarii per errorem bis posuisse videntur. Nam et in sqq. Magnesia commemoratur. Ex Magnesia autem fuit Caeneus, Elati filius; cf. Hyg. cp. 14. — 10. Tegea] Sic corr. M. — Dolopea] Fortasse legendum Dolopia. — Cap. CLXXIV. Apollod. 1, 8, 2; Schol. Hom. Il. 9, 534; Anton. Lib. cp. 2; Ov. Met. 8, 260 sqq.; Lact. arg. 8, 4; Hyg. cp. 171 sq.; Schol. Stat. Th. 2, 481. —

Digitized by Google

dicitur titio ardens apparuisse. Huc Parcae venerunt, et Meleagro fata cecinerunt, eum tam diu victurum, quam diu is titio esset incolumis. Hunc Althaea in arca clausum diligenter servavit. Interim ira Dianae, quia Oeneus sacra annua ei non fecerat, aprum mira magnitudine, qui agrum Calydonium vastaret, misit. Quem Meleager cum delectis iuvenibus Graeciae interfecit, pellemque eius ob virtutem Atalantae virgini donavit; quam Ideus, Plexippus, Lynceus, Althaeae fratres, eripere voluerunt. Illa cum Meleagri fidem implorasset, ille intervenit, et amorem cognationi anteposuit, avunculosque suos occidit. Id Althaea mater audivit filium suum tantum facinus esse ausum, memor Parcarum praecepti, titionem ex arca prolatum in ignem coniecit. Ita dum fratrum poenas vult exequi, filium interfecit. At sorores eius, praeter Gorgen et Deianiram, flendo, deorum voluntate, in aves sunt transfiguratae, quae meleagrides vocantur. At coniunx eius Alcyone moerens in luctu decessit.

CLXXV. Agrius.

Agrius, Parthaonis filius, ut vidit Oeneum fratrem orbum liberis factum, egentem regno expulit, atque ipse regnum possedit. Interim Diomedes, Tydei filius et Deipyles, Ilio devicto, ut audivit avum suum regno pulsum, pervenit in Aetoliam cum Sthenelo, Capanei filio, et armis contendit cum Lycopeo, Agrii filio. Quo interfecto, Agrium egentem e regno expulit, atque Oeneo avo suo regnum restituit. Postque Agrius regno expulsus, ipse se interfecit.

---

1. ticio. 2. taudiu. 8. Atalante. 9. Altheae. 12. parcarum. 13. ticionem. 21. Deiphyles. 23. cum Opopa.

---

2. fata cecinerunt] Similiter Hyg. Astr. 2, 15 Parcae cecinisse feruntur fata. — 3. in arca] cf. Apollod. l. c. Ovid. v. 457 l. c. penetralibus imis; Hyg. cp. 172 in media regia. — 4. ira D.] Sch. coni. ira Diana. Puto legendum irata Diana, ex cp. 172. M. haec addit: Nisi ira Dianae heic idem valet quod irata Diana, rescripserim irata Diana. Cap. 184 Ob id irata Diana fecit etc. — 8. Plexippus etc.] cf. cp. 173. — 11. Id etc.] Sch. coni. Id Althaea mater ut etc. Puto legendum At Althaea mater, ut audivit etc. Sic cp. 168. At Aegyptus ut resciit etc.; Lact. arg. l. c. At Althaea, mater Meleagri, ut fratrum caedem accepit. — 14. At sorores etc.] Ov. Met. 8, 532 sqq.; Anton. Lib. cp. 2; Plin. H. N. 10, 26; Aelian. 4, 42. — 17. Alcyone] Cleopatra est Hom. Il. 9, 556; Apollod. 1, 8, 2; Anton. Lib. l. c.; Paus. 4, 2, 7. Ut Homerus ait in Il. 9, 562, Alcyone cognomen eius fuit. — Cap. CLXXV. Apollod. 1, 8, 5 sq.; Anton. Lib. cp. 37; Schol. Hom. Il. 14, 120; Schol. Ar. Acharn. 417; Ov. Heroid. 9, 153. — 19. orbum etc.] Scilicet Meleager mortuus erat, Tydeus autem propter caedem Argos fugerat; de qua re supra cp. 69. Sch. eiiciendum putat h. l. orbum. Sed hoc non probandum est. Duo enim mala, ut ait Munckerus, notare videtur Hyginus, orbitatem sive ἀτεκνίαν, et egestatem. — 21. Deipyles] Sic corr. M. Cf. cp. 69. — 23. Lycopeo] Sic corr. M., ex Apollod. 1, 8, 6. Idem voluerat Sch. —

Digitized by Google

CLXXVI. Lycaon.

Ad Lycaonem, Pelasgi filium, Iovis in hospitium venisse dicitur, et filiam eius Callisto compressisse. Ex quo natus est Arcas, qui ex suo nomine terrae nomen indidit. Sed Lycaonis filii Iovem tentare voluerunt, deusne esset; carnem humanam cum cetera carne commiscuerunt, idque in epulo ei apposuerunt. Qui postquam sensit, iratus mensam evertit, Lycaonis filios fulmine necavit. Eo loco postea Arcas oppidum communivit, quod Trapezus nominatur. Patrem Iuppiter in lupi figuram mutavit.

CLXXVII. Callisto.

Callisto, Lycaonis filia, ursa dicitur facta esse, ob iram Iunonis, quod cum Iove concubuit. Postea Iovis in stellarum numerum rettulit, quae Septentrio appellatur. Quod signum loco non movetur, neque occidit. Tethys enim, Oceani uxor, nutrix Iunonis, prohibet eam in Oceanum occidere. Haec ergo Septentrio maior, de qua in Creticis versibus:

Tuque Lycaoniae mutatae semine Nymphae,
Quam gelido raptam de vertice Nonacrino

---

3. Calysto. 6. caetera. 9. Trapezos. 11. Calysto. 12. Calysto. 15. Thetis. 16. Hic ergo. 19. Nonacrinae.

Cap. CLXXVI. Apollod. 3, 8, 1; Paus. 8, 2; Ov. Met. 1, 163 sqq.; Lact. arg. 1, 6; Hyg. Astr. 2, 4; Serv. ad Ecl. 6, 41; Schol. Stat. Th. 11, 118; Myth. Vat. I, 17; Schol. Germ. p. 45. — 2. Pelasgi f.] Ita et infra cp. 225 et ap. Schol. German. l. c. Dixi de hac re iam supra ad cp. 145. — Iovis] pro Iuppiter. — 3. Callisto] Sic corr. M. — 4. Lycaonis filii] cf. Apollod. l. c. Alii Lycaonem ipsum carnem humanam cum alia mixtam Iovi apposuisse tradunt. Plura de hac re ap. Interpr. ad Ov. Met. l. c. — 5. esset c.] Sch. coni. esset, et carnem. — 6. in epulo] M. coni. cibi epulo. Non assentior. — 9. Trapezus] Sic correxi, monente Sch. — Cap. CLXXVII. Apollod. 3, 8, 2; Paus. 8, 3; Hyg. Astr. 2, 1; Serv. ad Ge. 1, 138; Lact. arg. 2, 5; Schol. Stat. Th. 3, 685. — 11. Callisto] Sic corr. St. — 12. Callisto] Sic corr. M. — 13. Postea] M. coni. Post eam, vel Postea eam. — Iovis] pro Iuppiter. — numerum] vulg. numero. Emendavi ex A. — 15. neque occidit] cf. Verg. Ge. 1. 246 ibique Serv.; Ov. Fast. 2, 191 sq.; et Met. v. 528 l. c.; Hyg. Astr. et Lact. arg. l. c.; Stat. Th. 3, 685. — Tethys] Sic corr. M., h. l. et in sqq. — 16. Haec] Sic correxi, monente M. — 17. in Creticis] M. aliique putant, Hyginum innuere versus, in quibus res Creticae narrabantur. Bernhardy in Eratosthenicis p. 149 legendum putat 'in Eratosthenicis versibus.' Sed haec probari minime possunt. Melius est, quod Barthius voluit, qui de hac re sic (Adv. 10, 20): Apud Higinum vero nostrum, inquit, non in Creticis, sed in Arataeis versibus scribendum existimo. Nam scripserunt Arataea etiam alii, qui ad nos non pervenerunt, inter quos Ovidius quoque. In Ms. Cretaeis legitur.' Haec Barthius. Sane versus isti etiam mihi ex scriptore quodam, qui Aratum in Latinum sermonem verterat, huc translati esse videntur. Melius tamen, mea sententia, sic legeretur: in .... Arateis versibus. Nam, ni prorsus fallor, auctoris nomen excidit. Quisnam autem fuerit auctor horum versuum, nescio. Ex Phaenomenis Ciceronis nonnulla profert Hyg. cp. 14, ubi de Argo navi loquitur, et Hyg. Astr. 4, 3. Aratea etiam ab aliis commemorantur. Sic Cic. de div. 2, 5. 'Nostra quaedam Aratea.' — 18. Tuque etc.] Sch. coni. Tuque Lycaonio mutata e semine nympha; H. Tuque Lycaoniae mutate e semine nympha; M. Tuque Lycaoniae mutatae e semine nympha. — 19. raptam] Hyg. Astr. l. c. Iuppiter memor peccati, ereptam Callisto cum filio inter sidera collocavit, eamque Arctum, filium autem Arctophylaca nominavit. — Nonacrino] Sic correxi, monente M. Similiter Ov. Met. 11, 304 vertice Cylleneo, et ibidem 14, 535 Idaeo vertice. —

Digitized by Google

Oceano prohibet semper se tingere Tethys,
Ausa suae quia, sit quondam succumbere alumnae.

Haec igitur ursa a Graecis Ἑλίκη appellatur. Haec habet stellas in capite septem non claras, in utraque aure duas, in armo unam, in pectore claram unam, in pede priore unam, in extrema coxa claram unam, in femine posteriori duas, in pede extremo duas, in cauda tres, omnes numero viginti.

CLXXVIII. Europa.

Europa, Argiopes et Agenoris filia, Sidonia. Hanc Iuppiter in taurum conversus, a Sidone Cretam transportavit, et ex ea procreavit Minoem, Sarpedonem, Rhadamanthum. Huius pater Agenor suos filios misit, ut sororem reducerent, aut ipsi in suum conspectum non redirent. Phoenix in Africam est profectus, ibique remansit; inde Afri Poeni sunt appellati. Cilix suo nomine Ciliciae nomen indidit. Cadmus cum erraret, Delphos devenit. Ibi responsum accepit, ut a pastoribus bovem emeret, qui Lunae signum in latere haberet, eumque ante se ageret; ubi decubuisset, ibi fatum esse, eum oppidum condere, et ibi regnare. Cadmus, sorte audita, cum imperata perfecisset, et aquam quaereret, ad fontem Castalium venit, quem Draco, Martis filius, custodiebat. Qui cum socios Cadmi interfecisset, a Cadmo lapide est interfectus, dentesque eius, Minerva monstrante, sparsit et aravit. Unde Sparti sunt enati, qui inter se pugnarunt; ex quibus quinque superfuerunt, id est Chthonius, Udaeus, Hyperenor, Pelorus et Echion. Ex bove autem, quem secutus fuerat, Boeotia est appellata.

CLXXIX. Semele.

Cadmus, Agenoris et Argiopes filius, ex Harmonia, Martis et

---

1. Thetis. 6. foemine. 10. Agriopes. 12. Minonem. — Rhadamantem. 25. Spartae. 30. Agriopes. — Armonia.

---

2. succumbere] Hyg. Astr. l. c. Quod Tethys Iunonis sit nutrix, cui Callisto succubuerit ut pellex. — alumnae] i. e. Iunoni. — 3. Haec habet etc.] Eratosth. cp. 1; Hyg. Astr. 3, 1; Schol. Germ. p. 39. — 7. numero XX] Secundum Hyg. Astr. 3, 1 sunt XXI. Alii alia prodiderunt. — Cap. CLXXVIII. Apollod. 3, 1, 1; 3, 4, 1; Schol. Eur. Phoen. 5 et 638; Schol. Hom. Il. 2, 494; Ov. Met. 2, 833 sqq. et Fast. 5, 605 sqq.; Lact. arg. 2, 13 et 3, 1; Myth. Vat. I, 148 sq.; II, 76 sq. — 10. Argiopes] Sic corr. M., h. l. et alibi. Apollod. 3, 1, 1 Telephassam Europae matrem, Agenoris uxorem appellat. — 16. suo nomine] Puto legendum ex suo nomine. Sic cap. 186 qui ex suo nomine terrae nomen indidit. — 19. ageret] Fortasse legendum ageret, et. — 23. lapide] M. haec addit: Ita et Hellanicus. Pherecrates apud Schol. Eur. Phoen. 666 gladio interfectum ait; Ovid. Met. 3, 90 hasta.' — 24. dentesque] Sch. coni. dentes qui. Si quid mutandum videtur, legerim Qui dentes. — 25. Sparti] Sic corr. M. — 27. Ex bove] Ita etiam Schol. Eur. Phoen. 638. Alii Boeotiam a Boeoto, Neptuni filio, appellatam volunt; cf. infr. cp. 186. — Cap. CLXXIX. Apollod. 3, 4, 3; Diodor. 3, 63; 4, 2; Ov. Met. 3, 253 sq.; Schol. Stat. Th. 1, 12; Lact. arg. 3, 3; Hyg. cp. 167. — 30. Argiopes] Sic corr. M. —

Digitized by Google

Veneris filia, procreavit filias quattuor, Semelen, Ino, Agauen, Autonoen et Polydorum filium. Iovis cum Semele voluit concumbere. Quod Iuno cum resciit, specie immutata in Beroen nutricem, ad eam venit, et persuasit, ut peteret ab Iove, ut eodem modo ad se, quomodo ad Iunonem, veniret: ut intelligas, inquit, quae sit voluptas, cum deo concumbere. Itaque Semele petiit ab Iove, ut ita veniret ad se. Qua re impetrata, Iovis cum fulmine et tonitribus venit, et Semele conflagravit. Ex utero eius Liber est natus, quem Mercurius ab igne ereptum, Nyso dedit educandum, et Graece Dionysus est appellatus.

CLXXX. Actaeon.

Actaeon, Aristaei et Autonoes filius, pastor, Dianam lavantem speculatus est, et eam violare voluit. Ob id irata Diana fecit, ut ei cornua in capite nascerentur, et a suis canibus consumeretur.

CLXXXI. Diana.

Diana cum in valle opacissima, cui nomen est Gargaphia, aestivo tempore fatigata ex assidua venatione, se ad fontem, cui nomen est Parthenius, perlueret, Actaeon, Cadmi nepos, Aristaei et Autonoes filius, eundem locum petens ad refrigerandum se et canes, quos exercuerat, feras persequens, in conspectum deae incidit; qui ne loqui posset, in cervum ab ea est conversus. Ita pro cervo laceratus est a suis canibus. Quorum nomina, masculi: Melampus, Ichnobates

---

8. Semelem. 10. Niso. 11. Dionisus. 13. Aristei. 21. Aristei. 23. cervam. 25. Ichnobates, Echnobas, Pamphagos.

---

2. Iovis] pro Iuppiter. — 4. et persuasit] Melius esset et ei persuasit, vel eique persuasit. Cap. 102 Cui persuaserunt. — 8. Semele] vulg. Semelen. Sed vera lectio sine dubio est Semele. Quod et Munckero venerat in mentem. Infr. cp. 243 tunicam miserat, in qua conflagravit. — 10. et Graece etc.] cf. cp. 167. — Cap. CLXXX. Cf. cp. 181. — 13. Aristaei] Sic corr. M. — Cap. CLXXXI. Apollod. 3, 4, 4; Eur. Bacch. 335 sq.; Nonn. Dionys. 5, 287 sq.; Ov. Met. 3, 131 sqq.; Lact. arg. 3, 2; Schol. Stat. Th. 3, 203; Fulg. Myth. 3, 3. — 18. Diana etc.] Exscripsit hanc fabulam usque ad illa 'Quorum nomina etc.' Lact. arg. l. c. — 21. Aristaei] Sic corr. M. — 23. qui etc.] M. coni. Quae ne eloqui possit. Puto legendum Qui ne eloqui posset, ex Lact. arg. l. c. — cervum] Sic corr. M. Statim in sequentibus: Ita pro cervo etc. — 25. Quorum etc.] Nomina canum Actaeonis praeter Hyginum memoriae prodiderunt Aeschyl. ap. Polluc. 5, 47; Apollod. l. c.; Ovid. v. 206 l. c. Plura de his proposuerunt Intpp. ad Ovid. l. c. et Heyne ad Apollod. l. c. Quae Apollodorus de hac re ex vetere poeta tradiderat, nunc sunt corrupta et truncata. Ab Ovidio haec canum nomina commemorantur: Melampus de gente Spartana, Ichnobates Gnosius, Pamphagos, Dorceus, Oribasus (Arcades omnes), Nebrophonos, Laelaps, Theron, Pterelas, Agre, Hylaeus, Nape, Poemenis, Harpyia, Ladon, Dromas, Canace, Tigris, Alce, Leucon, Asbolus, Lacon, Aëllo, Thous, Cyprius, Lycisce, Harpalos, Melaneus, Lachne, Labros, Agriodos, Hylactor; Melanchaetes, Theridamas, Oresitrophos. Fit numerus XXXVI. Actaeonem

Digitized by Google

Gnosius, Pamphagos, Dorceus, Oribasus, Nebrophonos, Laelaps, Theron, Pterelas, Agre, Hylaeus, Nape, Ladon, Poemenis, Aura [Asbolus] Lacon, Harpyia, Aëllo, Dromas, Thous, Canace, Cyprius, Sticte, Labros, Arcas, Agriodus, Tigris, Hylactor, Alce, Harpalus, Lycisca, Melaneus, Lachne, Leucon. Item tres, qui eum consumpserunt, feminae, Melanchaetes, Theridamas, Oresitrophos. Item alii auctores tradunt haec nomina: Acamas, Syrus, Aeon, Stilbon, Agrius, Charops, Aethon, Corax, Boreas, Draco, Eudromus, Dromius, Zephy-

---

2. Pterelas, Hylaeus. — Poemenis Therodanapis, Aura. 3. Asbolus om. — Harpya, Elion. — Canache. 6. eum Gnosius consumpserunt. — foeminae, Melanchoetes, Agre, Therodamas. 7. autores. 9. Coran.

---

quinquaginta canes aluisse, vulgus tradunt. Nec latuit hoc Ovidio, qui v. 225 l. c. haec addit: Quasque referre mora est. — masculi] Hoc eiiciendum mihi videtur. Fortasse additum est a librario, qui in sequentibus haec legit: item tres, qui eum consumpserunt, feminae. Melius infra sic legeretur: Item alii auctores tradunt haec nomina, masculi: Acamas etc. — Melampus etc.] Nisi Hyginus eosdem auctores secutus sit, quorum auctoritatem Ovidius in hac re sequitur, statuendum est, ea quae sequuntur nomina usque ad illa 'Item alii etc.' ex Ovidio huc esse translata. Plura, quae in Hygino sunt corrupta, ex Ovidio emendavi. Insunt tamen in eodem nonnulla, quae vetant, ne omnia ex Ovidio corrigamus. — Ichnobates] vulg. Ichnobates Echnobas. Sed ultimam vocem delendam esse, ut natam ex praecedenti, iam vidit Sch. — 1. Gnosius] Hoc addidi ex seqq., ubi omnes male sic legunt: item tres qui eum Gnosius. — 2. Agre] Hoc nomen ex seqq. huc reposui. Perperam in sqq. vulgo sic legunt: tres .... feminae Melanchaetes, Agre, Therodamas, Oresitrophos. Cf. Ovid. l. c. — Poemenis] vulg. Poemenis Therodanapis. Sed Therodanapis monstrum lectionis est, quod ortum videtur ex praecedentibus Theron, Nape, ut iam Sch. indicavit. — 3. Aura] Vereor, ne per errorem hoc nomen additum sit a librario. Ovid. v. 209 l. c. Inde ruunt alii rapida velocius aura. — Asbolus] Hoc nomen addidi ex Ovidio. — Harpyia] Sic corr. M. — Aëllo] Sic correxi ex Ovidio v. 219 l. c. Quod iam Mic. facere iusserat. — Canace] Sic correxi. Canace, *Κανάκη*, etiam nomen mulierum fuit; cf. cp. 238, 242 sq. — 4. Arcas] Non reiiciendum est hoc nomen. Possis tamen coniicere, scribendum esse Arcades, et in iis quae praecedunt, sic legendum: Pamphagos, Dorceus, Oribasus (Arcades); cf. Ovid. v. 210 l. c. — 6. eum] vulg. eum Gnosius. Sed Gnosius sive Gnossius Ichnobates fuit; cuius Hyginus statim initio huius catalogi meminit. B. in Ms. se legisse affirmat 'eum cum sus.' Quare ipse legendum putat: eum cum ossibus.' Sed hoc absurdissimum est. — Melanchaetes] Sic corr. M. Ceterum vulgo sic legunt: Melanchaetes, Agre, Therodamas. Sed Agres nomen male huc immissum est, ut paulo antea demonstravi. Emendavi hunc locum ex Ovidio v. 232 l. c. — 7. Theridamas] Sic correxi, monentibus Sch. et M. — auctores] vulg. autores. — haec etc.] Sequitur alter catalogus, in quo XLVI nomina commemorantur. Plurima etiam h. l. corrupta sunt. In Graeco poeta, quem Hyginus h. l. secutus esse videtur, fortasse haec nomina legebantur: *Ἄγριος, Αἴθων, Αἵμων, Ἀκάμας, Ἀργὼ, Ἀρέθουσα, Ἁρπάλυκος, Ἅρπυια, Βορέας, Γοργὼ, Δεινομάχη, Διωξίππη, Δράκων, Εὔδρομος, Ζέφυρος, Θηρὼ, Ἰχναῖος, Κυλλοπόδης, Λάκαινα, Λάμπος, Λέαινα, Μάχιμος, Μελάμπους, Νάπη, Ὄβριμος, Ὀρειὰς, Οὐρανία, Πάχυλος, Στίλβων, Σύρος, Χάροψ, Ὠκύδρομος, Ὠκύθοος, Ὠκυπέτη*, et alia. — nomina] Fortasse legendum: nomina, masculi, Acamas etc.; de qua re iam antea dixi. In sqq. legimus haec: Feminae, Argo etc. — 9. Corax] Sic scripsit M. ex coniectura. Sch. voluit Corus. — Dromius] Fortasse legendum Dromeus, vel Dromas. Dromas etiam in priore catalogo commemoratur. —

Digitized by Google

rus, Lampus, Haemon, Cyllopotes, Harpalycus, Machimus, Ichneus, Melampus, Ocydromus, Borax, Ocythous, Pachitos, Obrimus; feminae: Argo, Arethusa, Urania, Theriope, Dinomache, Dioxippe, Echione, Gorgo, Cyllo, Harpyia, Lyncaeste, Leaene, Lacaena, Ocypote, Ocydrome, Oxyroe, Orias, Sagnos * Theriphone, Volatos, Chediaetros.

CLXXXII. Oceani filiae.

Oceani filiae, Idothea, Amalthea, Adrastea; alii dicunt Melissei filias esse Iovis nutrices, quae Nymphae Dodonides dicuntur. Alii Naiades vocant; quarum nomina, Cisseis, Nysa, Erato, Eriphia, Bromie, Polyhymno. Hae in monte Nysa munere alumni potitae sunt, qui Medeam rogàverat; et deposita se-

---

1. Hemon. 2. Ichneus, Omelimpus. 3. foeminae. — Aretusa. 4. Arpyia. 5. Lacena. 8. Idothea, Althaea, Adrasta. — Melissi. 11. Bromiae.

---

1. Haemon] Sic corr. M. — Cyllopotes] Fortasse legendum Cyllopodes ex Gr. *Κυλλοπόδης*. — 2. Ichneus] Fortasse legendum Ichnaeus, vel Ichneutes. — Melampus] vulg. Omelympus. M. coni. Melampus. Quod sine dubio est probandum. Melampus etiam in priore catalogo commemoratur. — Borax] M. haec addit: Boras suspicatur scriptum fuisse Schefferus, quod apud Apollodorum sit *Βόρης*. Mihi verisimilius videtur Borus h. e. *Βόρος*, vorax, edax, nisi a *βόρος* formatum sit *βόραξ*, ut a *λάβρος λάβραξ* lupus piscis. — Pachitos] M. coni. Pachylus, ex Gr. *παχυλός*. Quod probandum videtur. — 3. feminae] vulg. foeminae. — Arethusa] Sic corr. M. — Theriope] Fortasse legendum Thero, Nape. — 4. Echione] Hoc nomen corruptum esse videtur. — Cyllo] M. Puto, inquit, Hyginum scripsisse Aëllo, nisi ex Gr. *κυλλὸς* finxit hoc vocabulum. — Harpyia] Sic corr. M. — Lyncaeste] M. coni. Lyncaste. Fortasse legendum Lycisce. Lycisca etiam in priore catalogo commemoratur. — 5. Lacaena] Sic corr. M. — Ocypote] Puto legendum Ocypete, vel Ocypode. — 6. Sagnos] Sch. coni. Agnos; M. Agrios vel Lachnos. — Volatos Ched.] Haec nomina corrupta sunt. — Cap. CLXXXII. Plura h. l. proponuntur, quae ex inscriptione non exspectantur. Sermo est de Iovis et Liberi nutricibus. — 8. Oceani etc.] Quae h. l. Oceani filiae appellantur, apud alios scriptores inter Oceanitides non comparent, nec apud nostrum in Theogonia supra proposita. — Idothea] Inter Iovis nutrices haec ab aliis non commemoratur. Fuit tamen Idothea nomen mulierum. M. coni. Ida, ex Apollod. 1, 1, 6 sq. — Amalthea] Sic correxi ex Apollod. l. c.; Hyg. Astr. 2, 13; Serv. ad Ge. 1, 205 aliisque. Idem voluit M. — Adrastea] vulg. Adrasta. Sed Adrastea appellatur Iovis nutrix ab Apollod. l. c. et Schol. Ap. Rh. 3, 133. — Melissei] Sic corr. M.; cf. Apollod. l. c.; Lact. Firm. 1, 22; Hyg. Astr. l. c. — 9. esse] Omnes sic scribunt: esse, Iovis. Sed comma delendum est. — Dodonides] Hyg. Astr. 2, 21 (quem exscripsit Myth. Vat. I, 120); Schol. Hom. Il. 18, 486. Secundum Herod. 1, 55 Dodonidum nomina haec fuerunt: Promenia, Timarete, Nicandre. — 10. Naiades] Nais appellatur Amalthea ab Ov. Fast. 5, 115. — Cisseis] Eadem etiam in sqq. commemoratur. Cisseus cognomen Liberi fuit. — Nysa] De hac iam supra dixi ad cp. 167. — 11. Eriphia] Eriphe est in Etym. M. v. *Ἔρεφα*. Hoc idem est, ut ait M. — Bromie] Ita etiam in sqq. Brome est Liberi nutrix ap. Serv. ad Ecl. 6, 15. — Polyhymno] M. coni. Polyxo, ex cp. 192. — 12. alumni] i. e. Liberi. De Libero autem in iis quae antecedunt, nihil legimus. Locum corruptum esse, iam vidit Mic. De Liberi nutricibus cf. infr. cp. 192 et Pherecyd. Athen. ap. Hyg. Astr. 2, 21. Serv. ad Ge. 1, 219 haec profert: Hae autem (sc. Atlantides), ut alii volunt, Iovis, ut alii, Liberi nutrices fuerunt. — qui Medeam r.] Ov. Met. 7, 294 sqq.; Lact. arg. 7, 3; Myth. Vat. I, 188. H. coni. qui Tethyn rogaverat; quod proba M. —

Digitized by Google

nectute in [illegible] mutatae sunt, consecrataeque postea inter sidera, Hyades appellantur. Alii tradunt vocitatas Arsinoe, Ambrosie, Bromie, Cisseis, Coronis.

CLXXXIII. Equorum Solis et Horarum nomina.

Eous, per hunc coelum verti solet; Aethiops quasi flammeus est, concoquit fruges. Hi funales sunt mares; feminae iugariae, Bronte, quae nos tonitrua appellamus, Sterope, quae fulgitrua. Huic rei auctor est Eumelus Corinthius. Item quos Homerus tradit. Abrax, Aslo, * Therbeeo. Item quos Ovidius, Pyrois, Eous, Aethon et Phlegon.

Horarum vero nomina haec sunt (Iovis Saturni filii et Themidis Titanidis filiae) Auxo, Eunomia, Pherusa, Caria, Dice, Euporie, Irene, Ortesie, Thallo. Alii auctores tradunt decem his nominibus, Auge, Anatole, Musia, Gimnasia, Nimphes, Mesembria, Sponde, Elete, Acte, et Hecypris, Dysis.

CLXXXIV. Pentheus et Agaue.

Pentheus, Echionis et Agaues filius, Liberum negavit deum esse, nec mysteria eius accipere voluit. Ob hoc eum Agaue mater cum sororibus Ino et Autonoe, per insaniam a Libero obiectam membratim laniavit. Agaue ut suae mentis com-

2. sydera. — Arsine. 5. Eos. — Aethyops. 6. foeminae Locarie, Bronte. 8. autor. 11. Themidis filiae, Titanaide, Auxo. 12. Caria, Odice. 13. autores.

2. Arsinoe] Sic scripsit M., monente Grotio. — 3. Ambrosie] cf. cp. 192. — Cap. CLXXXIII. Equorum Solis nom.] cf. Schol. Soph. El. 825; Schol. Eur. Phoen. 3; Ov. Met. 2, 153; Fulg. Myth. 1, 11; Myth. Vat. I, 113; II, 21; Spanh. ad Callim. h. Del. 169. — 5. Eous] Sic correxi ex Ovid. l. c. Idem voluit Mic. — Aethiops] Sic corr. C. — 6. iugariae] Sic corr. M. Iugariae, ut idem ait, sunt iugales, ἵπποι ὑπόζυγοι. — 7. Sterope] Astrape est Schol. Eur. Phoen. l. c. — fulgitrua] M. vult fulgetra. — 8. auctor] vulg. autor. — 9. Homerus] Apud Homerum nihil legimus de Solis equis. M. coni. Herodorus. Fortasse legendum Euhemerus. — Abrax Aslo Therb.] Haec corrupta sunt. M. pro Abrax legendum putat Labrax. Sed nihil certi de hac re statui potest. — Therbeeo] Fortasse legendum Sterope, Eous. — 10. Pyrois] Pyroëis est in Ovid. l. c. — 11. Horarum] Hes. Th. 902; Apollod. 1, 3, 1 aliique complures tres Horas fuisse narrant, id est Eunomiam, Irenen, Dicen. — Iovis etc.] Haec parenthesi inclusi, et emendavi ex sententia M. Ab Hygino tamen haec non relicta puto. Is potius sic scripsisset: Ex Iove et Themide Titanide Horae. Quarum nomina haec sunt', vel simpliciter: Horarum vero nomina haec sunt: Auxo etc. — 12. Caria] Hoc nomen corruptum esse videtur. — Dice] Sic correxi, monente M. — Euporie] Ita appellatur etiam mulier quaedam Atheniensis ap. Boeckh. Inscr. 731. — 13. Ortesie] Hanc aliunde non novi. — Thallo] Paus. 9, 35, 2. — 14. Musia, G. N.] Haec corrupta sunt. — Gimnasia] vulg. Gymnasia. Sed nec haec ab aliis commemoratur. — 15. Elete etc.] Etiam haec aperte vitiosa sunt. — Dysis] Sch. et M. supervacuum esse dicunt hoc nomen. Sane, si Dysin omittas, decem iam sunt. Mihi tamen vitium potius in iis, quae antecedunt, latere videtur. — Cap. CLXXXIV. Duae narrationes h. l. in unam coaluisse videntur. De Pentheo et Agaue vid. Eurip. in Bacchis; Apollod. 3, 5, 2; Ov. Met. 3, 511 sqq. —

Digitized by Google

pos facta est, et vidit se Liberi impu[illegible]tum scelus admisisse, profugit ab Thebis, atque errabunda in Illyriae fines devenit, ad Licotersen regem. Quam Licoterses excepit.

Cum qua Polyphontes, occiso Cresphonte, regnum occupavit. Filium autem eius infantem Merope mater quem ex Cresphonte habebat, absconse ad hospitem in Aetoliam mandavit. Hunc Polyphontes maxima cum industria quaerebat, aurumque pollicebatur, si quis eum necasset. Qui postquam ad puberem aetatem venit, capit consilium, ut exequatur patris et fratrum mortem. Itaque venit ad regem Polyphontem, aurum petitum, dicens se Cresphontis interfecisse filium et Meropes, Telephontem. Interim rex eum iussit in hospitio manere, ut amplius de eo perquireret. Qui cum per lassitudinem obdormisset, senex, qui inter matrem et filium internuntius erat, flens ad Meropen venit, negans eum apud hospitem esse, nec comparere. Merope credens eum esse filii sui interfectorem, qui dormiebat, in Chalcidicum cum securi venit, inscia ut filium suum interficeret. Quem senex cognovit, et matrem ab scelere retraxit. Merope postquam vidit occasionem sibi datam esse, ab inimico se ulciscendi, redit cum Polyphonte in gratiam. Rex laetus cum rem divinam faceret, hospes falso simulavit se hostiam percussisse, eumque interfecit, patriumque regnum adeptus est.

CLXXXV. Atalanta.

Schoeneus Atalantam filiam virginem formosissimam dicitur habuisse, quae virtute sua cursu viros superabat. Ea petiit a patre, ut se virginem servaret. Itaque cum a pluribus in coniugium peteretur, pater eius simultatem constituit, qui eam ducere vellet, prius in certamine, cursu cum ea contenderet, termino constituto, ut ille inermis fugeret, haec

---

1. ut vidit. 12. Meropis. 15. Meropem. 19. postquam venit.

---

1. et vidit] Perperam in A. legitur ut vidit. — 3. Licotersen] cf. cp. 240 et 254. — 4. Cum qua etc.] Hinc incipere debebat novum caput. Excidisse quaedam videntur de Merope; de qua supra cp. 137. — regnum] i. e. Messeniam; cf. cp. 137. — 6. absconse] Eadem voce utitur Firm. Astr. 2, 2. Adiectivo absconsus Fulg. Myth. 1, 21 aliique serioris aetatis scriptores utuntur. Serv. ad Ge. 1, 135 haec habet: Sane absconditam, non absconsum, quia [condo] conditum facit, non consum'. Absconditum legimus etiam infr. cp. 261 (cf. Serv. ad Aen. 2, 116). 12. Meropes] Sic corr. M. — 15. Meropen] Sic corr. M. — 17. Chalcidicum] Eadem voce utitur Ausonius in Perioch. Hom. In Perioch. Od. 23, 1 Homeri verba *Γρηὺς δ' εἰς ὑπερῷ' ἀνεβήσατο καγχαλόωσα* sic vertit: Chalcidicum gressu nutrix superabat anili. Et sic alibi. Est igitur Chalcidicum idem quod *ὑπερῷον*. Ceterum Festus haec habet: Chalcidicum, genus aedificii ab urbe Chalcida dictum. — 20. vidit] Sic correxi, monente Mic. Idem ex Ms. profert B. — ab in. se ulc.] Sic etiam Frontin. Strat. 3, 16, 4. — Cap. CLXXXV. Apollod. 3, 9, 2; Ov. Met. 10, 560 sqq.; Lact. arg. 10, 11; Serv. ad Aen. 3, 113; Myth. Vat. I, 39; II, 47. — 26. virtute etc.] Sch. coni. virtute sua ac cursu. — 28. eius etc.] cf. cp. 84. Sch. coni. eis etc., ex cp. 22 et 67. — simultatem constituit] i. e. legem proposuit, ut iam alio loco dixi. — 30. ut] Sch. coni. et. —

Digitized by Google

cum telo in[illegible]eretur; quem intra finem termini consecuta fuisset, interficeret, cuius caput in stadio figeret. Plerosque cum superasset, et occidisset, novissime ab Hippomene, Megarei et Meropes filio, victa est. Hic enim a Venere mala tria insignis formae acceperat, edoctus, quis usus in eis esset. Qui in ipso certamine iactando puellae impetum alligavit. Illa enim, dum colligit et ammiratur aurum, declinavit, et iuveni victoriam tradidit. Cui Schoeneus ob industriam libens filiam suam dedit uxorem. Hanc cum in patriam duceret, oblitus, beneficio Veneris se vicisse, grates ei non egit. Irata Venere in monte Parnasso cum sacrificaret Iovi victori, cupiditate incensus, cum ea in fano concubuit. Quos Iuppiter ob id factum in leonem et leam convertit; quibus dii concubitum Veneris denegant.

CLXXXVI. Melanippe.

Melanippen, Desmontis filiam, sive Aeoli, ut alii poetae dicunt, formosissimam Neptunus compressit; ex qua procreavit filios duos. Quod cum Desmontes rescisset, Melanippen excaecavit, et in munimento conclusit; cui cibum atque potum exiguum praestari iussit, infantes autem feris proiici. Qui cum proiecti essent, vacca lactans veniebat ad infantes, et ubera praestabat. Quod cum armentarii vidissent, tollunt eos, ut educarent.

Interim Metapontus, rex Icariae, a coniuge Theano petebat, ut sibi liberos procrearet, aut regno cederet. Illa timens mittit ad pastores, ut infantem aliquem explicarent, quem regi subderet. Qui miserunt duos inventos; ea regi Metaponto pro suis supposuit. Postea autem Theano ex Metaponto peperit duos. Cum autem Metapontus priores valide amaret, quod formosissimi essent, Theano quaerebat ut eos tol-

1. constituta fuisset. 11. Parnaso. 13. laeam. 18. rescisset, et Melanippem. 25. ut regno.

1. consecuta] Sic corr. St., monenté C. aliisque. Idem in Ms. se legisse affirmat B. — 2. cuius] pro ut eius, ut ait M. — 3. novissime] Eadem voce saepius utuntur Schol. Statii, Lact. in arg. et Myth. Vatt. — Hippomene Megarei] Theocr. 3, 40; Apollod. l. c.; Ovid. v. 659 l. c. Hippomenes etiam pater Megarei appellatus est; Apollod. 3, 15, 8. — 4. mala tria] Ovid. Met. 10, 649; Ib. v. 372. — 5. edoctus etc.] Ov. Met. v. 651 l. c. docuique quis usus in illis. — 6. Qui] M. coni. Quae, ita ut referatur ad mala. Non assentior. — 7. declinavit] Ov. Met. 10, 667 Declinat cursus. — 11. Parnasso] vulg. Parnaso. Cf. cp. 4. — 13. leam] Sic correxi. Idem voluit M. Utuntur eadem voce Lucret. 5, 1317; Ov. Met. 9, 647, et Fast. 2, 88; Val. Flacc. 3, 736; Stat. Th. 5, 204. — quibus etc.] B. coni. quibus deûm concubitum genetrix denegat. — Cap. CLXXXVI. Fragm. Melan. Eurip., p. 211 sqq. Matth. ed. Nauck p. 404 sqq. — Melanippe] Sic Eurip. l. c.; Paus. 9, 1, 1; Eratosth. cp. 18. Atque ita legendum infra quoque cp. 252 et ap. Hyg. Astr. 2, 18 pro Menalippe. — 18. duos] i. e. Boeotum et Aeolum. — rescisset] vulg. rescisset et. Sed illud et natum mihi esse videtur ex voce praecedenti; quare eiiciendum puto. — Melanippen] Sic corr. M. — 25. aut] Sic corr. L. Idem iam Mic. voluerat. — 26. explicarent] i. e. aliunde eruerent, ut ait M. —

Digitized by Google

leret, et filiis suis regnum servaret. Dies advenerat, ut Metapontus exiret ad Dianam Metapontinam ad sacrum faciendum. Theano occasione nacta, indicat filiis suis, eos suppositicios priores esse. Itaque cum in venationem exirent, eos cultris interficite. Illi autem matris monitu cum in montem exissent, proelium inter se commiserunt. Neptuno autem adiuvante, Neptuni filii vicerunt, et eos interfecerunt. Quorum corpora cum in regiam allata essent, Theano cultro venatorio se interfecit. Ultores autem, Boeotus et Aeolus, ad pastores, ubi educati erant, confugerunt. Ibi Neptunus eis indicat, ex se esse natos, et matrem in custodia teneri. Qui ad Desmontem pervenerunt, eumque interfecerunt, et matrem custodia liberarunt; cui Neptunus lumen restituit. Eam filii perduxerunt in Icariam ad Metapontum regem, et indicant ei perfidiam Theanus. Post quae Metapontus duxit coniugio Melanippen, eosque sibi filios adoptavit. Qui in Propontide ex suo nomine condiderunt, Boeotus Boeotiam, Aeolus Aeoliam.

CLXXXVII. Alope.

Alope, Cercyonis filia, formosissima cum esset, Neptunus eam compressit: qua ex compressione peperit infantem, quem inscio patre nutrici dedit exponendum. Qui cum expositus esset, equa venit, et ei lac praestabat. Quidam pastor equam persequutus, vidit infantem, atque eum sustulit. Qui veste regia indutum cum in casam tulisset, alter compastor rogavit, ut sibi eum infantem donaret. Ille ei donavit sine veste. Cum autem inter eos iurgium esset, quod qui puerum acceperat, insignia ingenuitatis reposceret, ille autem non daret, contendentes ad regem Cercyonem venerunt, et contendere coeperunt. Ille autem, qui infantem donatum acceperat, repetere insignia coepit. Quae cum allata essent, et agnosceret Cercyon, ea esse ex veste scissa filiae suae Alopes, nutrix timens regi indicium fecit, infantem eum Alopes esse. Qui filiam iussit ad necem includi, infantem autem proiici. Quem iterum equa nutriebat; pastores iterum inventum in-

---

4. venatione. 8. regia. 9. Boëtus. 17. Boëtus Boetiam. 33. iudicium.

---

3. occasione nacta] cf. cp. 1. — eos etc.] B. vult ex M. eos priores suppositicios esse; Sch. coni. eis priores s. e., vel eos suppositiciis priores esse. — 4. venationem] Sic correxi. Statim in sqq. 'cum in montem exissent.' Quod dedi, B. invenit in Ms. — exirent] St. scripsit exierint, ex coniectura Mic. — 5. interficite] Mic. coni. interficere iubet; M. interficerent. — 8. regiam] Sic scripsi ex coniectura, ut paulo antea 'in venationem' pro in venatione. Cap. 29. Qui cum in regiam intrasset; cp. 191 in regiam venisset. — 9. Boeotus] Sic corr. M., h. l. et in sqq. — 17. Boeotiam] Sic corr. St. — Cap. CLXXXVII. Alope inscripta erat fabula Euripidis et Choerili. Hyginus Euripidem secutus esse videtur. — 25. compastor] In Glossar. Gr. Lat. compastor *συννομεύς*. — 28. insignia ingen.] In sqq. insignia. Haec a Graecis *γνωρίσματα* appellabantur. — 33. indicium] Sic corr. St. Idem iam C. voluerat. B, vult ex Ms. regis indicium. —

fantem sustulerunt, sentientes, eum deorum numine educari, atque nutrierunt, nomenque ei imposuerunt Hippothoum. Theseus, cum ea iter faceret a Troezene, Cercyonem interfecit. Hippothous autem ad Theseum venit, regnaque avita rogavit. Cui Theseus libens dedit, cum sciret, eum Neptuni filium esse, unde ipse genus ducebat. Alopes autem corpus Neptunus in fontem commutavit, qui ex nomine Alopes est cognominatus.

CLXXXVIII. Theophane.

Theophane, Bisaltidis filia, formosissima virgo. Hanc cum plures proci peterent a patre, Neptunus sublatam transtulit in insulam Crumissam. Quod cum proci eam scissent ibi morari, nave comparata Crumissam contendere coeperunt. Neptunus ut eos deciperet, Theophanen in ovem commutavit formosissimam, ipse [se] autem in arietem, cives autem Crumissenses in pecora. Quo cum proci venissent, neque ullum hominem invenirent, pecora mactare coeperunt, atque ea victu consumere. Hoc Neptunus ut vidit, in pecora commutatos consumi, procos in lupos convertit; ipse autem, ut erat aries, cum Theophane concubuit. Ex quo natus est aries Chrysomallus, qui Colchos Phrixum vexit. Cuius pellem Aeeta in luco Martis habuit positam; quam Iason sustulit.

CLXXXIX. Procris.

Procris, Pandionis filia. Hanc Cephalus, Deionis filius, habuit in coniugio. Qui cum mutuo amore tenerentur, alter alteri fidem dederunt, ne quis cum alio concumberet. Cephalus autem cum studio venandi teneretur, et matutino tempore in montem exisset, Aurora, Tithoni coniunx, eum adamavit, petitque ab eo concubitum. Cui Cephalus negavit, quod Procri fidem dederat. Tunc Aurora ait: Nolo ut fallas fidem, nisi illa prior fefellerit. Itaque commutat eum in hospitis

---

10. Bysaltidis. 14. Theophanem. 15. se om. 21. Phryxum. 22. Aeta. 28. aurora Titoni.

---

2. Hippothoum] cf. cp. 172; Ov. Met. 8, 307. Hippothoon est ap. Paus. 1, 5, 2. — Cap. CLXXXVIII. v. 10. Bisaltidis] vulg. Bysaltidis. Meziriac. legendum putat Bisalti; quod probat Burm. ad Ov. Met. 6, 117. — 12. Crumissam] Mic. coni. Cromiusam; Sch. Croionusam vel Crinissam; Meziriac Cromyusam vel Cromyonesum; M. Crionissam. — 14. Theophanen] Sic correxi. — 15. ipse se] Sic correxi, monente Sch. Cf. p. 108, 18. — Crumissenses] Lectio corrupta est. — 20. ariés] Ov. Met. 6, 117 aries Bisaltida fallis. — 21. Phrixum] Sic corr. St. — Cap. CLXXXIX. Apollod. 3, 15, 1; Schol. Hom. Od. 11, 321; Anton. Lib. cp. 41; Ov. Met. 7, 661 sqq.; Lact. arg. 7, 26; Serv. ad Aen. 6, 145; Myth. Vat. I, 44; II, 216. — 24. Procris etc.] Fortasse legendum Procris Erechthei Pandionis filii filia; cf. cp. 253 et Apollod. l. c. — Deionis] Sch. vult Deionei. Sed non mutanda est lectio. Idem enim Deion, qui Deioneus, ut ait M. —

Digitized by Google

figuram atque dat munera speciosa, quae Procri deferret. Quo cum Cephalus venisset, immutata specie, munera Procri dedit, et cum ea concubuit. Tunc ei Aurora speciem hospitis abstulit. Quae cum Cephalum vidisset, sensit, se ab Aurora deceptam, et inde profugit in Cretam insulam, ubi Diana venabatur. Quam cum Diana conspexisset, ait ei: 'Mecum virgines venantur; tu virgo non es, recede de hoc coetu.' Cui Procris indicat casus suos, et se ab Aurora deceptam. Diana misericordia tacta, dat ei iaculum, quod nemo evitare posset, et canem Laelapem, quem nulla fera effugere posset, et iubet eam ire et cum Cephalo contendere. Ea, capillis demptis, iuvenili habitu Dianae voluntate ad Cephalum venit, eumque provocavit; quem in venatione superavit. Cephalus, ut vidit, tantam potentiam canis atque iaculi esse, petit ab hospite, non aestimans coniugem suam esse, ut sibi iaculum et canem venderet. Illa negare coepit. Regni quoque partem pollicetur; illa negat. Sed si utique, ait, perstas id possidere, da mihi id, quod pueri solent dare. Ille amore iaculi et canis incensus, promisit se daturum. Qui cum in thalamos venissent, Procris tunicam levavit, et ostendit se feminam esse, et coniugem illius. Cum qua Cephalus, muneribus acceptis, redit in gratiam. Nihilominus illa timens Auroram, matutino tempore secuta eum, ut observaret, atque inter virgulta delituit. Quae virgulta cum Cephalus moveri vidit, iaculum inevitabile misit, et Procrin, coniugem suam, interfecit. Ex qua Cephalus habuit filium Arcesium, ex quo nascitur Laertes, Ulyssis pater.

CXC. Theonoe.

Thestor mantis habuit Calchantem filium, et Leucippen filiam, et Theonoen. Quam ludentem ad mare piratae rapuerunt, et detulerunt in Cariam. Quam rex Icarus sibi in concubinatum emit. Thestor autem, filia amissa, inquisitum profectus est; qui naufragio in terram Cariam venit, et in vincula est coniectus ibi, ubi et Theonoe morabatur. Leucip-

---

2. Quod cum. 3. spetiem. 8. hoc * tu. 11. concedere. 21. foeminam. 23. matitnno. 27. Archium. 31. a mari.

---

2. Quo cum] Ita recte plerique omnes scribunt. — 8. coetu] Sic correxi, monentibus Mic. aliisque. Idem B. invenit in Ms. Utitur eadem voce in simili re Ov. Met. 2, 465 et Fast. 2, 173. — 11. contendere] Sic correxi. Idem iam Mic. voluerat. — 20. tunicam lev.] Sic Ascon. in arg. Cic. or. pro Milone, et Tertull. Spect. 21. Tunicam allevare, infr. cp. 274. — 21. feminam] vulg. foeminam. — 24. observaret] Eodem sensu cp. 147; Ter. Andr. 1, 1 (de quo loco Serv. ad Ge. 4, 212), Martial. 7, 51. — 27. Arcesium] Sic correxi ex Hom. Od. 13, 182; Apollod. 1, 9, 7 aliisque. Idem iam Micyllo erat visum. Arcesii nomen restituit M. supra cp. 173. — Cap. CXC. v. 31. ad mare] Sic correxi. M. putat, Hyginum 'dixisse a mari' piratae pro maritimi piratae. Sed hoc ipsi relinquatur. — 34. in terram Cariam] Graecismus est, de quo dixi in Prolegg. —

Digitized by Google

pe autem, patre et sorore amissis, Delphos petit, an eorum foret investigatio. Tum Apollo respondit: Pro meo sacerdote per terras vade, et eos reperies. Leucippe sorte audita, capillos totondit, atque pro iuvene sacerdote circum terras exit investigatum. Quae cum in Cariam devenisset, et Theonoe eam vidisset, aestimans sacerdotem esse, in amorem eius incidit, iubetque ad se perduci, ut cum eo concumberet. Illa autem, quia femina erat, negat id posse fieri. Theonoe irata iubet sacerdotem includi in cubiculum, atque aliquem ex ergastulo venire, qui sacerdotem interficeret. Quem ad interficiendum mittitur senex Thestor, imprudens ad filiam suam. Quem Theonoe non agnovit, datque ei gladium, et iubet eum sacerdotem interficere. Qui cum intrasset, et gladium teneret, Thestorem se vocitari dixit, duabus filiis Leucippe et Theonoe amissis, ad hoc exitium venisse, ut sibi scelus imperaretur. Quod ille in se cum convertisset et vellet ipsum se interficere, Leucippe, audito patris nomine, gladium ei extorsit. Quae ad reginam interficiendam ut veniret, patrem Thestorem in adiutorio vocavit. Theonoe, patris nomine audito, indicat, se filiam esse eius. Icarus autem rex, agnitione facta, cum muneribus eum in patriam remisit.

CXCI. Rex Midas.

Midas, rex Mygdonius, filius Matris Idaeae, a Tmolo [iudex] sumptus eo tempore, quo Apollo cum Marsya vel Pane fistula certavit. Quod cum Tmolus victoriam Apollini daret, Midas dixit, Marsyae potius dandam. Tunc Apollo indignatus, Midae dixit: 'Quale cor in iudicando habuisti, tales et auriculas habebis.' Quibus auditis, effecit, ut asininas haberet aures.

---

8. foemina. 10. interfaceret. 12. Quam. 18. interfaciendam. 24. Migdonius. — Matris Deae. — Timolo * sumptus. 25. Marsia. 26. Timolus. 27. Marsiae.

---

1. petit] M. coni. petit sciscitatum. Quod probandum videtur. Ita etiam supra cp. 67, 88, 120, 122. — 2. Pro m. s.] i. e. induta eius persona, ut ait B. Statim in seqq. pro iuvene sacerdote, et cp. 24 pro sacerdote Dianae. — 8. femina] vulg. foemina. — 10. aliquem e. e.] Iustin. 1, 6 servum e. e. — 12. Quem] Sic correxi, monente Mic. — 14. vocitari] Eadem voce utitur noster cp. 14 et 97. — dixit] Fortasse sic legendum: dixit et etc. — 19. in adiutorio] Fortasse legendum adiutorio, i. e. auxilio. Illud in, ni fallor, ortum est ex ultima littera antecedentis vocabuli. — Cap. CXCI. Duae narrationes h. l. proponuntur; quarum in priore exponitur de Apollinis et Marsyae certamine. De qua re Ov. Met. 11, 145 sqq.; Lact. arg. 11, 4; Myth. Vat. I, 90; II, 117; Fulg. Myth. 3, 9. — 24. Idaeae] Sic correxi, monente Sch. Mater Idaea est Cybele. — Tmolo] vulg. Timolo. Sed legendum esse Tmolo vel Tymolo, iam olim complures dixerunt. Graecis *Τμῶλος* et *Τύμωλος* est. Prius apud Hyginum reponendum puto. Ovid. v. 156 l. c. Iudice sub Tmolo. Ita Lact. quoque in arg. et Myth. Vat. I, l. c. Tymolus est Ov. Met. 6, 15; 11, 155. Plinius H. N. 5, 29 haec profert: Tmolus qui antea Tymolus appellabatur. — iudex] Hoc addidi, monentibus Sch. aliisque. M. coni. 'cum Tmolo iudex sumtus,' vel a Tmolo assumtus. — 26. Tmolus] vulg. Timolus. — 29. auditis] Sch. coni. editis, h. e. dictis. —

Eo tempore Liber pater cum exercitum in Indiam duceret, Silenus aberravit. Quem Midas exceptum hospitio liberaliter accepit, atque ducem dedit, qui eum in comitatum Liberi deduceret. At Midae Liber pater ob beneficium, deoptandi dedit potestatem, ut quicquid vellet, peteret a se. [A] quo Midas petiit, ut quicquid tetigisset, aurum fieret. Quod cum impetrasset, et in regiam venisset, quicquid tetigerat, aurum fiebat. Cum iam fame cruciaretur, petit a Libero, ut sibi speciosum donum eriperet. Quem Liber iussit in flumine Pactolo se abluere. Cuius corpus aqua cum tetigisset, facta est colore aureo. Quod flumen nunc Chrysorrhoas appellatur in Lydia.

CXCII. Hyas.

Atlas ex Pleione, sive [ex Aethra] Oceanitide, duodecim filias habuit, et filium Hyantem. Quem ab apro vel leone occisum dum lugent sorores, ab eo luctu consumptae sunt. Ex his quinque primae inter sidera relatae, locum habent inter cornua tauri, Phaesyla, Ambrosia, Coronis, Eudora, Polyxo. Quae a fratris nomine appellantur Hyades; easdem Latine Suculas vocant. Quidam aiunt in modum Y litterae positas, inde Hyadas dici; nonnulli, quod, cum oriantur, pluvias efficiant; est autem Graece *ὕειν* pluere. Sunt, qui existiment, ideo has in sideribus esse, quod fuerint nutrices Liberi patris, quas Lycurgus ex insula Naxo ediderat. Ceterae sorores postea *luctu* consumptae, sidera factae sunt; et quia

---

1. cum exceptum. 2. Midas exercitum. 5. A om. 9. spetiosum. 10. aquam. 14. ex Aethra om. 22. hyin. 24. Caeterae. 25. facta.

---

1. Eo etc.] Incipit fabula de Mida rege et Pactolo fluvio. Ov. Met. 11, 85 sqq.; Lact. arg. 11, 3; Serv. ad Aen. 10, 142, ad Ecl. 6, 13. — exercitum] Olim h. l. exceptum, et in sqq. exercitum. Transposuit verba M., monente C. — 3. dedit] Sch. coni. ei dedit. — 4. deoptandi etc.] Ovid. l. c. v. 100 sq. Huic Deus optandi gratum, sed inutile, fecit Muneris arbitrium. Lact. l. c. optandi veniam dedit. 5. A quo] Sic correxi, monente W. Ita enim Hyginus aliis locis dicere solet. Cap. 257 A quo Moerus petiit etc. — 9. speciosum donum] Ovid. l. c. v. 133 speciosum damnum. Infr. cp. 189 munera speciosa. — 10. aqua] Sic correxi, monente H. — Cap. CXCII. Schol. Hom. Il. 18, 486; Hyg. Astr. 2, 21; Ov. Fast. 5, 164 sqq.; Serv. ad Ge. 1, 138 et ad Aen. 1, 744; Schol. Germ. p. 56 et 65 sq.; Myth. Vat. I, 234. — 13. Hyas] Fortasse legendum Hyades, vel Hyades et Pleiades. Nam de his sermo est. — 14. sive etc.] Ita legendum esse iam vidit Mic. Vulgo 'sive Oceanitide.' Aethrae Oceani et Tethydis filiae meminerunt Schol. Hom. l. c.; Ovid. v. 171 l. c. — 15. ab apro etc.] cf. cp. 248; Ov. Fast. v. 175 sq. l. c. — 18. Phaesyla etc.] cf. Schol. Hom. et Hyg. Astr. l. c. — 19. a fratris nomine] Ov. Fast. l. c. v. 182. Alii alia litteris mandaverunt; ed qua re plura persecuti sunt Hyg. Astr. l. c.; Gell. N. A. 13, 9; Schol. Hom. et Serv. l. c. — 22. *ὕειν*] Ita rescripsi, monente Mic. — Sunt etc.] Pherecyd. ap. Hyg. Astr. l. c. — 24. ediderat] Puto legendum eiecerat. Supra p. 102, 24 a quo eiectus est. B. coni. edicto eiecerat; M. exegerat. Sch. accipiendum putat ediderat pro eiecerat. — Ceterae] vulg. Caeterae. — 25. factae] Sic scripsi monente H. —

Digitized by Google

plures erant, Pleiades dictae. Nonnulli existimant ita nominatas, quia inter se coniunctae, quod est πλήσιον, adeo autem confertae sunt, ut vix numerentur; nec unquam ullius oculis certum est, sex an septem numerentur. Earum nomina haec sunt: Electra, Alcyone, Celaeno, Merope, Sterope, Taygeta et Maia. Ex quibus Electram negant apparere, propter Dardanum amissum Troiamque sibi ereptam. Alii existimant Meropen conspicere erubescere, quia mortalem virum acceperit, cum ceterae deos haberent. Ob eamque rem de choro sororum expulsa, moerens crinem solutum gerit; quae cometes appellatur, sive lonchotos, quia in longitudinem producitur, sive xiphias, quia gladii mucronis effigiem producit. Ea autem stella luctum portendit.

CXCIII. Harpalycus.

Harpalycus, rex Amymoniorum, Thrax, cum haberet filiam Harpalycen, amissa matre eius, vaccarum equarumque eam uberibus nutrivit, et crescentem armis exercuit, habiturus successorem regni sui. Postmodum nec spes paternas puella decepit; nam tantum bellatrix evasit, ut etiam saluti fuerit parenti. Nam revertens a Troia Neoptolemus, cum expugnaret Harpalycum, gravique eum vulnere affecisset, illa periturum patrem impetu facto conservavit, fugavitque hostem. Sed postea Harpalycus per seditionem civium interfectus est. Harpalyce graviter tum ferens patris mortem, contulit se in silvas, ibique vastando iumentorum stabula, tandem concursu pastorum interiit.

---

2. plesion. — ideo. 5. Alcione. — Celeno. 8. Meropem. 9. caeterae. 11. longodes. 12. xifax. 14. Harpalicus. 15. Harpalicus. — Amymneorum. — Harpalicen. 21. Harpalicum. 23. Harpalicus. 24. Harpalice. 25. sylvas.

---

1. πλήσιον] vulg. plesion. Mic. i. m. πλήσιον. — adeo] Sic correxi, monente H. — 4. sex etc.] Sex tantum apparere, Hyg. Astr. l. c.; Ov. Fast. 4, 170 aliique dixerunt. In frgm. Phaen. Ovid. haec legimus: Sex tantum apparent: sub opaca septima nube est. — Earum nomina] cf. p. 30, 5; Arat. Phaen. 262; Eratosth. cp. 14; Ov. Fast. 4, 170 sqq.; Hyg. Astr. et Serv. ad Ge. l. c. — 7. propter etc.] Hyg. Astr. l. c. — 8. Meropen] Sic corr. M. — conspicere] Mic. coni. conspici. B. ex Ms. legendum putat conspici se; quod nec Munckero displicuit. — 9. ceterae] vulg. caeterae. — 11. lonchotos] Sic scripsi ex Gr. λογχωτός, monente Sch. — 12. xiphias] Sic scripsi, monente Sch., ex Gr. ξιφίας. Cf. Plin. H. N. 2, 25; Serv. ad Aen. 10, 272. — gladii mucronis] Sic supra arbores populi, aliaque id genus. Cf. p. 111, 2. — Cap. CXCIII. Serv. ad Aen. 1, 317. — 14. Harpalycus] vulg. h. l. et alibi Harpalicus. Scripsi ubique Harpalycus ex Gr. Ἁρπάλυκος. — 15. Amymoniorum] Sic correxi h. l. et cp. 252 ex Serv. l. c. Idem iam Sch. voluerat. — Harpalyce] vulg. Harpalice, h. l. et in sqq. — 19. tantum] Sch. coni. in tantum. — bellatrix] Sic Verg. Aen. 1, 493. — 25. silvas] vulg. sylvas. —

Digitized by Google

CXCIV. Arion.

Arion Methymnaeus, cum esset arte citharae potens, rex Periandrus Corinthius eum dilexit. Qui cum a rege petiisset, per civitatem artem suam illustrare, et magnum patrimonium acquisisset, consenserunt famuli cum nautis, ut eum interficerent. Cui Apollo in quietem venit, eique dixit, ut ornatu suo et corona decantaret, et eis se traderet, qui ei praesidio venissent. Quem cum famuli et nautae vellent interficere, petiit ab eis, ut ante decantaret. Cum autem citharae sonus et vox eius audiretur, delphini circa navem venerunt; quibus ille visis, se praecipitavit. Qui eum sublatum attulerunt Corinthum ad regem Periandrum. Qui cum ad terram exisset, cupidus viae, delphinum in mare non propulit; qui ibi exanimatus est. Qui cum casus suos Periandro narrasset, iussit Periandrus delphinum sepeliri, et ei monimentum fieri. Post paucum tempus nuntiatur Periandro, navem Corinthum delatam tempestate, in qua Arion vectatus fuerat. Quos cum perduci ad se imperasset, et de Arione inquireret, dixerunt, eum obisse, et eum sepulturae tradidisse. Quibus rex respondit: Crastino die ad delphini monimentum iurabitis. Ob id factum eos custodiri imperavit, atque Arionem iussit ita ornatum, quomodo se praecipitaverat, in monimento delphini mane delitescere. Cum autem rex eos adduxisset, iussissetque eos per delphini manes iurare Arionem obisse, Arion de monimento prodit. Quod illi stupentes, qua divinitate servatus esset, obmutuerunt. Quos rex

---

2. Methimnaeus. — cytharae. — Pyranthus. 9. petit. — cytharae. 12. Pyranthum. 14. Pyrantho. 15. Pyranthus. 16. Pyrantho.

Cap. CXCIV. Herod. 1, 23; Hyg. Astr. 2, 17; Ov. Fast. 2, 91 sqq.; Gell. N. A. 16, 19, 1; Serv. ad Ecl. 8, 55; Myth. Vat. I, 95; II, 172; Schol. Germ. p. 76; Eratosth. cp. 21. — Scribendi genus quod in narratione de Arione comparet, in multis recedit ab elegantia sermonis, quam aliis locis auctor huius libri affectat. — 2. Methymnaeus] Sic corr. L. Methymna urbs Lesbi fuit. — arte cith. pot.] Schol. Germ. l. c. citharae potens. — Periandrus] Sic correxi h. l. et in sqq. ex Serv. l. c. aliisque. Idem Munckero erat visum. Periandrus pro Periander legimus etiam infra cp. 221 in versibus antiqui poetae et apud Sidon. carm. 23. Similiter aliis locis Hyginus dicit Euandrus, Maeandrus; de qua re dixi in Prolegg. — 3. per etc.] M. coni. civitatem per artem suam illustrare, vel, ut per civitates alias artem suam illustraret'. Serv. ad Ecl. l. c. haec habet: cum a rege Periandro petiisset, ut sibi liceret peragrare alias civitates; Schol. Germ. l. c. ut civitatem arte sua illustraret. — 4. magnum patrimonium] i. e. magnas opes. Voce patrimonium simili fere sensu utitur Iustin. 14, 3. — 6. in quietem venit] i. e. in somno apparuit. — ornatu suo] i. e. citharoedi habitu; quem describit Ov. Fast. l. c. — 9. petiit] Sic correxi ex Schol. Germ. l. c. — 11. se praec.] Serv. l. c. in mare se praecipitavit, et exceptus ab uno delphine etc.; Schol. Germ. l. c. super unum ex his se praecipitavit, qui eum sublatum etc. — 12. Corinthum] Schol. Germ. l. c. Paulo aliter rem narrant Ov. Fast., Hyg. Astr. et Serv. l. c. — 13. propulit] Perperam in ed. Herv. et Sch. protulit. — 16. paucum tempus] Schol. Germ. l. c. aliquantulum temporis. — 17. vectatus] Schol. Germ. devectus. — 19. obisse] Schol. Germ. obiisse. — tradidisse] Sch. coni. tradidisse se. —

Digitized by Google

iussit ad delphini monimentum cruci figi. Apollo autem propter artem citharae Arionem et delphinum in astris posuit.

CXCV. Orion.

Iovis, Neptunus, Mercurius in Thraciam ad Hyrieum regem in hospitium venerunt. Qui ab eo cum liberaliter essent excepti, optionem ei dederunt, si quid peteret. Ille liberos optavit. Mercurius de tauro, quem Hyrieus ipse eis immolarat, corium protulit. Illi in eum urinam fecerunt, et in terram obruerunt; unde natus est Orion. Qui cum Dianam vellet violare, ab ea est interfectus. Postea ab Iove in stellarum numerum est relatus, quam stellam Orionem vocant.

CXCVI. Pan.

Dii in Aegypto cum Typhonis immanitatem metuerent, Pan iussit eos, ut in feras bestias se converterent, quo facilius eum deciperent. Quem Iovis postea fulmine interfecit. Pan deorum voluntate, quod eius monitu vim Typhonis evitarant, in astrorum numerum relatus; et quod se in capram eo tempore converterat, inde Aegocerus est dictus, quem nos Capricornum dicimus.

CXCVII. Venus.

In Euphratem flumen de coelo ovum mira magnitudine cecidisse

---

1. munimentum. — crucifigi. 2. cytharae. 4. ad Byrseum. 7. quem Hercules Ypseo ei.

---

1. cruci figi] Sic scripsi h. l. et cp. 257. — 2. Arionem et delphinum] Schol. Germ. l. c. Alii autem Arionem inter astra relatum esse, non prodiderunt. Sch. coni. citharam Arionis et delphinum. Serv. ad Ecl. l. c. sed Apollo tam delphinum, quam citharam ob amorem Arionis inter sidera collocavit. — Cap. CXCV. Apollod. 1, 4, 3; Anton. Lib. cp. 25; Schol. Hom. Il. 18, 486; Parthen. Erot. cp. 20; Ov. Fast. 5, 494 sqq.; Hyg. Astr. 2, 34; Serv. ad Aen. 1, 535; Schol. Stat. Th. 3, 27; Schol. Germ. p. 76 sq.; Myth. Vat. I, 32; II, 32. — 4. Iovis] pro Iuppiter. — in Thraciam] cf. Nigid. ap. Schol. Germ. l. c. Alii alia tradiderunt. — Hyrieum] Sic correxi. Idem iam olim Gronov. et H. voluerunt. Mic. i. m. Hyreus. Sane Hyreus in codd. Latinis invenitur, sed legendum est Hyrieus ex Gr. 'Υριεύς. Idem nomen restitui supra cp. 157. — regem] Ov. Fast. v. 499 l. c. eum appellat angusti agri cultorem. — 6. si quid peteret] Fortasse legendum si quid vellet, peteret. Schol. Stat. l. c. optionem dederunt, ut si quid vellet ab eis exposceret. — 7. quem etc.] Emendavi ex sententia Gronovii; quam firmant illa Ovidii Fast. 5, 515 sq.; Schol. Stat. et Schol. Germ. l. c. — 8. eum] M. coni. id; Sch. putat Hyginum dixisse in nominativo corius pro corium, ut Plaut. in Poen. 1, 1, 11. Schol. Stat. l. c. haec habet: Illi in eo urinam fecere, unde etc. — in terram obruerunt] Ov. v. 533 l. c. Tum superiniecta texere madentia (sc. terga iuvenci) terra. — 9. Orion] Serv. l. c. Cui nomen ab urina impositum. Idem narrant Ov. Fast. v. 535 l. c.; Hyg. Astr. l. c. aliique complures. — Cap. CXCVI. Hom. h. in Apollinem; Ov. Met. 5, 321 sqq.; Hyg. Astr. 2, 28; Eratosth. cp. 27; Anton. Lib. cp. 28; Ampelius cp. 2; Theo ad Arat. Phaen. v. 283; Schol. Germ. p. 70 sq. Buhle. — 13. iussit eos ut] cf. cp. 55. — 15. Iovis] pro Iuppiter. — Cap. CXCVII. Hyg. Astr. 2, 30; Nigidius ap. Schol. German. p. 62; Ampelius cp. 2. — 21. In etc.] B. ex Ms. haec profert: In Eufratem fluvium de coelo ovum mira proportione cecidisse dicitur; cum id pisces ad ripam evolverunt super columbae quod consederunt, et excalfactum exclusit Deam Venerem quae postea Dea Syria est appellata. Haec iusticia et probitate cum caeteros exsuperasset etc. —

Digitized by Google

dicitur. Quem pisces ad ripam evolverunt; super quod columbae consederunt, et excalfactum exclusisse Venerem, quae postea dea Syria est appellata, et iustitia et probitate cum ceteros exsuperasset, ab Iove optione data, pisces in astrorum numerum relati sunt; et ob id Syri pisces et columbas ex deorum numero habent, non edunt.

CXCVIII. Nisus.

Nisus, Martis filius, sive ut alii dicunt, Pandionis filius, rex Megarensium, in capite crinem purpureum habuisse dicitur. Cui responsum fuit, tam diu eum regnaturum, quamdiu eum crinem custodisset. Quem Minos, Iovis filius, oppugnatum cum venisset, a Scylla, Nisi filia, Veneris impulsu, est amatus. Quem ut victorem faceret, patri dormienti fatalem crinem praecidit. Itaque Nisus victus a Minoe est. Cum autem Minos Cretam rediret, eum ex fide data rogavit, ut secum aveheret. Ille negavit Creten sanctissimam tantum scelus recepturam. Illa se in mare praecipitavit, ne persequeretur. Nisus autem dum filiam persequitur, in avem haliaeeton, id est aquilam marinam conversus est; Scylla filia in piscem, Cirim quem vocant. Hodieque si quando ea avis eum pi-

---

3. iusticia. 4. caeteros. — exuperasset et. 8. Deionis filius. 10. resposum. 18. halieton.

---

1. Quem] Mic. coni. quod; Sch. quum. Schol. Germ. l. c. Quod volventes eiecerunt in terram. — super etc.] B. coni. super columbae quaedam sederunt; M. superque id columbae consederunt; Sch. superque et columbae consederunt, excalfactum etc. — 2. consederunt] Schol. Germ. l. c. atque ita columbam insedisse. — excalfactum] B. vult ex Ms. excalfactum exclusit; M. coni. excalfacto eo excluserunt. — 3. et iustitia] In Ms. B. Haec iusticia. Sch. coni. Ea et iustitia; M. Ea iustitia. — 4. ceteros] vulg. caeteros. — exsuperasset, ab] Sic scripsi, monente Sch. Munckerus coni. 'exsuperasset, ei ab.' Sed pronomen et aliis locis saepius omittitur in hoc libro. — 5. ob id etc.] cf. Hyg. Astr. 2, 30; Ov. Fast. 2, 458; Eratosth. cp. 41; Myth. Vat. III, 15, 12. — 6. non] Fortasse legendum nec. Quod et Munckero praeter alia venerat in mentem. Sch. coni. columbas, quas ex Deorum numero habent, non edunt. — Cap. CXCVIII. Apollod. 3, 15, 8; Ov. Met. 8, 1 sqq.; Lact. arg. 8, 1; Schol. Eur. Hipp. 1190; Serv. ad Ecl. 6, 74; Propert. 3, 17, 21 sqq.; Myth. Vat. I, 3; II, 123. — 8. Pandionis] Sic scripsi monente Meursio, ex Apollod. l. c. aliisque. — 13. fatalem crinem] cf. cp. 242; Ov. Met. 8, 85; Schol. Stat. Th. 1, 332. — 16. Creten] Sic Ov. Met. 8, 99. Idem restitui supra cp. 139. — tantum scelus] Ovid. v. 100. l. c. tantum monstrum. — 17. persequeretur] B. sensu passivo accipiendum putat. Sch. coni. ne pater persequeretur; M. ut persequeretur, scil. Minoem. — 18. haliaeeton] Sic corr. St. Munckerus haliaeeton vel haliaeton legendum putat. Graecis *ἁλιάετος* sive *ἁλιαίετος* est. Cf. Ovid. v. 146 l. c.: Plin. H. N. 10, 3; Schol. Ar. Nub. 892; Anton. Lib. cp. 11. — 19. in piscem] Plerique omnes, qui de hac Scylla scripserunt, in avem eam mutatam dicunt, cui nomen fuerit *κεῖρις*, Ciris. Cave tamen, ne Hyginum, qui in piscem eam commutatam tradit, inscitiae accuses. *Κίῤῥις ὁ ἰχθύς* commemoratur in Etym. M. s. v. Plenissime de hac re scribit Heyne ad Virg. Vol. 5 p. 113 sqq. Serv. ad Aen. 6, 286 haec profert: Nam Scylla, filia Nisi, secundum alios in avem conversa est, secundum alios in piscem'. Hyginus fortasse tragici cuiusdam poetae auctoritatem secutus est. —

Digitized by Google

scem natantem conspexerit, mittit se in aquam, raptumque unguibus dilaniat.

CXCIX. Scylla altera.

Scylla, Crataeidis fluminis filia, virgo formosissima dicitur fuisse. Hanc Glaucus amavit, Glaucum autem Circe, Solis filia. Scylla autem cum assueta esset in mari lavari, Circe, Solis filia, propter zelum, medicamentis aquam inquinavit. Quo Scylla cum descendisset, ab inguinibus eius canes sunt nati, atque ferox facta. Quae iniurias suas executa est; nam Ulyssem praenavigantem sociis spoliavit.

CC. Chione.

Cum Chione, sive, ut alii poetae dicunt, Philonide, Daedalionis filia, Apollo et Mercurius una nocte concubuisse dicitur. Ea peperit ex Apolline Philammonem, ex Mercurio Autolycum. Quae postea in venatione in Dianam est locuta superbius. Itaque ab ea sagittis est interfecta. At pater Daedalion unicam filiam flendo, ab Apolline est conversus in avem daedalionem, id est accipitrem.

CCI. Autolycus.

Mercurius Autolyco, ex Chione quem procreaverat, muneri dedit, ut furacissimus esset, nec deprehenderetur in furto; ut quicquid surripuisset, in quamcunque effigiem vellet, transmutaretur, ex albo in nigrum, vel ex nigro in album, in cornutum ex mutilo, in mutilum ex cornuto. Is cum Sisyphi pecus assidue involaret, nec ab eo posset deprehendi, sensit eum furtum sibi facere, quod illius numerus augebatur, et suus minuebatur. Qui ut eum deprehenderet, in pecorum

---

4. Cratetis. 7. Zelum.

Cap. CXCIX. Serv. ad Ecl. 6, 74, ad Aen. 3, 420; Myth. Vat. I, 3; II. 169; Fulg. Myth. 2, 12; Lact. arg. 14, 1. — 4. Crataeidis] Sic corr. St., monente M. Sciendum Hyginum aliis locis (cf. p. 31, 11 et cp. 151) Scyllam Typhonis et Echidnae filiam appellare. Diversis igitur, ut iam supra dixi, de hac re auctoribus usus est. — fluminis] Plin. H. N. 3, 10, 73 Crataeis fluvius, mater (ut dixere) Scyllae. Eadem legimus ap. Solin. 2, 22. — 5. Glaucus] cf. Schol. Ap. Rh. 1, 1310; Bode ad Myth. Vat. p. 170. — 7. zelum] Eadem voce utitur Fulg. Myth. lib. 1 p. 615 ed. Stav., et 1, 5 p. 632. — 8. canes s. n.] cf. cp. 151. — 9. atque etc.] M. coni. Quae ferox facta atque iniurias suas executa est. — Cap. CC. Ov. Met. 11, 291 sqq.; Lact. arg. 11, 8. — 12. Philonide] Pherecyd. ap. Schol. Hom. Od. 19, 432. — 18. daedalionem] Sch. coni. aesalonem ex Gr. *αἰσάλων*, cuius meminerunt Aristot. Hist. Anim. 9, 46; Plin. H. N. 10, 8. — Cap. CCI. Pherecyd. ap. Schol. Hom. Od, 19, 394; fragm. Autol. Eurip. p. 99 sqq. Matth. p. 350 sq. ed. Nauck. Schol. Soph. Ai. 190; Serv. ad Aen. 2, 79 et 6, 529. — 21. ut fur. esset] Hom. Od. 19, 396; Ov. Met. 11, 313 sqq.; Pherecyd. et Serv. l. c. — 23. ex albo etc.] Ov. Met. v. 315 l. c. — 24. mutilo] Donat. ad Ter. Hec. 1, 1 Mutili dicti sunt boves aut capri sine cornibus. —

Digitized by Google

ungulis notam imposuit. Qui cum solito more involasset, et Sisyphus ad eum venisset, pecora sua ex ungulis deprehendit, quae ille involaverat, et abduxit. Qui cum ibi moraretur, Sisyphus Anticliam, Autolyci filiam, compressit. Quae postea Laertae data est in coniugium, ex qua natus est Ulysses; ideo nonnulli auctores dicunt Sisyphi filium. Ob hoc Ulysses versutus fuit.

CCII. Coronis.

Apollo cum Coronida, Phlegyae filiam, gravidam fecisset, corvum custodem ei dedit, ne quis eam violaret. Cum ea Ischys, Elati filius, concubuit; ob id ab Iove fulmine est interfectus. Apollo Coronidem gravidam percussit, et interfecit; cuius ex utero exsectum Asclepium educavit. At corvum, qui custodiam praebuerat, ex albo in nigrum commutavit.

CCIII. Daphne.

Apollo Daphnen, Penei fluminis filiam, cum virginem persequeretur, illa a Terra praesidium petit. Quae eam recepit in se, et in arborem laurum commutavit. Apollo inde ramum fregit, et in caput imposuit.

CCIV. Nyctimene.

Nyctimene, Epopei regis Lesbiorum filia, virgo formosissima dicitur fuisse. Hanc Epopeus pater, amore incensus, compressit; quae pudore tacta silvis occultabatur. Quam Minerva

---

2. venisset et. 6. autores. — dicunt Ypsipylon. 9. Phlegiae. 10. ea et Chylus Elati. 13. exectum. 17. Penaei. 18. terra. 24. sylvis.

---

1. notam] Festus: Nota nunc significat signum, ut in pecoribus etc. — 2. venisset etc.] Sic scripsi monente Sch. — 3. Qui cum ibi moraretur Sisyphus] Simile quid est supra cp. 29. — 6. auctores] vulg. autores. — Sisyphi filium] Sic scripsi pro ypsipylon. Mic. voluit Sisyphium; M. Sisyphiden, vel Sisyphi filium. Ulysses saepius Sisyphi filius vocatur a Tragicis Graecis (cf. Schol. Soph. Ai. 190); item ab Ov. Met. 13, 31 sq.; A. Am. 3, 313; Schol. Stat. Ach. 3, 76. — Cap. CCII. Apollod. 3, 10, 3 sq.; Schol. Pind. Pyth. 3, 48; Hyg. Astr. 2, 40; Ov. Met. 2, 531 sqq.; Serv. ad Aen. 6, 618; Schol. Stat. Th. 3, 506; Lact. arg. 2, 7; Fulg. Myth. I, 12; Myth. Vat. I, 46 et 115; II, 22 et 128. — 9. Phlegyae] Sic corr. L. — 11. Ischys] Plerique omnes scribunt et Chylus; contra C. et L. Alcionetus. Sed legendum est Ischys, ut M. aliique iam olim dixerunt, ex Apollod. l. c. aliisque. Idem restituendum est pro Lycus apud Schol. Stat., et Myth. Vat. II, l. c. — 13. Asclepium] Ita et aliis locis Apollinis et Coronidis filius ab Hygino appellatur; contra Aesculapius cp. 49 et 173. — Cap. CCIII. Ov. Met. 1, 452 sqq.; Lact. arg. 1, 9; Serv. ad Aen. 3, 91; Schol. Stat. Th. 1, 554; Palaeph. cp. 50. — 17. Penei] Sic corr. M. — 18. Terra] vulg. terra. — Cap. CCIV. Ov. Met. 2, 589 sqq.; Serv. ad Ge. 1, 403; Schol. Stat. Th. 3, 507; Myth. Vat. I, 98; II, 39; Hyg. cp. 253. — 22. Epopei] cf. Burm. ad Ov. Met. 2, 590. — 24. silvis] vulg. sylvis. —

Digitized by Google

miserata, in noctuam transformavit; quae pudoris causa in lucem non prodit, sed noctu paret.

CCV. Arge.

Arge venatrix cum cervum sequeretur, cervo dixisse fertur: 'Tu licet Solis cursum sequaris, tamen te consequar.' Sol iratus, in cervam eam convertit.

CCVI. Harpalyce.

Clymenus, Schoenei filius, rex Arcadiae, amore captus, cum Harpalyce filia sua concubuit. Ea cum peperisset, in epulis filium apposuit patri. Clymenus pater re cognita, Harpalycen interfecit.

CCXIX. Archelaus.

Archelaus, Temeni filius exul, a fratribus eiectus, in Macedoniam ad regem Cisseum venit. Qui cum a finitimis oppugnaretur, Archelao regnum et filiam in coniugium dare pollicetur, si se ab hoste tutatus esset. Archelaus, quia ab Hercule esset

---

2. patet. 7. Harpalice. 8. Harpalice. 9. filiam. 10. Harpalicen. 13. Timeni.

---

2. paret] vulg. patet; quod ferri minime potest. B. voluit paret, vel parit; Sch. et M. paret. Sane nonnulli veteres parere pro apparere dixerunt; de qua re Keuchen. ad Frontin. de re agrar. p. 394. — Cap. CCV. 3. Arge] Hanc aliunde non novi. M. delegat lectores ad Bochartum Hieroz. Part. 1, col. 883. — Cap. CCVI. Parthen. cp. 46; Schol. Stat. Th. 5, 120; Hyg. cp. 238, 239, 242, 246, 253, 255. — 7. Harpalyce] vulg. Harpalice h. l. et in sqq. — 8. Schoenei] L. habet Oenei, quod voluerat C. Sane hoc praeferendum videtur ex Apollod. 1, 8, 1 et Hyg. cp. 238. Cf. cp. 242 et 246. — 9. filium] Sic correxi, monente M.; cf. cp. 238, 239, 246; Schol. Stat. l. c. — 11. interfecit] Ni fallor, h. l. nonnulla exciderunt una cum aliis narrationibus. Nam secundum cp. 242 Clymenus et ipse se interfecit. — Cap. CCVII. — CCXVIII. Mic. haec addit: 'Desiderantur hoc loco capita duodecim, ut ex indice apparet.' — Quae Hyginus in his narrationibus tradiderit, quum ex inscriptionibus earum et aliis Hygini locis, tum ex fabulis aliorum scriptorum, qui cum Hygino in multis consentiunt, coniici potest. De qua re quae dicenda videntur, protinus proponam. — Cap. 207. Macareus] Hyg. cp. 238, 242, 243; Ov. Trist. 2, 1, 384. — Cap. 208. Rhodos] Ov. Met. 4, 204. — Cap. 209. Cyrene] Ap. Rh. Argon. 2, 500 sqq.; Hyg. cp. 161; Myth. Vat. I, 76; II, 44. — Cap. 210. Hecatea] Lectio corrupta est. — Cap. 211. Herse] Lact. arg. 2, 12. — Cap. 212. Endymion] Serv. ad Ge. 3, 391; Fulg. Myth. 2, 19; Myth. Vat. I, 229; II, 28. Cap. 213. Atys] Narrationem Hygini, ni fallor, servavit Myth. Vat. I, 230. Praeterea vid. Fulg. Myth. 3, 5. — Cap. 214. Narcissus] Myth. Vat. I, 185; II, 180; Lact. arg. 3, 6. — Cap. 215. Hermaphroditus] Lact. arg. 4, 11; Myth. Vat. III, 9, 2. — Cap. 216. Eurydice] cf. supra cp. 164; Schol. Stat. Th. 8, 59; Myth. Vat. I, 76; II, 44. — Cap. 217. Maleas] Fortasse legendum Maleus; cf. Schol. Stat. Th. 4, 224; Myth. Vat. II, 188. — Cap. 218. Hyacinthus] Lact. arg. 10, 5; Serv. ad Ecl. 3, 63; Schol. Stat. Th. 4, 223; Myth. Vat. I, 117; II, 181. — Cap. CCXIX. Fragm. Archel. Eurip. p. 84 sqq. Matth. p. 339 sqq. ed. Nauck. — 13. Temeni] Sic correxi ex cp. 124; Apollod. l. c. aliisque. Idem voluit M. — 16. esset etc.] Olim male sic distinguebatur: 'esset Archelaus, quia etc.' — quia etc.] Sch. coni. Archelaus, ut qui ab Herculo esset oriundus (nam Timenus Herculis filius fuit) hostes uno praelio fugavit, ab etc. —

Digitized by Google

oriundus (nam Temenus Herculis filius fuit) qui * hostes uno proelio fugavit, et ab rege pollicita petiit. Ille ab amicis dissuasus, fidem fraudavit, eumque per dolum interficere voluit. Itaque foveam iussit fieri, et multos carbones eo ingeri et incendi, et super virgulta tenuia poni. Quo cum Archelaus venisset, ut decideret, hoc regis servus Archelao patefecit. Qui re cognita dicit, se cum rege colloqui velle secreto. Arbitris semotis, Archelaus regem arreptum in foveam coniecit, atque ita eum perdidit. Inde profugit ex responso Apollinis in Macedoniam, capra duce, oppidumque ex nomine caprae Aegeas constituit. Ab hoc Alexander Magnus oriundus esse dicitur.

CCXX. Cura.

Cura cum quendam fluvium transiret, vidit cretosum lutum; sustulit cogitabunda, et coepit fingere hominem. Dum deliberat secum, quidnam fecisset, intervenit Iovis. Rogat eum Cura, ut ei daret spiritum; quod facile ab Iove impetravit. Cui cum vellet Cura nomen suum imponere, Iovis prohibuit, suumque nomen ei dandum esse dixit. Dum de nomine Cura et Iovis disceptarent, surrexit et Tellus, suumque nomen ei imponi debere dicebat, quandoquidem corpus suum praebuisset. Sumpserunt Saturnum iudicem; quibus Saturnus secus videtur iudicasse: 'Tu Iovis quoniam spiritum dedisti, corpus recipito. Cura quoniam prima eum finxit, quamdiu vixerit, cura eum possideat. Sed quoniam de nomine eius controversia est, homo vocetur, quoniam ex humo videtur esse factus.'

CCXXI. Septem sapientes.

Pittacus Mitylenaeus, Periander Corinthius, Thales Milesius, Solon Atheniensis, Chilon Lacedaemonius, Cleobulus Lindius, Bias Prieneus. Sententiae eorum sunt:

---

1. Timenus. 2. petit. 3. disuasus. 18. Qui cum.

---

1. nam etc.] Haec parenthesi inclusi. — Temenus] vulg. Timenus. — Herculis] Ex vulgari fama Aristomachi filius fuit. Idem tradit Hyg. cp. 124. — qui] Sch. et M. eiiciendum putant. B. ex Ms. haec profert: qui tot hostes. — 2. petiit] Sic correxi. — 4. eo] i. e. in eam foveam, ut ait M. — 5. Quo cum] Sic supra cp. 199 quo Scylla cum descendisset. — 6. ut] Sch. coni. ut ne. — 8. secreto etc.] Omnes sic distinguunt: secreto, arbitris semotis. Archelaus etc.' Emendavi ex sententia M. Schefferus eiiciendum putat secreto. — 9. Inde etc.] Simile quid, ut iam M. indicavit, legimus de Carano apud Iustin. 7, 1 et Solin. cp. 14. — 11. Aegeas] Sic Iustin. l. c. Sch. voluit Aegas. — Cap. CCXX. Expressit hanc fabulam Godofredus Herder in carmine quod inscribitur 'Das Kind der Sorge.' — 16. Iovis] pro Iuppiter. — 18. Cui] Sic correxi, monente Mic. — 23. secus] i. e. non bene, κακῶς, ut interpretatur M. — 24. corpus] B. coni. cor. Sed non mutanda est lectio. — 25. eum p.] Sch. coni. animum p. Quod probat M. — Cap. CCXXI. — 31. Sententiae] cf. Plat. Protag. 3 p. 153 ed. Bip.; Paus. 1, 22 sq.; 10, 24; Plin. H. N. 7, 32; Ael. V. H. 4, 41; Augustin. C. D. 18, 24; Lact. Firm. 4, 1; Auson. p. 270 sqq. ed Toll.; Anthol. Gr. lib. 1 ep. 7 et lib. 3 ep. 18—24; Burm. Anthol. lib. 3 ep. 109 et lib. 6 ep. 60. —

Digitized by Google

Optimus est, Cleobulus ait, modus, incola Lindi.
Ex Ephyra Periandre doces, cuncta ut meditanda.
Tempus nosce, inquit Mitylenis Pittacus ortus.
Plures esse malos, Bias autumat ille Prieneus:
Milesiusque Thales sponsori damna minatur.
Nosce, inquit, tete, Chilon Lacedaemone cretus;
Cecropiusque Solon, ne quid nimis, induperabit.

CCXXII. Septem Lyrici. * * *

CCXXIII. Septem opera mirabilia.

Ephesi Dianae templum, quod fecit Amazon Otrera, Martis coniunx. Monimentum regis Mausoli, lapidibus lychnicis, altum pedes LXXX, circuitus pedes MCCCXL. Rhodi signum Solis aeneum, id est colossus, altus pedibus XC. Signum Iovis Olympii, quod fecit Phidias ex ebore et auro sedens, pedes LX. Domus Cyri regis in Ecbatanis, quam fecit Memnon lapidibus variis et candidis, vinctis auro. Murus in Babylonia, quem fecit Semiramis, Dercetis filia, latere cocto et sulphure, ferro vinctum, latum pedes XXV, altum pedes LX, in circuitu stadiorum CCC. Pyramides in Aegypto, quarum umbra non videtur, altae pedes LX.

CCXXIV. Qui facti sunt ex mortalibus immortales.

Hercules, Iovis et Alcumenae filius. Liber, Iovis et Semelae filius. Castor et Pollux, Helenae fratres, Iovis et Ledae filii. Perseus, Iovis et Danaes filius, in stellas receptus. Arcas,

---

2. cuncta et. 10. Otrira. 11. Munimentum. 22. Alcumene.

---

1. Optimus etc.] Haec ex vetere poeta huc translata esse videntur. — 2. cuncta ut] Sic scripsi monente M. — 3. Mitylenis] In numero plurali utitur hac voce etiam Suet. Tib. 10. — 7. induperabit] Sch. coni. induperavit. Quod probandum videtur. — 8. Septem Lyrici] Novem fuisse lyricorum poetarum principes, Quintil. Inst. 10, 1; Auson. id. 11 aliique complures tradiderunt. Fuerunt autem praeter veteres illos etiam septem Lyrici Alexandrini, qui, ut constat, *πλειὰς τῶν ποιητῶν* vocantur; et horum nomina, ni fallor, olim h. l. legebantur. — 9. Septem etc.] Tot, ut M. ait, etiam numerat Cassiodor. lib. 7 Var.; Lactant. 3, 24; Vitruv. Prooem. lib. 7, 25. Multo plura autem Ampelius cp. 8. — 10. Otrera] Sic correxi ex cp. 112. — 11. lychnicis] Lectio corrupta esse videtur. Lychnites, *λυχνίτης* fuit Parius lapis candidissimus; Plin. H. N. 36, 5; Eustath. ad Dionys. v. 327. Idem et *λυχνεύς* (Athen. 5, 9), *λύγδινος* (Schol. Pind. Nem. 4; Isidor. Or. 16, 5); *λυχναῖος* et *λυχνίας* appellatur. Salm. apud Hyginum legendum putat lychnitis: M. lychnitis, vel lychniticis. — 12. pedes 80] Plin. H. N. 36, 5 Patet toto circuitu pedes quadringentos undecim; attollitur in altitudinem XXV cubitis. — 16. variis] i. e. varii coloris, ut ait M.; cf. Intrptt. ad Propert. 1, 14, 22. — 17. Dercetis] cf. cp. 275; Ov. Met. 4, 45. — latere cocto] Iustin. 1, 2; Cassiod. Var. 7, 25; Ampelius cp. 8. Laterem coctilem appellat Schol. Juven. sat. 10, 171; laterculum coctilem Curt. 5, 1. — 19. stad. 300] Bochartus Phaleg. 1, 12 legendum putat 360. — 20. quarum etc.] Sch. addit: Tempore solstitii puta et die medio. — pedes 60] Sch. coni. pedes 260; M. pedes 600. — Cap. CCXXIV. — 22. Semelae] Malim Semeles, ut supra cp. 167. —

Digitized by Google

Iovis et Calysto filius, in stellas relatus. Ariadnen Liber pater Liberam appellavit, Minois et Pasiphaes filiam. Callisto, Lycaonis filia, in Septentrionem relata. Cynosura, Iovis nutrix, in alterum Septentrionem. Asclepius, Apollinis et Coronidis filius. Pan, Mercurii et Penelopes filius. Croton, Panis et Euphemes filius, conlactius Musarum, in stellam sagittarium. Icarius et Erigone, Icarii filia, in stellas; Icarius in Arcturi, Erigone in Virginis signum. Ganymedes, Assaraci filius, in aquarium duodecim signorum. Ino, Cadmi filia, in Leucotheam, quam nos matrem Matutam dicimus. Melicertes, Athamantis filius, in deum Palaemonem. Myrtilus, Mercurii et Cleobules filius, in Heniochon.

CCXXV. Qui primi templa deorum constituerunt.

Aedem Iovi Olympio primum fecit Pelasgus, Triopae filius, in Arcadia. Thessalus templum quod est in Macedonia Iovis Dodonaei in terra Molossorum. Eleuther primus simulacrum Liberi patris constituit, et quemadmodum coli deberet, ostendit. Phoroneus, Inachi filius, templum Argis Iunoni primus fecit. Otrera Amazon, Martis coniunx templum Dianae Ephesi prima fecit; quod postea a rege* restituerunt. Lycaon, Pelasgi filius, templum Mercurio Cyllenio in Arcadia fecit. Pierius.

1. Ariadnem. 2. liberam. — Pasiphes. — Calysto. 3. Licaonis. 5. Cronidis. 7. Icarus. — Icari. 8. Icarus. 9. Assarici. — aquario. 10. Leucothoam. 12. Theobules. — Eniocho. 14. Olympo. 16. Dodonei. 19. Otrira.

1. Calysto] Scribendum erat Callistus vel Callistonis. Similia et aliis locis in hoc libro reperiuntur: de qua re iam supra dixi ad p. 41, 9. — Ariadnen] Sic corr. M. Scheffer coni. 'Ariadne, eam etc.' Si quid mutandum videtur, malim sic scribere: Ariadne, Minois et Pasiphaes filia; quam Liber etc. Ariadnen autem immortalem factam, praeter Hyginum Propert. 3, 15; Lact. Firm. 1, 10 aliique tradunt. — 2. Callisto] Sic correxi. Idem restituit M. cp. 177. — 4. Asclepius] cf. cp. 202. — 5. M. et Penelopes] Herod. 2, 145; Myth. Vat. I, 89; Philarg. ad Verg. Ecl. 2, 32. — Croton] Schol. Germ. p. 72 et Dositheus in Geneal. Hyg. Micyllus i. m. Crotus; Sch. voluit Crotos. Crotus est Hyg. Astr. 2, 27; Eratosth. cp. 28. — 6. conlacteus] i. e. eodem lacte nutritus. Alii collacteus vel collactaneus dicunt. In Glossar. ap. H. Stephan. conlactaneus ὁμογάλακτος, σύντροφος. — 7. Icarius] Sic scripsi h. l. et in sqq. ex cap. 130. — 9. Assaraci] Infr. cp. 271 Erichthonii filius appellatur. Contra Trois filius est ap. Serv. ad Aen. 1, 28, ad Ge. 3, 36; Isid. Or. 14, 3 aliosque. — aquarium] Sic correxi; vulg. aquario. — 10. Leucotheam] Sic correxi ex cp. 2. Idem iam M. voluerat. — 12. Cleobules] Sic scripsi monente M. Clytia mater Myrtili est Hyg. Astr. 2, 13. — Cap. CCXXV. — 14. Olympio] Sic corr. M. — 16. Eleuther etc.] St. hunc locum corruptum esse putat. Eleuther Apollinis filius commemoratur ab Apollod. 3, 10, 1; Paus. 9, 20, 1. — 18. Phoroneus etc.] cf. cp. 143; Schol. Stat. Th. 4, 589; Myth. Vat. II, 8. — 19. Otrera] Sic scripsi h. l. et alibi. — 20. quod etc.] Fortasse legendum: quod postea Cresus et Ephesus restituerunt; cf. Paus. 7, 2, 4. Sch. coni. ex Strab. lib. 14 quod postea Alexandro rege restituerunt. — 22. Pierius] Fortasse legendum: Pierius, Apollinis filius, templum Libethridum Musarum consecravit; cf. Serv. ad Ecl. 7, 21. M. pro Pierius apud Hyg. et Serv. vult Pierus ex Paus. 9, 29, 3; Schol. Hom. Il. 14, 226 et Tzetz. ad Hes. p. 8 Heins. Idem apud Hyginum voluerat Sch. — Desiderantur h. l. capita duodecim. —

Digitized by Google

CCXXXVIII. Qui filias suas occiderunt.

Agamemnon, Atrei filius, Iphigeniam, quam Diana servavit, id est* Callisthenem Euboeae filiam ex sortibus, pro patriae salute. Clymenus, Oenei filius, Harpalycen, quod ei filium suum in epulis apposuit.* Hyacinthus spari Antheidem filiam ex responso pro Atheniensibus. Erechtheus, Pandionis filius, Chthoniam ex sortibus pro Atheniensibus. Reliquae ipsius sorores ipsae se praecipitaverunt. Cercyon, Vulcani filius, Alopen propter incestum cum Neptuno. Aeolus Canacen propter incestum cum fratre Macareo admissum.

CCXXXIX. Matres quae filios interfecerunt.

Medea, Aeetae filia, Mermerum et Pheretem filios ex Iasone. Procne, Pandionis filia, Ityn ex Tereo, Martis filio. Ino, Cadmi filia, Melicerten ex Athamante Aeoli filio, dum eum fugit. Althaea, Thestii filia, Meleagrum ex Oeneo, Parthaonis filio, quod is avunculos suos occiderat. Themisto, Hypsei filia, Schoeneum et Orchomenum ex Athamante, Aeoli filio, impulsu Inus, Cadmi filiae. Tyro Salmonei filia, duos ex Sisypho, Aeoli filio, ex responso Apollinis. Agaue, Cadmi filia, Pentheum, Echionis filium, impulsu Liberi patris. Harpalyce, Clymeni filia, propter impietatem patris, quod cum eo invita concubuerat, ex eo quem conceperat, interfecit.

CCXL. Quae coniuges suos occiderunt.

Clytaemnestra, Thestii filia, Agamemnonem, Atrei filium. Helena, Iovis et Ledae filia, Deiphobum, Priami filium. Agaue Lycothersen in Illyria, ut regnum Cadmo patri daret. Deianira, Oenei filia, Herculem, Iovis et Alcumenae filium, im-

---

4. Climenus. — Harpalicem. 5. Spariantidem filiam. 6. Erichtheus. 7. Colophoniam. 8. Cercion. 9. Alopem. — Canacem. 12. Marcareum et Pheretum. 13. Progne. — Ytin. 14. Melicertem. 17. Plinthium et Orchomenum. 18. Tyros. 21. Harpalice. 24. Clytemnestra.

Cap. CCXXXVIII. — 2. id est etc.] Locus corruptus est. — 3. Callisthenem E.] Mic. coni. Callisthenes Euboeam. — 4. Oenei] cf. cp. 206. — Harpalycen] Sic corr. M. — 5. sp. Antheidem] vulg. Spariantidem. Pro antidem puto legendum Antheidem ex Apollod. 3, 15, 8. Paulo aliter quam Hyginus hanc rem narrant Apollod. l. c. et Harpocrat. s. v. Ὑακινθίδες. — 6. Erechtheus] Sic corr. M. — 7. Chthoniam] Sic correxi h. l. et cp. 46. Idem iam Sch. voluerat. — 8. se pr.] Ante haec verba deesse quaedam videntur. — Cercyon] cf. cp. 187. — 9. Alopen] Sic corr. M. — Canacen] Sic corr. M. — Cap. CCXXXIX. — 12. Merm. et Ph.] Sic correxi h. l. et cp. 25. — 13. Procne] cf. cp. 45. M. et St. scripserunt h. l. Progne, aliis locis Procne. — Ino etc.] cf. cp. 2 et 4. — 14. Melicerten] Sic corr. M. — 17. Schoeneum] vulg. h. l. plinthium et cp. 1 Sphincium. — 18. Tyro] Sic corr. M. — 19. Agaue] cf. cp. 184. — 21. Harpalyce] Sic correxi h. l. et alibi. — Cap. CCXL. — 24. Clytaemnestra] Sic corr. St. — 25. Deiphobum] Qui Helenam in coniugium duxerat, mortuo Paride; cf. Serv. ad Aen. 6, 495. — Lycothersen] cf. cp. 184. De veritate lectionis dubito. Fortasse legendum Lityersen. — 26. Deianira] cf. cp. 36. —

Digitized by Google

pulsu Nessi. Iliona, Priami filia, Polymestorem, regem Thracum. Semiramis Ninum regem in Babylonia.

CCXLI. Qui coniuges suas occiderunt.

Hercules, Iovis filius, Megaram, Creontis filiam, per insaniam. Theseus, Aegei filius, Antiopam Amazonem, Martis filiam, ex responso Apollinis. Cephalus, Deionis sive Mercurii filius, Procridem, Pandionis filiam, imprudens.

CCXLII. Qui se ipsi interfecerunt.

Aegeus, Neptuni filius, in mare se praecipitavit, unde Aegeum pelagus est dictum. Euhenus, Herculis filius, in flumen Lycormam se praecipitavit, quod nunc Chrysorrhoas appellatur. Aiax, Telamonis filius, ipse se interfecit propter armorum iudicium. Lycurgus, Dryantis filius, obiecta insania a Libero, ipse se interfecit. Macareus, Aeoli filius, propter Canacen sororem, id est sponsam, ipse se interfecit. Agrius, Parthaonis filius, expulsus a regno a Diomede, ipse se interfecit. Caeneus, Elati filius, ipse se interfecit. Menoeceus, Iocastes pater, se de muro praecipitavit Thebis, propter pestilentiam. Nisus, Martis filius, crine fatali amisso, ipse se interfecit. Clymenus, Caenei filius, rex Arcadiae, ipse se interfecit, quod cum filia concubuerat. Cinyras, Paphi filius, rex Assyriorum, quod cum Smyrna filia concubuerat. Hercules, Iovis filius, ipse sese in ignem misit. Adrastus et Hipponous eius filius ipsi se in ignem iecerunt, ex responso Apollinis. Pyramus in Babylonia ob amorem Thisbes ipse se occidit. Oedipus, Laii filius, propter Iocasten matrem ipse se occidit, ablatis oculis.

CCXLIII. Quae se ipsae interfecerunt.

Hecuba, Cissei filia, sive Dymantis, uxor Priami, in mare se

---

1. Polymnestorem. 4. Megaeram. 5. Amazonam. 9. Aegeus Pelagus. 14. interficit. 17. Moenicus. 18. Athenis. 21. Cyniras. 25. Thyspes. 26. Lai. — Iocastem. 29. Dimantis.

---

1. Polym.] vulg. Polymnestorem; cf. cp. 109. — Cap. CCXLI. — v. 4. Megaram] Sic corr. St., monente M. Cf. cp. 32. — 5. Amazonem] Sic correxi. Nominativus Amazon est cp. 225. — 6. Deionis] cf. cp. 189. Mercurii filius est cap. 160. — 7. imprudens] cf. cp. 1. — Cap. CCXLII. v. — 9. Aegeus] cf. cp. 43. — 10. Herculis] cf. cp. 162. Martis et Demonices filius est Apollod. 1, 7, 8. — 11. quod etc.] Glossatoris haec esse putat Sch. Muncker coni. quod nunc Euenus ab eo appellatur. — 13. Lycurgus] Alia de hoc legimus supra cp. 132. — 14. interfecit] Sic corr. M. monente Sch. — 15. id est] B. coni. idem. M. glossatoris haec esse putat, vel legendum itemque. — 16. a regno] Puto legendum e regno, ex cp. 175. — 17. Caeneus etc.] Alia de hoc legimus p. 39, 16. — Menoeceus] Sic corr. St.; cf. cp. 67. — 18. Thebis] Sic correxi ex cap. 67. Idem iam Mic. voluerat. — 19. Nisus etc.] Alia de hoc legimus cp. 198. — 20. Caenei] Fortasse legendum Oenei; cf. cp. 207. — 21. Paphi] cf. cp. 270 et Intptt. ad Ov. Met. 10, 298. — 26. Iocasten] Sic correxi. — Cap. CCXLIII. v. — 29. Hecuba etc.] cf. cp. 111. — Dymantis] Sic corr. M. —

Digitized by Google

praecipitavit; unde Cyneum mare est dictum, quoniam in canem fuerat conversa. Ino, Cadmi filia, in mare se praecipitavit cum Melicerte filio. Anticlia, Autolyci filia, mater Ulyssis, nuntio falso audito de Ulysse, ipsa se interfecit. Sthenoboea, Iobatis filia, uxor Proeti, propter amorem Bellerophontis. Euadne, Iphidis filia, propter Capaneum coniugem, qui apud Thebas perierat, in eandem pyram se coniecit. Aethra, Pitthei filia, propter filiorum mortem ipsa se interfecit. Deianira, Oenei filia, propter Herculem, decepta a Nesso, quod ei tunicam miserat, in qua conflagravit. Laodamia, Acasti filia, propter desiderium Protesilai mariti. Hippodamia, Oenomai filia, uxor Pelopis, quod eius suasu Chrysippus occisus est. Megaera, Autolyci filia, propter Hippothoi filii mortem. Alcestis, Peliae filia, propter Admetum coniugem vicaria morte obiit. Iliona, Priami filia, propter casus parentum suorum. Themisto, Hypsei filia, impulsu Inus, quod filios suos occidit. Erigone, Icarii filia, propter interitum patris suspendio se necavit. Phaedra, Minois filia, propter Hippolytum privignum suum suspendio se necavit, ob amorem. Phyllis propter Demophoonta, Thesei filium, ipsa se suspendio necavit. Canace, Aeoli filia, propter amorem Macarei fratris, ipsa se interfecit. Byblis, Mileti filia, propter amorem Cauni fratris ipsa se interfecit. Calypso, Atlantis filia, propter amorem Ulyssis ipsa se interfecit. Dido, Beli filia, propter Aeneae amorem se occidit. Iocasta, Menoecei filia, propter interitum filiorum et nefas. Antigona, Oedipodis filia, propter sepulturam Polynicis. Pelopia, Thyestis filia, propter scelus patris. Thisbe Babylonia propter Pyramum, quod ipse se interfecerat. Semiramis in Babylonia, equo amisso, in pyram se coniecit.

---

1. Cynaeum. 3. Melicerto. 5. Stenoboea. 6. Euadne, Philaci. 8. Pithei. 11. desyderium. 12. Oenei. 13. Megera. 14. Pelei. 17. Icari. 20. Phillis. 26. Menoeci. 27. Polynices. — Pelopea. 28. Thiestis. 30. pyram.

---

1. Cyneum] Sic corr. M. — 2. Ino etc.] cf. cp. 2 et 4. — 3. Melicerte] Sic correxi. Idem iam M. voluerat. — 5. Iobatis] Sic cp. 88 et 244 Thyestis pro Thyestae. Graecis Ἰοβάτης est. Cf. cp. 57. — 6. Euadne etc.] Apollod. 3, 7, 1; Schol. Stat. Th. 12, 799. — Iphidis] vulg. h. l. Philaci et cp. 256 Philacis. M. coni. Iphidis ex Apollod. l. c.; Ael. V. H. 1, 15; Ov. Trist. 5, 14 aliisque. Hoc probandum videtur. — 8. Pitthei] Sic corr. M. ex cp. 79. — 9. Deianira etc.] cf. cp. 36. — 10. Laodamia] cf. cp. 104. — 12. Oenomai] Sic scripsi pro Oenei, monente M. — 14. Alcestis etc.] cf. cp. 51. — Peliae] Sic correxi, monente M. — 16. Themisto etc.] cf. cp. 4. — 17. Icarii] Sic scripsi h. l. et alibi ex cp. 130. Idem voluit Sch. — 18. Phaedra] cf. cp. 47. — 20. ob amorem] Glossatoris haec esse putant Sch. aliique. — Phyllis etc.] cf. cp. 59. — 22. Byblis etc.] Ov. Met. 9, 417 sqq.; Parthen. cp. 11. — 26. Menoecei] Sic corr. St. — Antigona etc.] Hoc alii non tradunt. Alia de hac re legimus cp. 72. — 27. Polynicis] Sic correxi, monente M. — Pelopia] Sic correxi ex cp. 88. Vulg. Pelopeia. — 28. Thyestis] Ita etiam cp. 88. Dativus Thyesti occurrit cp. 87 et 88, accusativus Thyestem cp. 88. Apud Serv. ad Aen. 1, 568 accusativus est Thyestem, sed ad Aen. 6, 608 Thyesten. — 29. Semiramis in B.] Sic cp. 242 Pyramus in Babylonia. Scheffero illud in h. l. suspectum est. — 30. equo] Sch. haec addit: Eo videlicet, de quo Plin. 8, 42. Haec historia nemini alii est prodita. —

Digitized by Google

CCXLIV. Qui cognatos suos occiderunt.

Theseus, Aegei filius, Pallantem, filium Nilei fratris. Amphitryon Electryonem, Persei filium. Meleager, Oenei filius, avunculos suos Plexippum et Agenorem, propter Atalantam, Schoenei filiam. Telephus, Herculis filius, Hippothoum et Nerea, aviae suae filios. Aegisthus Atreum et Agamemnonem, Atrei filios. Orestes Aegisthum, Thyestis filium. Megapenthes, Proeti filius, Perseum, Iovis et Danaes filium propter patris mortem. Abas propter patrem Lynceum Megapenthem occidit. Phegeus, Alphei filius, Alphesiboeae filiae suae filiam. Amphion, Terei filius, avi sui filios. Atreus, Pelopis filius, Tantalum et Plisthenem, Thyestis filios infantes in epulis Thyesti apposuit. Hyllus, Herculis filius, Sthenelum, Electryonis proavi sui fratrem. Medus, Aegei filius, Persen, Aeetae fratrem, Solis filium. Daedalus, Eupalami filius, Perdicem, sororis suae filium, propter artificii invidiam.

CCXLV. Qui soceros et generos occiderunt.

Iason, Aesonis filius, Phlegyonam. Pelops, Tantali filius, Oenomaum, Martis filium.

Qui generos suos occiderunt.

Phegeus, Alphei filius, Alcmaeonem, Amphiarai filium. Idem et Eurypylum. Aeeta, Solis filius, Phrixum, Athamantis filium.

CCXLVI. Qui filios suos in epulis consumpserunt.

Tereus, Martis filius, ex Procne Ityn. Thyestes Pelopis, ex Aërope Tantalum et Plisthenem. Clymenus, Schoenei filius, ex Harpalyce filia filium suum.

---

3. Persi. 4. Athalantam. 7. Thiestis. 9. Megapentheum. 10. Phegaeus. 12. Thiestis. 13. Thiesti. — Phillus. — Electrionis. 15. Perdicen. 21. Phlegeus. 22. Eurypilum. — Phryxum. 24. Progne. — Ytin. — Thiestes. 25. Climenus. 26. Harpalice.

Cap. CCXLIV. — v. 2. Pallantem etc.] M. coni. Pallantem, Pandionis filium, Aegei fratrem. Quod probandum videtur. Cf. Apollod. 3, 15, 5; Plut. Thes. 3; Paus. 1, 22, 2; Schol. Eur. Hipp. 35. — 3. Persei] Sic correxi ex Apollod. 2, 4, 5 aliisque. Idem iam Mic. voluerat. — 4. Plexippum etc.] Fortasse olim legebatur Plexippum, Toxea et Agenorem. Vid. quae dixi ad cp. 173. — 6. Aegisthus] cf. cp. 88 et 117. — 7. Orestes etc.] cf. cp. 119. — 9. Megapenthem] Sic corr. M. — 10. Phegeus] Apollod. 3, 7, 5; Lact. arg. 9, 8. — 11. Amphion Terei] Nec sana haec, nec integra videntur, ut ait Sch. — Atreus etc.] cf. cp. 88. — 13. Hyllus] Sic correxi. Idem iam Mic. voluerat. — 14. Medus etc.] cf. cp. 27. — 15. Daedalus etc.] cf. cp. 39. — Cap. CCXLV. v. — 18. Phlegyonam] Locus corruptus est, ut iam Mic. indicavit. — Pelops] cf. cp. 84. — 21. Phegeus] Sic correxi ex cp. 244. Idem voluit M. — Alcmaeonem] Lact. arg. 9, 8. — 22. Phrixum] Sic corr. St. — Cap. CCXLVI. — v. 24. Tereus etc.] cf. cp. 45. — Procne] vulg. Progne. — 25. Schoenei] Vid. quae dixi ad cp. 206. — 26. Harpalyce] vulg. Harpalice h. l. et alibi. —

Digitized by Google

CCXLVII. Qui a canibus consumpti sunt.

Actaeon, Aristaei filius. Thasius Delo Anii, sacerdotis Apollinis filius; ex eo Delo nullus canis est. Euripides, tragoediarum scriptor, in templo consumptus est.

CCXLVIII. Qui ab apro percussi interierunt.

Adonis, Cinyrae filius. Ancaeus, Lycurgi filius, a Calydonio. Idmon, Apollinis filius, qui stramentatum exierat cum Argonautis apud Lycum regem. Hyas ab apro vel leone, Atlantis et Pleiones filius.

CCXLIX. Faces sceleratae.

Facem, quam sibi visa est parere Hecuba, Cissei filia, sive Dymantis. Nauplii, ad saxa Capharea, cum naufragium Achivi fecerunt. Helenae, quam de muris ostendit, et Troiam prodidit. Althaeae, quae Meleagrum occidit.

CCL. Quae quadrigae rectores suos prodiderunt.

Phaethonta, Solis filium ex Clymene. Laomedonta, Ili filium ex Leucippe. Oenomaum, Martis filium ex Asterope, Atlantis filia. Diomedem, Martis filium, ex eadem. Hippolytum, Thesei filium ex Antiope Amazone. Amphiaraum, Oiclei filium ex Hypermnestra, Thestii filia. Glaucum, Sisyphi filium, ludis funebribus Peliae equae suae consumpserunt.

---

2. Aristhei. — Thasius Deloami. 6. Cynyrae. 7. qui extra metam exierat. 8. Hyon. 9. Pleionis. 12. Capheraea. 16. Phaetonta. — Climene. 17. Asteriae. 18. Diomedem Atlantis. 20. ex Clytemnestra. 21. funebribus. Pelian.

Cap. CCXLVII. — v. 2. Aristaei] Sic correxi. — Thasius] Mic. coni. Thasus. H. apud Ov. Ib. v. 477. scripsit Thrasus. — Delo Anii] Sic scripsi monente M. Melius tamen sic legeretur: Thasius, Anii, sacerdotis Apollinis filius, Delo etc. — 3. Delo] Pro in Delo, vel Deli, ut ait M. — Euripides] Gell. 15, 20; Val. Max. 9, 12. — 4. in etc.] M. haec ad Anium referenda putat, et ponenda post illa 'Apollinis filius.' Sane, ut alii dicunt, Euripides non in templo, sed a cena Archelai regis domum rediens, a canibus discerptus est. — consumptus] i. e. devoratus. Sic cp. 100, 181, 188, 246 et alibi. — Cap. CCXLVIII. — 7. stramentatum] Sic correxi h. l. et cp. 18 ex p. 44, 14. Idem vult M. — 8. Hyas] Sic scripsi ex cp. 192 et Hyg. Astr. 2, 21. Idem voluit Mic. — 9. Pleiones] Sic correxi, monente M. — Cap. CCXLIX. — 11. Facem] Sch. eiiciendam putat hanc vocem. M. voluit Facem quam; quod dictum putat pro Quam facem. — 12. Nauplii] sc. fax. De hac legimus supra cp. 116. — Capharea] Sic corr. M. — 14. Althaeae etc.] cf. cp. 171 et 174. — quae] Sch. coni. qua. — Cap. CCL. 15. prodiderunt] In Indice, quem Mic. ex Ms. edidit, est perdiderunt. Utrumque ferri potest. — 16. Phaethonta] Sic corr. St. — 17. Leucippe] Alia tradit Apollod. 3, 12, 3. — Asterope] Sic correxi ex cp. 84. Idem iam Sch. voluerat. — 18. Martis] vulg. Atlantis. Emendavi ex cp. 30 et 159. — ex eadem] Hoc esset ex Sterope Atlantis. Sed hoc alii non tradunt. Ut Apollod. 2, 5, 8 aliique prodiderunt, Diomedes Cyrenes filius fuit. — Hippolytum] cf. cp. 47. — 20. Hypermnestra] Sic correxi ex cp. 70 et 73. Idem voluit M. — Glaucum] cf. cp. 273. — 21. fun. P.] Sic corr. M. —

Digitized by Google

Iasionem, Iovis filium ex Electra, Atlantis filia. Salmoneus, qui fulmina in quadriga sedens imitabatur, cum quadriga fulmine ictus.

CCLI. Qui licentia Parcarum ab inferis redierunt.

Ceres Proserpinam filiam suam quaerens. Liber pater ad Semelen, matrem suam, Cadmi filiam descendit. Hercules, Iovis filius, ad canem Cerberum educendum. Asclepius, Apollinis et Coronidis filius. Castor et Pollux, Iovis et Ledae filii, alterna morte redeunt. Protesilaus, Iphicli filius, propter Laodamiam, Acasti filiam. Alcestis, Peliae filia, propter Admetum coniugem. Theseus, Aegei filius, propter Pirithoum. Hippolytus, Thesei filius, voluntate Dianae; qui postea Virbius est appellatus. Orpheus, Oeagri filius, propter Eurydicen coniugem suam. Adonis, Cinyrae et Smyrnae filius, voluntate Veneris. Glaucus, Minois filius, restitutus a Polyido, Coerani filio. Ulysses, Laertae filius, propter patrem. Aeneas, Anchisae filius, propter patrem. Mercurius, Maiae filius, assiduo itinere.

CCLII. Qui lacte ferino nutriti sunt.

Telephus, Herculis et Auges filius, ab cerva. Aegisthus, Thyestis et Pelopiae filius, ab capra. Aeolus et Boeotus, Neptuni et Melanippes filii, a vacca. Hippothous, Neptuni et Alopes filius, ab equa. Romulus et Remus, Martis et Iliae filii, ab lupa. Antilochus, Nestoris filius, expositus in Ida monte, ab cane. Harpalyce, Harpalyci regis Amymoniorum filia a vacca et equa. Camilla, Metabi regis Volscorum filia, ab equa.

---

1. Iasonem. 2. in quadrigas. 4. parcarum. 5. Semelem. 8. Laedae. 10. Pelei. 14. Eurydicem. — Cynyrae. — Zmirnae. 16. Carani. 20. Thiestis. 21. Boetus. 22. Menalippes. 25. Harpalice. — Harpalici. — Amymneorum.

---

1. Iasionem] Sic scripsi monente Sch. — Salmoneus] cf. cp. 61. — 2. quadriga] Sic corr. Sch. — Cap. CCLI. v. 5. Semelen] Sic correxi. — 10. Peliae] Sic correxi h. l. et alibi. — 11. coniugem] In Ms. B. haec addita erant: Admetus propter Alcestin coniugem, quam Hercules ei restituit, vel Proserpina donavit. — 13. Virbius] Lact. arg. 15, 44; Schol. Pers. sat. 6, 56. — 14. Eurydicen] Sic correxi. Idem M. restituit cp. 164. — Smyrnae] Sic correxi ex cp. 58 et 271. Idem voluit Sch. — 16. Coerani] Sic corr. M. Cf. cp. 136. — 17. patrem] Sch. coni. matrem; M. patriam. — 18. ass. itinere] Erat enim ψυχοπομπός. — Cap. CCLII. v. 20. Telephus] cf. cp. 101. — Aegisthus] cf. cp. 87. — 21. Aeolus etc.] cf. cp. 186. — Boeotus] Sic correxi. — 22. Melanippes] Sic scripsi ex cp. 186. — Hippothous] cf. cp. 187. — 23. Iliae] Serv. ad Aen. 1, 273; 6, 778; Schol. Hor. od. 1, 2; Augustin. C. D. 18, 21. — 25. Harpalyce] vulg. Harpalice h. l. et alibi. — Harpalyci] vulg. Harpalici. — Amymoniorum] Sic correxi h. l. et cp. 193, monente M. — 26. Camilla] Serv. ad Aen. 1, 317. —

Digitized by Google

CCLIII. Quae contra fas concubuerunt.

Iocaste cum Oedipo filio. Pelopia cum Thyeste patre. Harpalyce cum Clymeno patre. Hippodamia cum Oenomao patre. Procris cum Erechtheo patre, ex quo natus est Aglaurus. Nyctimene cum Epopeo patre, rege Lesbiorum. Menophrus cum Cyllene filia in Arcadia, et cum Bliade matre sua.

CCLIV. Quae piissimae fuerunt, vel piissimi.

Antigona, Oedipi filia, Polynicem fratrem sepulturae dedit. Electra, Agamemnonis filia, in fratrem Orestem. Iliona, Priami filia in fratrem Polydorum et parentes. Pelopia, Thyestis filia, in patrem, ut eum vindicaret. Hypsipyle, Thoantis filia, patri, cui vitam concessit. Chalciope filia patrem non deseruit, regno amisso. Harpalyce, Harpalyci filia, in bello patrem servavit, et hostem fugavit. Erigone, Icarii filia, patre amisso, suspendio se necavit. Agaue, Cadmi filia, in Illyria Lycothersen regem interfecit, et patri suo regnum dedit. Xanthippe Myconi patri incluso carcere, lacte suo alimentum vitae praestitit. Tyro, Salmonei filia, propter patrem filios suos necavit. In Sicilia cum Aetna mons primum ardere coepit, Damon matrem suam ex igne rapuit. Item Phintias patrem. Aeneas item in Ilio Anchisen patrem humeris et Ascanium filium ex incendio eripuit. Cleobis et Biton, Cydippes filii.

Cydippe, sacerdos Iunonis Argivae, cum boves in pastionem misisset, neque ad horam, qua sacra in monte ad templum Iunonis duci et fieri deberent, apparerent, et essent mortui

---

2. Pelopea. — Thieste. — Harpalice. 3. Climeno. 4. Erichtheo. 8. Polynicen. 10. Pelopea. — Thiestis. 12. Calciope. 13. Harpalice. — Harpalici. 14. Icari. 16. Illyrica. 17. Xantippe. 21. Pythia. — Anchisem. 22. Cleops et Bitias. 23. Cidippe. 24. Cidippe.

---

2. Pelopia] Sic scripsi ex cp. 88. — Harpalyce] cf. cp. 206 et 239. — 4. Procris etc.] Hoc alii non tradunt. — ex etc.] Glossatoris haec esse putat Sch. Munckerus Ego, inquit, et non pauca alia, ita et hoc inter aliis indicta numerandum censeam. Nam de Procridis cum patre concubitu altum quoque apud alios silentium. — Erechtheo] Sic corr. M. — 5. Epopeo] cf. cp. 204. Tollius coni. Nycteo. Cf. Lact. arg. 2, 9. — Menophrus] Mic. coni. Menephron ex Ov. Met. 7, 386. Quod probandum videtur. — 6. Bliade] Lectio corrupta est. — Cap. CCLIV. v. — 8. Polynicem] Sic corr. M. — 10. Pelopia] Sic scripsi h. l. et cp. 253. — 12. Chalciope] Sic corr. M. — filia] Nomen patris h. l. excidit. — 13. Harp. H.] vulg. Harpalice Harpalici. — 14. Icarii] Sic scripsi h. l. et alibi, ex cp. 130. — 16. Illyria] Sic correxi ex cp. 184 et 240. — 17. Xanthippe] vulg. Xantippe. — 20. Damon etc.] Similia de Anapo et Amphinomo tradunt alii. Cf. Val. Max. 5, 4. — 21. Phintias] Sic correxi, monente Turnebo aliisque. St. scripsit Phintia. — Anchisen] Sic correxi h. l. et cp. 94. — 22. Cleobis et Biton] Sic corr. St., h. l. et in sqq. Cf. Herod. 1, 31; Paus. 2, 20, 3; Anthol. Pal. Tom. I, p. 65; Serv. et Philarg. ad Ge. 3, 532; Myth. Vat. I, 29; II, 66. — 23. Cydippes] Sic correxi. Vulg. Cidippae. — 24. Cydippe] Sic correxi h. l. et in sqq. Graece est *Κυδίππη*. — 25. monte] M. In monte ergo, inquit, erat illud templum: vel legendum de more. Bubus enim usi videntur plerumque, cum sacrorum causa ad templa veherentur. Propert. 4, 1, 22. — 26. mortui] Causam afferunt Philarg. et Myth. Vatt. l. c. —

Digitized by Google

(quae nisi ad horam sacra facta essent, sacerdos interficiebatur): inter quam trepidationem Cleobis et Biton pro bubus sub iugo se iunxerunt, et ad fanum sacra, et matrem Cydippen in plaustro duxerunt; sacrificioque peracto, Cydippe precata est Iunonem, si sacra eius caste coluisset, si filii adversus eam pii fuissent, ut quicquid bonum mortalibus posset contingere, id filiis eius contingeret. Precatione peracta, plaustrum et matrem filii domum reduxerunt, et fessi somno acquieverunt. At Cydippe diligenter agnovit, nihil esse melius mortalibus quam mori; et ob hoc obiit voluntaria morte.

CCLV. Quae impiae fuerunt.

Scylla, Nisi filia, patrem occidit. Ariadne, Minois filia, fratrem et filios occidit. Procne, Pandionis filia, filium occidit. Danaides coniuges suos patrueles occiderunt. Lemniades in Lemno insula patres et filios occiderunt. Harpalyce, Clymeni filia, filium, quem ex patris concubitu pepererat, occidit. Tullia Romanorum super parentis corpus currum duxit, unde vicus sceleratus est dictus.

CCLVI. Quae castissimae fuerunt.

Penelope, Icarii filia, uxor Ulyssis. Euadne, Iphidis filia, coniunx Capanei. Laodamia, Acasti filia, coniunx Protesilai. Hecuba, Cissei filia, uxor Priami. Theonoe, Thestoris filia, uxor Admeti. Romanorum Lucretia, Lucretii filia, coniunx Collatini.

CCLVII. Qui inter se amicitia iunctissimi fuerunt.

Pylades, Strophii filius, cum Oreste, Agamemnonis filio. Pirithous, Ixionis filius, cum Theseo, Aegei filio. Achilles, Pelei filius, cum Patroclo, Menoetii filio. Diomedes, Tydei filius, cum Sthenelo, Capanei filio. Peleus, Aeaci filius, cum Phoenice, Amyntoris filio. Hercules, Iovis filius, cum Philocteta, Poeantis filio. Harmodius et Aristogiton more fraterno.

---

2. Cleops et Bitias. 3. Cidippem. 4. Cidippe. 7. Praecatione. 9. Cidippe. 13. Progne. 15. Harpalice. 17. Rhomanorum. 20. Euadne Philacis. 28. Tidei. 30. Amintoris. 31. Armodius.

---

1. quae etc.] Vulgo sic distinguunt: 'mortui: quae nisi ad horam sacra facta essent, sacerdos interficiebatur. Inter etc. — 3. Cydippen] Sic correxi. — 9. acquiverunt] Serv. l. c. Altero itaque die sacerdotis filii iuvenes reperti sunt mortui. — Cap. CCLV. v. 12. fratrem] i. e. Minotaurum; cf. cp. 42. — 13. Procne] vulg. Progne. — Danaides] cf. cp. 168 sq. — 14. Lemniades] cf. cp. 15. — 15. Harpalyce] vulg. Harpalice. Cf. cp. 206, 238 sq. — 17. Tullia Rom.] Sic cp. 256 Romanorum Lucretia. Hyginus exempla affert ex historia Graecorum et Romanorum simili modo ut Valerius Maximus. — 18. vicus sc.] Liv. 1, 48. — Cap. CCLVI. v. 20. Iphidis] Sic scripsi h. l. et cp. 243 monente M. — Cap. CCLVII. v. 26. Pylades] Paus. 2, 29; Schol. Stat. Th. 1, 475. — 27. Achilles] Schol. Hom. Il. 12, 1; Schol. Stat. l. c. — 28. Diomedes] Philostr. Heroic. 4, 2. — 31. Harmodius] Sic correxi. — more] Tollius coni. amore. —

Digitized by Google

In Sicilia Dionysius tyrannus crudelissimus cum esset, suosque cives cruciatibus interficeret, Moeros tyrannum voluit interficere. Quem satellites cum deprehendissent armatum, ad regem perduxerunt. Qui interrogatus respondit, se regem voluisse interficere; quem rex iussit cruci figi. A quo Moerus petit tridui commeatum, ut sororem suam nuptui collocaret, et daret tyranno Selinuntium amicum suum et sodalem, qui sponderet eum tertio die venturum. Cui rex indulsit commeatum ad sororem collocandam, dicitque rex Selinuntio, ut nisi ad diem Moerus veniret, eum eandem poenam passurum, et dimitti Moerum. Qui collocata sorore cum reverteretur, repente tempestate et pluvia orta, flumen ita increvit, ut nec transiri nec transnatari posset. Ad cuius ripam Moerus consedit, et flere coepit, ne amicus pro se periret. Phalaris autem Selinuntium cruci figi cum iuberet, ideo quod horae sex tertii iam diei essent, nec veniret Moerus: cui Selinuntius respondit, diem adhuc non praeteriisse. Cumque iam et horae novem essent, rex iubet duci Selinuntium in crucem. Qui cum duceretur, vix tandem Moerus liberato flumine, consequitur carnificem, exclamatque a longe: Sustine, carnifex! Adsum, quem spopondit. Quod factum regi nuntiatur. Quos rex ad se iussit perduci, rogavitque eos, ut se in amicitiam reciperent, vitamque Moero concessit.

Harmodius et Aristogiton idem. In Sicilia eundem Phalarim Harmodius cum vellet interficere, simulationis causa scrofam porcellos habentem occidit, et venit ad Aristogitonem amicum suum ense sanguinolento, dicitque, se matrem interfecisse, rogatque eum, ut se celaret. Qui cum ab eo celaretur, rogavit Aristogitonem, ut progrederetur rumoresque qui essent

---

5. crucifigi. 15. crucifigi. 24. Armodius. — Armodius.

---

1. In Sicilia etc.] Eadem de Damone et Phintia narrant Cic. de off. 3, 10; Val. Max. 4, 7. — 3. depreh.] Omnes sic distinguunt: deprehendissent, armatum. Emendavi ex sententia Sch. — 5. cruci figi] Sic scripsi h. l. et in sqq. — 6. commeatum] Festus v. Remeare: Commeatus dari dicitur, id est tempus, quo ire et redire commode quis posset. — 8. venturum] M. coni. reventurum. — indulsit c.] Apul. Miles. 2 Militiae brevem commeatum indulsit. — 10. ut] M. eiiciendum putat. — 11. dimitti] Sch. coni. dimittit. M. praesens pro futuro positum putat, quemadmodum cp. 68 liberari pro liberandum esse, et cp. 98 dari pro datum iri. — 15. Phalaris] Paulo antea de Dionysio sermo fuit. M. haec addit: Phalaris positus *κατ' ἐξοχὴν* pro Tyranno, ut apud Petronium Hannibal pro capitali hoste, vel, ut quidam volunt, versuto et callido. Ita mox rursus Phalarim appellat, qui Hipparchus erat, ut notum est ex Ael. V. H. 11, 8. — cruci figi] vulg. crucifigi. — 16. Moerus: cui] Sic distinxi pro Moerus. cui. — 19. liberato] i. e. superato, ut ait M. Cf. Keuchen ad Frontin. Strat. 4, 7, 28. — 20. a longe] Sic Augustin. Soliloq. cp. 35. — 24. Harmodius] Sic correxi h. l. et in sqq. Sch. coni. 'Item Armodius et Aristogiton (scil. amicitia coniunctissimi fuerunt). In etc.' M. de hac re sic: Ego, inquit, tria ista vocabula 'Armodius et Aristogiton' e margine in textum irrepsisse puto. Iam enim eorum mentio initio capitis facta est. Lego itaque: vitamque Moero concessit. Item in Sicilia etc. —

Digitized by Google

de matre, sibi renuntiaret* nullos esse rumores. Qui vespere ita litem contraxerunt, ut alius alio potiora ingererent; nec ideo Aristogiton voluit obiicere, eum matrem interfecisse. Cui Harmodius patefecit, se scrofam porcellos habentem interfecisse, et ideo matrem dixisse. Cui indicat, se regem velle interficere: rogatque eum, ut sibi adiutorio esset. Qui cum ad regem interficiendum venissent, deprehensi sunt a satellitibus armati, et cum perducerentur ad tyrannum, Aristogiton a satellitibus effugit. Harmodius autem solus cum perductus esset ad regem, quaererentque ab eo, quis ei fuisset comes, ille, ne amicum proderet, linguam dentibus sibi praecidit, eamque regis in faciem inspuit.

Nisus cum Euryalo suo, pro quo et mortuus est.

CCLVIII. Atreus et Thyestes.

Atreus et Thyestes germani cum in dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gratiam redierunt; qua occasione Thyestes cum fratris uxore concubuit. Atreus vero ei filium epulandum apposuit. Quae Sol ne pollueretur, aufugit. Sed veritatis hoc est, Atreum apud Mycenas primum solis eclipsim invenisse; cui invidens frater ex urbe discessit.

CCLIX. Lyncus.

Lyncus rex Scythiae fuit. Qui missum a Cerere Triptolemum, ut hominibus frumentum monstraret, susceptum hospitio, ut in se gloria tanta migraret, interimere cogitavit. Ob quam rem irata Ceres eum convertit in lyncem varii coloris, ut ipse variae mentis extiterat.

CCLX. Eryx.

Eryx Veneris et Butae filius fuit. Qui occisus ab Hercule est; monti ex sepultura sua nomen imposuit, in quo Aeneas Veneris templum constituit. In hoc autem monte dicitur etiam

---

4. Armodius. 7. depraehensi. 9. Armodius. 14. Thiestes. 15. Thiestes. 16. Thiestes. 18. epulando. — auffugit. 22. Siciliae. 24. gloriam tantam.

---

1. renuntiaret] B. coni. renunciaret: ait. — 2. ita] Sch. coni. ira ita. — alio] pro alii. Sic cp. 5 toto pro toti. — Cap. CCLVIII. Serv. ad Aen. 1, 568; Schol. Stat. Th. 1, 325; 4, 306; Schol. Hor. od. 1, 16; Hyg. cp. 88. — Sciendum, hanc fabulam et sequentes iisdem fere verbis in commentariis Servii legi. — 18. epulandum] Sic correxi ex Serv. l. c. Idem voluit Sch. — ne pollueretur] Puto legendum ex Serv. l. c. ne videndo pollueretur. — 20. discessit] Serv. l. c. discessit tempore quo eius probata sunt dicta. — Cap. CCLIX. Serv. ad Aen. 1, 323 (apud quem eadem iisdem fere verbis leguntur); Ov. Met. 5, 642 sqq.; Lact. arg. 5, 11; Myth. Vat. I, 31. — 22. Scythiae] Sic correxi ex Serv. l. c. aliisque. Idem iam Mic. voluerat. — 24. gloria tanta] Sic correxi ex Serv. et Myth. Vat. l. c. — Cap. CCLX. Serv. ad Aen. 1, 570; Myth. Vat. I, 53 et 94; II, 156. — 28. Butae] Serv. l. c. Alii Erycem Neptuni et Veneris filium appellant. — 29. Veneris] Fortasse legendum Veneri. Serv. et Myth. Vat. l. c. in quo matri fecerat templum. —

Digitized by Google

Anchises sepultus, licet secundum Catonem ad Italiam venerit.

CCLXI. Agamemnon, qui ignarus Dianae cervam occidit.

Cum de Graecia ad Aulidem Danai venissent, Agamemnon Dianae cervam occidit ignarus; unde dea irata, flatus ventorum removit. Quare cum nec navigare possent, et pestilentiam sustinerent, consulta oracula dixerunt, Agamemnonio sanguine esse placandam Dianam. Ergo cum ab Ulixe, per nuptiarum simulationem, adducta Iphigenia in eo esset ut immolaretur, numinis miseratione sublata est, et cerva supposita, et translata ad Tauricam civitatem, regi Thoanti tradita est, sacerdosque facta Dictynnae Dianae * secundum consuetudinem statutam humano sanguine numen placaret, cognovit fratrem Orestem, qui accepto oraculo, curandi furoris causa cum amico Pylade Colchos petierat; et cum [his], occiso Thoante, simulacrum sustulit, absconditum fasce lignorum (unde et Fascelis dicitur, non tantum a face, cum qua pingitur; propter quod et Lucifera dicitur) et Ariciam detulit. Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret, quamquam servi immolarentur, ad Laconas Diana translata est, ubi sacrificii consuetudo adolescentum verberibus servabatur, qui vocabantur bomonicae, quia aris superpositi contendebant, qui plura posset verbera sustinere. Orestis vero ossa de Aricia Romam translata sunt, et condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum iuxta Concordiae templum.

---

8. Ulyxe. 12. facta ductum ne Dianae. 14. carendi sororis. 15. his om. 17. notandum. 18. Aritiam. 19. Rhomanis. 20. a Laconas. 21. est om. 22. auri supperpositi. 24. Rhomam.

---

1. ad Italiam] Ita et Serv. l. c. et alibi. — Cap. CCLXI. Ov. Trist. 4, 4, 63 sqq.; Schol. Eur. Or. 647; Serv. ad Aen. 2, 116; Schol. Stat. Th. 8, 437; Myth. Vat. I, 20 et 173; II, 202; Acro et Schol. Cruq. ad Hor. od. 1, 7, 10; Hyg. cp. 120. Cum Hygino ad verba fere consentit Serv. l. c. — 4. de Graecia] De hoc dicendi genere dixi in Prolegg. — 6. et pestilentiam] Ita Serv. quoque et Myth. Vat. II, l. c. — 8. Ulixe] vulg. Ulyxe. — 12. Dictynnae] Sic corr. St.; monente M. aliisque. Cf. Serv. l. c.; Myth. Vat. I, 20; II, 202. — Dianae etc.] M. coni. Dianae cum secundum. Ego mallem 'Dianae. Quae cum secundum.' — 14. curandi furoris] Sic corr. St., monentibus Gronovio aliisque. — 15. cum etc.] Sic correxi ex Serv. l. c. Idem iam Gronov. et Sch. voluerant. — 17. unde etc.] Haec usque ad illa 'Orestis vero ossa' stulti hominis additamentum esse putat Sch. — Fascelis] Serv. l. c.; Myth. Vat. I, 20; II, 202. M. coni. Facelitis ex Gr. φάκελος. — non tantum] Sic corr. L. — 20. ad Laconas] Serv. et Myth. Vat. II, l. c. Sch. coni. ad Laconum Dianam. — 21. est] Hoc addidit L. — 22. servabatur] Ita Serv. quoque et Myth. Vat. II, l. c. De hoc apud Lacones more vid. Hermann, Gr. Staatsalterth. §. 26, 7. M. praeter alia haec addit: Fuit ergo hic scriptor Tertulliani aetate inferior, cuius verba sunt lib. ad Martyr. cp. 4 Nam quae hodie apud Lacedaemonas solennitas maxima est διαμαστίγωσις, id est flagellatio, non latet. — bomonicae] Myth. Vat. II, l. c. βωμονίκαι. Quod praeferendum videtur. — aris] Sic corr. M. Idem iam Mic. voluerat. — 26. templum] Mic. haec addit: Hic iterum desunt octo capita, ut videre est in indice. —

Digitized by Google

* * *

Iovis et Europae filius. Cycnus alter, Martis filius; quem idem Hercules occidit.

CCLXX. Qui formosissimi fuerunt.

Iasion, Ilithii filius, quem Ceres dicitur amasse; quod ipsum historiis creditur. Cinyras, Paphi filius, rex Assyriorum. Anchises, Assaraci filius, quem Venus amavit. Alexander Paris, Priami filius et Hecubae, quem Helena secuta est. Nireus, Charopis filius. Cephalus, Deionis filius, quem Aurora amavit. Tithonus, Laomedontis filius, Aurorae coniunx. Parthenopaeus, Meleagri et Atalantes filius. Achilles, Pelei et Thetidis filius. Patroclus, Menoetii filius. Idomeneus, qui Helenam amavit. Theseus, Aegei et Aethrae filius, quem Ariadne amavit.

CCLXXI. Qui ephebi formosissimi fuerunt.

Adonis, Cinyrae et Smyrnae filius, quem Venus amavit. Endymion, Aëthlii filius, quem Luna amavit. Ganymedes, Erichthonii filius, quem Iovis amavit. Hyacinthus, Oebali filius, quem Apollo amavit. Narcissus, Cephisi fluminis filius, qui se ipsum amavit. Atlantius, Mercurii et Veneris filius, qui Hermaphroditus dictus est. Hylas, Thiodamantis filius, quem Hercules amavit. Chrysippus, Pelopis filius, quem Theseus ludis rapuit.

---

1. Cygnus. 6. Assarici. 8. Cephalus Pandionis. 9. Titonus. 10. Athalantes· 14. Ephebi. 15. Cynirae. 16. Aetoli. — Ericthonii. 20. hermophroditus. — Hilas. — Theodamantis.

---

1. Cycnus] vulg. Cygnus. Cf. cp. 159. — Cap. CCLXX. v. 4. Iasion] cf. Intprt. ad Ov. Met. 9, 422. — Ilithii] Sch. coni. Electrae; M. Corythi. — 5. Paphi] cf. cp. 242 et 275. — 6. quem etc.] cf. cp. 94. — 8. Nireus] Hic propter formae praestantiam in proverbium abiit *Νιρέως καλλίων*. Luc. D. Mort. 9. — Charopis] Cap. 97 est Charopi; quod praefert Sch. Graece *Χάροπος* et *Χάροψ* scribitur. — Deionis] Sic correxi ex cp. 189. Idem iam H. et M. voluerant. Deion et Pandion etiam aliis locis confunduntur. — 9. Laomedontis filius] Apollod. 3, 12, 3. Frater Laomedontis est Serv. ad Aen. 1, 489. — 10. Meleagri] cf. cp. 99. M. haec addit: Quos auctores, inquit, secutus sit Hyginus nescio. Forte e furtivo concubitu fuit natus. Nam captum fuisse amore Atalantes Meleagrum satis constat. Consule Ovid. Met. 8, 324. Amplexus Hygini sententiam est Schol. Stat. Th. 4, 309. — 12. qui etc.] cf. cp. 81. — 13. quem etc.] cf. cp. 42. — Cap. CCLXXI. v. 15. Smyrnae] cf. cp. 58. — 16. Aëthlii] Sic correxi ex Apollod. 1, 7, 6 aliisque. Idem voluit Sch. — Erichthonii] Assaraci filius est cp. 224. — 17. Oebali] Ov. Met. 10, 196. Alii alia tradunt. Cf. Apollod. 3, 10, 3. — 19. Atlantius] Lectio corrupta est. Atlantiades vocatur Hermaphroditus ab Ov. Met. 4, 368, sed a proavo Atlante. — 20. Thiodamantis] Sic scripsi h. l. et cp. 14. — 21. quem etc.] Periz. coni. quem Nemeis Laius rapuit (cf. cp. 85). Fortasse legendum: quem Laius Nemeis ludis rapuit. — Deest cap. 272 De iis qui in Areopago causam dixerunt. —

Digitized by Google

CCLXXIII. Qui primi ludos fecerunt, usque ad Aeneam quintum decimum.

*
* *

Quinto loco Argis, quos fecit Danaus, Beli filius, filiarum nuptiis, cantu, unde hymenaeus dicitur.

Sexto autem iterum Argis, quos fecit Lynceus, Aegypti filius, Iunoni Argivae, qui appellantur Ἀσπὶς ἐν Ἄργει. Quibus ludis qui vicit, accipit pro corona clipeum, ideo quod Abas, Lyncei et Hypermnestrae filius, nuntiavit parentibus, Danaum perisse. Cui Lynceus de templo Iunonis Argivae detraxit clipeum, quod Danaus in iuventa gesserat, et Iunoni sacraverat, et Abanti filio muneri dedit. In his ludis qui semel vicit, et iterum descendit ad certamen, et nisi iterum vincat, saepe descendit.

Septimo autem loco Perseus, Iovis et Danaes filius, funebres Polydectae, nutritori suo, in insula Seripho; ubi cum luctatur, percussit Acrisium avum suum, et occidit. Itaque quod sua voluntate noluit, id deorum factum est numine.

Octavo loco fecit Hercules Olympiae gymnicos Pelopi, Tantali filio; in quibus ipse contendit pammachio, quod nos pancratium vocamus, cum Achareo.

Nono loco facti sunt in Nemea Archemoro, Lyci et Eurydices filio; quos fecerunt septem duces, qui Thebas ibant oppugnatum. In quibus ludis postea vicerunt cursu Euneus et Deipylus, Iasonis et Hypsipyles filii. His quoque ludis Pythaules, qui Pythia cantaverunt, septem habuit palliatos, qui voce cantaverunt; unde postea appellatus est choraules.

---

6. ἀσπισεναργωες. 8. Hypermestrae. — nuntiavit, Danaum parentibus. 12. ut nisi. 13. descendat. 17. in Deorum. — numero. 19. pammachum. 21. Archaemoro. 23. Eunaeus. 24. Deiphylus.

Cap. CCLXXIII. v. 4. hymenaeus] ὑμέναιος. — 5. Lynceus etc.] cf. cp. 170. — Ἀσπὶς etc.] Sic correxi h. l. et cp. 170. — 8. Hyperm.] Sic corr. St. — nuntiavit etc.] Sic correxi, monente Sch. — 10. quod] Mic. voluit quem. Ita sane alii et noster cp. 170. Sed et illud ferri posse, M. demonstrat ex Serv. ad Aen. 3; 286 aliisque. — 12. et iterum] M. maluit iterum. — et nisi etc.] Sic scripsi pro 'ut nisi iterum vincat, saepe descendat.' Idem voluit M. Periz. coni. is nisi iterum vincat, saepe descendit. — 14. Perseus etc.] cf. cp. 63; Apollod. 2, 4, 4; Paus. 2, 16, 2. — 15. cum luctatur] Periz. coni. discum iaculatus. — 17. id deorum factum est numine] Sic correxi monente M. Simile quid legimus supra cp. 63. — 18. Hercules etc.] Apollod. 2, 7, 2; Strab. 1, 9, 14; 3, 6, 4; Paus. 5, 8, 1. — 19. pammachio] Sic correxi h. l. et in sqq., monentibus Sch. et M. — 20. Achareo] Lectio corrupta est. — 21. Nemea etc.] cf. cp. 74; Apollod. 3, 6, 4. — Archemoro] Sic corr. C. — Lyci] Fortasse legendum Lycurgi, ut iam supra dixi ad cp. 74. — 23. postea] B. coni. post alios. Non assentior. — Euneus et Deipylus] Sic correxi h. l. et cp. 15. — 24. pythaules] Graece est πυθαύλης. Cf. Salmas. ad Pall. Tertull. p. 470. — 25. qui etc.] M. coni. qui Pythia cantaverat. Quae quidem verba idem vir doctus e margine in textum irrepsisse putat. — 26. choraules] Graece est χοραύλης. —

Digitized by Google

Decimo Isthmia Melicertae, Athamantis filio et Inus, fecisse dicitur Eratocles; alii poetae dicunt Theseum.

Undecimo fecerunt Argonautae in Propontide Cyzico regi una cum filio, quem Iason imprudens noctu in littore occiderat, saltu, luctatione et iaculo.

Duodecimo autem Argis, quos fecit Acastus, Peliae filius. His ludis vicerunt Zetes, Aquilonis filius, dolichodromo; Calais, eiusdem filius, diaulo; Castor, Iovis filius, stadio; Pollux, eiusdem filius, cestu; Telamon, Aeaci filius, disco; Peleus eiusdem, luctatione; Hercules, Iovis filius, pammachio; Meleager, Oenei filius, iaculo. Cycnus, Martis filius, armis occidit Pilum Diodoti filium; Bellerophontes vicit equo. Quadrigis autem vicit Iolaus, Iphicli filius, Glaucum, Sisyphi filium; quem equi mordici distraxerunt. Eurytus, Mercurii filius, sagitta; Cephalus, Deionis filius, funda; Olympus, Marsyae discipulus, tibiis; Orpheus, Oeagri filius, cithara; Linus, Apollinis filius, cantu; Eumolpus, Neptuni filius, ad Olympi tibias voce.

Tertiodecimo fecit in Ilio Priamus cenotaphium Paridi, quem natum iusserat interfici, gymnicos. In quibus certati sunt cursu Nestor, Nelei filius; Helenus, Priami filius; Deiphobus eiusdem; Polites eiusdem; Telephus, Herculis filius; Cycnus, Neptuni filius; Sarpedon, Iovis filius; Paris Alexander pastor, Priami ignarus filius. Vicit autem Paris, et inventus est esse Priami filius.

Quartodecimo Achilles Patroclo funebres. In quibus Aiax vicit lucta, et accepit lebetem aureum munus. Deinde Menelaus vicit iaculo, et accepit muneri iaculum aureum. Dimisso spectaculo eodem, Phrygas captivos duodecim in rogum Patrocli et equum et canem coniecit.

Quintodecimo fecit Aeneas, Veneris et Anchisae filius, in Sicilia,

---

6. Argivis. — Pelei. 7. Zethus. 10. pammacho. 11. Cygnus. 16. Marsiae. — cythara. 21. Nerei. 23. Cygnus. 28. demisso.

---

1. Isthmia etc.] cf. cp. 2; Apollod. 3, 4, 3. — dicitur] Fortasse legendum dicitur Sisyphus, ut ait .... Cf. Apollod. l. c.; Schol. Ap. Rh. 3, 1239; Paus. 1, 44. — 2. Eratocles] Lectio corrupta est. Sch. nomen veteris scriptoris inesse putat. — 3. Cyzico etc.] cf. cp. 16. — 6. Argis] Sic correxi, monente M Paulo antea: Quinto loco Argis etc.; Sexto autem iterum Argis etc. — Peliae] Sic corr. St. monente M. — 7. Zetes] Sic corr. St. — 10. pammachio] Sic correxi h. l. et paulo antea. — 11. Cycnus] vulg. Cygnus. — 12. Pilum] Hoc nomen corruptum est. — Diodoti] Hunc aliunde non novi. — 13. Glaucum etc.] cf. cp. 250; Serv. ad Ge. 3, 268. — 14. mordici] H. coni. mordicitus; M. mordicus. — 19. Priamus etc.] cf. cp. 91. — 20. gymnicos] M. coni. et gymnicos. Quod probandum videtur. — certati sunt] Mic. coni. certarunt. Ita sane in sequentibus legitur. M. vulgatam retinendam putat. Infr. cp. 274 gladio belligeratus est. — 21. Nelei] Sic correxi monente M. — 23. Cycnus] vulg. Cygnus. — 24. ignarus] i. e. ignotus ut ait M. — 31. Aeneas etc.] Verg. Aen. 5, 35 sqq. —

Digitized by Google

ad Acesten, Crinisi fluminis filium, hospitem. Ibi Aeneas patris ornavit exequias, ludicroque certamine honores debitos manibus solvit. In quibus primum navale certamen fuit de Mnestheo, navis Pristis; Gyas, navis Chimaerae; Sergestus, navis Centaurus [Cloanthus cum navi Scylla]. Vicit autem Cloanthus cum navi Scylla et accepit praemium talentum argenti, auratam chlamydem ex purpura intextum Ganymeden. Mnestheus loricam adeptus est, Gyas abstulit lebetas, cymbiaque argento caelata, Sergestus captivam cum duobus filiis nomine Pholoen. Secundo deinde certamine cursu Nisus, Euryalus, Diores, Salius [Patron], Helymus, Panopes. Vicit Euryalus, accepit praemium equum phaleris insignem; secundo Helymus Amazoniam pharetram, tertio Diores galeam Argolicam. Salio exuvias leonis donavit, Niso clipeum, opus Didymaonis. Tertio deinde certamen cestibus Dares et Entellus. Vicit Entellus, accepit praemium taurum; Dareti galeam et ensem tribuit. Quarto deinde certarunt sagitta Hippocoon, Mnestheus, Acestes, Eurytion; qui accepit muneri galeam, quia iudicis propter omen Acestae honorem cessit. Quinto Ascanio puero duce, luserunt pueri Troiam.

CCLXXIV. Quis quid invenerit.

Nomine Cerasus vinum cum Acheloo flumine in Aetolia miscuit;

---

1. Acestem. 4. Pistris. 5. Centaurus. Vicit etc. 7. clamydem. 8. Gygas. 11. Patron om. — Helimus. 13. Helimus. 15. Didimaonis. 18. Hyppocoon. 19. omne. 21. Troiani. 23. Cerassus.

---

1. Acesten] Sic correxi ex Verg. v. 30 l. c. — Crinisi] Verg. v. 38 l. c. Aliis Crimisus est; de qua re Serv. ad Aen. 1, 550. — 3. certamen etc.] M. coni. certamen fuit. Decertarunt Cloanthus, navis Scylla, Mnestheus, navis pistris vel pristis etc.' Fortasse legendum: certamen fuit; in quo certarunt Mnestheus cum navi Pristi, Gyas cum navi Chimaera, Sergestus cum navi Centauro, Cloanthus cum navi Scylla. Vicit etc. — 4. Pristis] Sic scripsi ex Verg. v. 116 l. c. Idem voluit M. Cf. Serv. ad Aen. 3, 427; 5, 116. — Chimaerae] Sch. coni. Chimaera. — 5. Cloanthus etc.] Haec addidi ex coniectura. Cloanthi nomen h. l. excidisse, tum ex iis quae sequuntur, tum ex Verg. l. c., quem Hyginus sequitur, facile apparet. — 7. ex] Sch. coni. et. Cf. Verg. v. 252 l. c. — 10. certamine] Mic. addendum putat certarunt. M. mallet pro certamine substituere certarunt. Sane in sqq. Quarto deinde certarunt etc. — 11. Patron] Hoc nomen addidi ex Verg. v. 298 l. c. Idem iam Periz. voluerat. — Helymus] Sic scripsi h. l. et in sqq. ex Verg. v. 300 l. c. — 15. certamen] M. coni. certarunt. Quod probandum videtur. — 19. iudicis] Sch. coni. iudicio; Periz. iudicii. — omen] Sic corr. L. monentibus Mic. et C. — 21. Troiam] Sic correxi, monente Salm. Meminerunt huius lusus Verg. v. 602 l. c.; Festus v. Troia; Serv. ad Aen. 5, 556 et 602. — Cap. CCLXXIV. Plin. H. N. 7, 56. — 23. Cerasus] Sic scripsi monente Sch. Alii huius Cerasi non meminerunt. Scripserunt autem de hoc invento praeter Hyginum Plin. l. c.; Athen. 2, 16. Schol. Stat. Th. 4, 742; Serv. ad Ge. 1, 8; Myth. Vat. I, 87. Ut vulgaris est fama, Staphylus primus vinum cum aqua miscuisse dicitur. — cum Acheloo fl.] i. e. cum aqua Acheloi fluminis. —

Digitized by Google

unde miscere *κεράσαι* est dictum. Antiqui autem nostri in lectis triclinaribus in fulcris capita asellorum vite alligata habuerunt, significantes * suavitatem invenisse. Caper autem vitem quam praeroserat, plenius fructum protulit; unde etiam putationem invenerunt. Pelethronius frenos et stratum equis primus invenit. Belone prima acum repperit, quae Graece *βελόνη* appellatur. Cadmus, Agenoris filius, aes Thebis primus inventum condidit. Aeacus, Iovis filius, in Panchaia in monte Taso aurum primus invenit. Indus rex in Scythia argentum primus invenit; quod Erichthonius Athenas primum attulit. Elide, quae urbs est in Peloponneso, certamina quadrigarum primum instituta sunt. Midas rex, Cybeles filius, Phryx, plumbum album et nigrum primus invenit. Arcades res divinas primi diis fecerunt. Phoroneus, Inachi filius, arma Iunoni primus fecit; qui ob eam causam primus regnandi potestatem habuit. Chiron Centaurus, Saturni filius, artem medicinam chirurgicam ex herbis primus instituit; Apollo artem ocularium medicinam primus fecit; tertio autem loco Asclepius, Apollinis filius, clinicen repperit.
Antiqui obstetrices non habuerunt, unde mulieres verecundia ductae interierant. Nam Athenienses caverant, ne quis servus aut femina artem medicinam disceret. Agnodice quaedam puella virgo concupivit medicinam discere; quae cum concupisset, demptis capillis, habitu virili, se Hierophilo cuidam

---

1. cerassae. 2. pulchris. 5. potationem. 6. Bellone. 7. belone. 8. Sacus. 22. foemina.

---

1. *κεράσαι*] Sic corr. Herv. — Antiqui etc.] Ante haec verba deesse quaedam mihi videntur. — 2. fulcris] Sic corr. M. — 3. significantes etc.] Reinesius coni. significantes asinum vitem invenisse. B. in Adv. 11. 9 haec profert: scribendum arbitror significantes suavitatem nocuisse, hoc est ex hominibus brutas fecisse bestias. Aliquando scribendum coniectavi: Alibidam invenisse, hoc est Silenum vehentem asello. Sch. coni. significantes satietatem vini invenisse caput. Nam vitem quam praeroserat (scil. asellus) plenius etc. Denique Tiliobroga sic legendum putat: capita capellarum vite alligata habuerunt, significantes capram vini suavitatem invenisse. — suavitatem] M. haec addit: Supra cp. 130 de Icario: Ad pastores devenit, et genus suavitatis ostendit, h. e. suavem vini potum; quanquam ibi genus suave vitis mallet Nob. Heinsius. Forsan ergo et heic scribendum, suavem vitem. — Caper etc.] Ante haec verba deesse quaedam videntur. Rem attingunt Ov. Fast. 1, 353, et Met. 15, 114; Hyg. Astr. 2, 4; Schol. Stat. Th. 5, 159. — 4. vitem quam] Simile, ut M. ait, est illud Verg. Aen. 1, 573 Urbem quam statuo vestra est; et illud Terentii: Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit! — 5. putationem] Sic corr. M. — Pelethronius] Plin. H. N. l. c.; Philarg. ad Ge. 3, 115. — 6. Belone] Sic scripsi monente M. — 7. *βελόνη*] vulg. belone. — 8. condidit] H. coni. cudit. Sch. haec addit: An ostendit? Sed nihil muto; condidisse intelligi potest admixtione terrae Cadmiae ab eo ita dictae. — Aeacus] Sic scripsi pro Sacus ex Plin. l. c.; Cassiodor. Var. 4, 34. Idem M. aliique volunt. — 9. Indus] Cassiod. l. c. — 10. Erichthonius] Secundum Plin. l. c. Erichthonius Atheniensis invenit argentum. — 11. Elide etc.] Cassiod. Var. 3, 51; Sidon. 9, 98. — 12. Midas etc.] Cassiod. 3, 31. — 15. arma] Cassiod. Var. 7, 18. — 17. artem etc.] Isid. Or. 3, 9; Hyg. cp. 138. — 19. clinicen] Secundum Plin. l. c. clinicen repperit Hippocrates. — 21. ne quis etc.] cf. Spanh. ad Ar. Plut. 508. — 22. femina] Sic correxi h. l. et in sqq. —

Digitized by Google

tradidit in disciplinam. Quae cum artem didicisset, et feminam laborantem audisset ab inferiore parte, veniebat ad eam. Quae cum credere se noluisset, aestimans virum esse, illa tunica sublata, ostendebat, se feminam esse; et ita eas curabat. Quod cum vidissent medici, se ad feminas non admitti, Agnodicen accusare coeperunt, quod dicerent, eum glabrum esse et corruptorem earum, et illas simulare imbecillitatem. Quod cum Areopagitae consedissent, Agnodicen damnare coeperunt. Quibus Agnodice tunicam allevavit, et se ostendit feminam esse. Et validius medici accusare coeperunt; quare * tum feminae principes ad iudicium convenerunt, et dixerunt: Vos coniuges non estis, sed hostes, quia quae salutem nobis invenit, eam damnatis. Tunc Athenienses legem emendarunt, ut ingenuae artem medicinam discerent.

Perdix, Daedali sororis filius et circinum et serram ex piscis spina repperit. Daedalus, Eupalami filius, deorum simulacra primus fecit. Euhadnes, qui in Chaldaea de mari exisse dicitur, astrologiam interpretatus est. Lydi Sardibus lanam infecerunt, postea idem samen. * Pan fistulae cantum primus invenit. In Sicilia frumentum Ceres prima invenit. Tyrrhenus, Herculis filius, tubam primus invenit, hac ratione. Quod cum carne humana comites eius vescerentur, ob crudelitatem incolae circa regionem diffugerunt; tunc ille quia ex eorum * decesserat, concha pertusa buccinavit, et pagum convocavit, testatique sunt, se mortuum sepulturae dare, nec consumere. Unde tuba Tyrrhenum melos dicitur. Quod exemplum hodie Romani servant; et cum aliquis decessit, tubicines cantant, et amici convocantur, testandi gratia, eum neque veneno, neque ferro interiisse. Cornicines autem classici invenerunt. Afri et Aegyptii primum fustibus dimi-

---

1. foeminam. 4. foeminam. 5. foeminas. 6. Agnodicem. 8. Quo. — Agnodicem. 10. foeminam. 11. foeminae. 17. simulachra. 19. Lydi surculis lanam fecerunt. 21. Sycilia. 28. Rhomani.

---

2. audisset etc.] vulg. 'audisset, ab inferiore parte veniebat ad eam.' Delevi comma, monente Periz. — 3. se] H. coni. se ei. — 8. Quod cum] Sic correxi. Paulo antea: Quod cum vidissent medici. Et sic saepissime apud nostrum. — 10. Et] Sch. coni. At; M. Eo. — coeperunt etc.] Sic scripsi ex A. Fortasse legendum: 'coeperunt; quare damnata est. Tum etc.' M. et St., monente B., haec ediderunt: coeperunt. Quare tum foeminae etc. — 16. Perdix] cf. cp. 39; Serv. ad Aen. 6, 14; ad Ge. 1, 143. — 18. Euhadnes] Lectio corrupta est. Salm. in margine libri sui adscripserat 'Ωάννης. — 19. Lydi etc.] Sic correxi ex Plin. l. c. Idem iam Turnebus aliique voluerant. — 20. samen] Lectio corrupta est, ut iam Mic. asterisco indicavit. Turnebus coni. stamen; Scriverius Sabaei; M. postea iidem stamen, vel postea item stamen. Vera lectio mihi esse videtur: postea iidem stamen invenerunt. — 24. ille etc.] B. coni. ille, ubi qui ex eorum numero decesserant; Sch. ille, quum quis ex eorum numero decesserat. 27. tuba] i. e. tubae cantus. — Tyrrhenum melos] Verg. Aen. 8, 526 Tyrrhenus clangor. — Quod etc.] Haec et quae sequuntur usque ad illa 'Afri et Aegyptii' additamenta esse putat Sch. — 31. classici] Fortasse legendum classicum. — Afri etc.] Plin. l. c. —

caverunt; postea Belus, Neptuni filius, gladio belligeratus est, unde bellum est dictum.

CCLXXV. Oppida qui quae condiderunt.

Iovis in India Thebas Thebaidos, nomine nutricis suae; quae Hecatompylae appellantur ideo quod centum portas habent. Minerva in Chalcide Athenas, quas ex suo nomine appellavit. Epaphus, Iovis filius, in Aegypto Memphim. Arcas, Iovis filius, in Arcadia Trapezunta. Apollo, Iovis filius, Arnas. * Eleusinus, Mercurii filius, Eleusinem. Dardanus, Iovis filius, Dardaniam. Argus, Agenoris filius, Argos. Cadmus, Agenoris filius, Thebas Heptapylas, quae septem portas habuisse dicitur. Perseus, Iovis filius, Perseida. Castor et Pollux, Iovis filii, Dioscorida. Medus, Aegei et Medeae filius, in Ecbatanis Mediam. Camirus, Solis filius, Camirum. Liber in India Hammonem. Ephyre Nympha, Oceani filia, Ephyren, quam postea Corinthum appellarunt. Sardo, Stheneli filia, Sardis. Cinyras, Paphi filius, filiae suae nomine Smyrnam. Perseus, Iovis filius, Mycenas. Semiramis, Dercetis filia, in Syria Babylonem.

CCLXXVI. Insulae maximae.

Mauritania posita ad solis occasum in circuitu stadia LXXVI. Aegyptus in sole et austro posita, quam Nilus circumlavat,

---

4. Thebaidas. 5. Hecatonpylae. 10. Argos quae *. 14. Medam. Nilus, Solis filius, Carmentum. 17. Cynaras.

---

1. belligeratus est] Belligerari pro belligerare non invenitur nisi h. l. — 2. unde etc.] Cassiod. Var. 1, 30. — 4. Iovis] pro Iuppiter. — India] Turneb. Adv. 21, 9. — Thebaidos] Sic corr. M. — nutricis suae] i. e. Thebes. — 6. in Chalcide] Haec huc non pertinent. Sch. abesse quaedam putat. M. pro Chalcide legendum putat Atthide. Idem Meursio erat visum. Fortasse legendum: Minerva in terra Attica Athenas etc. (cf. cp. 164). Et in sqq. Apollo, Iovis filius, Arnas in Chalcidice (cf. Thucyd. 4, 103). — 9. Eleusinus] cf. cp. 147. — 10. Dardaniam] Schol. Hom. Il. 20, 215; Schol. Eur. Or. 1392; Conon cp. 21. Alii hanc urbem Dardanum appellant. Herod. 7, 43; Thuc. 8, 104; Serv. ad Aen. 8, 134. — Argos. Cadmus] Sic corr. St. monentibus Sch. et M. — 11. quae etc.] Inepta haec sunt. — 12. dicitur] M. Lege, inquit, dicuntur, nisi in praecedentibus mavis Thebam heptapylam. — Perseida] Perseis oppidum Macedoniae fuit; Liv. 39, 54. M. vult h. l. *Persida*. — 13. Dioscorida] Sch. coni. Dioscoriada; M. Dioscoridam, vel Dioscoriadam. Vera lectio mihi esse videtur Dioscuriada. — 14. in Ecbatanis] Ecbatana, ut Sch. ait, non fuit regio, sed urbs. — Mediam] Sic correxi, monente Sch. Terram Mediam a Medo esse appellatam, legimus supra cp. 27. — Camirus etc.] Sic scripsi monente Sch. Cf. Herod. 1, 144; Pind. Ol. 7, 102; Thuc. 8, 45; Strab. 14, 653 sq. Secundum Pind. l. c. Camirus Cercaphi, Solis filii, filius fuit. — 15. Liber etc.] Herod. 2, 42; 3, 25 sq. — Ephyre etc.] Paus. 2, 1, 1; Schol. Ap. Rh. 4, 1212; Steph. Byz. v. *Κόρινθος*. — 16. Sardo St.] Hanc aliunde non novi. — 17. Sardis] pro Sardes. — Cinyras] Sic corr. M. Cf. cp. 270. — 18. Perseus] Apollod. 2, 4, 4; Paus. 2, 16, 2. — 19. Syria] i. e. Assyria, ut ait M. — Cap. CCLXXVI. v. 22. Aegyptus] cf. Plin. H. N. 5, 9. —

Digitized by Google

circuitu stadia * Sicilia, in triscelo posita, circuitu stadia XXXDLXX * Sardinia in circuitu stadia XCCL. Creta in longitudine * et oppida utraque parte centum possidet, circuitu stadia XXC. Cyprus posita est inter Aegyptum et Africam, similis scuto Gallico, * circuitu stadia XLIC. Rhodos in rotundo posita, circuitu stadia XXC. Euboea consimilis arcui, circuitu stadia XXCC. Corcyra, ager bonus, circuitu stadia XXC. Sicyon ager bonus, circuitu stadia mille centum. Tenedos insula contra Ilium, circuitu stadia MCC. Corsica, ager pessimus, circuitu stadia MCXX. Cyclades insulae sunt novem, id est Andros, Myconos, Delos, Tenos, Naxos, Seriphus, Gyarus, Paros, Rhene.

CCLXXVII. Rerum inventores primi.

Parcae Clotho, Lachesis, Atropos invenerunt litteras Graecas septem *A B H T I Y* * Alii dicunt Mercurium, ex gruum volatu; quae cum volant, litteras exprimunt. Palamedes autem, Nauplii filius, invenit aeque litteras undecim * Simonides litteras aeque quattuor ω ε ζ φ. Epicharmus Siculas litteras duas π et ψ. Has autem Graecas Mercurius in Aegyptum primus detulisse dicitur, ex Aegypto Cadmus in Graeciam, quas Euandrus profugus ex Arcadia in Italiam transtulit, quas mater eius Carmenta in Latinas commutavit num. XV. * Apollo in cithara ceteras adiecit. Idem Mercurius et palaestram mortales primus docuit. Ceres boves domare, et alu-

---

8. Sycion. 10. Corsyca. 11. Micos. 12. Tenedos. — Tardos. 23. cythara. 24. Ceres fruges serere, boves domare, et alumno etc.

---

1. Sicilia etc.] Plin, 3, 14. — in triscelo] Hyg. Astr. 2, 19 in triangulo. Alii hanc insulam Trinacriam vel Triquetram appellant; Plin. l. c.; Serv. ad Aen. 1, 196; 3, 384. — stadia etc.] Numeri, qui in hoc capite ponuntur, fere omnes corrupti sunt. De ambitu Siciliae vid. Solin. cp. 11. — 2. Sardinia etc.] Plin. H. N. 3, 13. — Creta etc.] Plin. 4, 19. — 3. longitudine] Sch. coni. longitudine, et utraque parte oppida centum possidet, circuitu stadia XXC. — 4. Cyprus etc.] Plin. 5, 35. — 5. Rhodos] Plin. 5, 36. — 6. Euboea] Plin. 4, 20. — 7. Corcyra] Plin. 4, 18. — 8. Sicyon] Fortasse legendum Sicinos; de qua insula Ap. Rh. 1, 624. — 10. Corsica] Plin. 3, 12. — 11. Myconos etc.] Sic scripsi ex Herod. 5, 30 aliisque. Idem iam Mic. voluerat. — 12. Rhene] Graecis est Ῥήνεια (Thuc. 1, 13; Paus. 4, 36, 6) et Ῥήνη (Steph. Byz. s. v.). — Cap. CCLXXVII. v. 14. litteras] De litterarum inventione vid. Tac. ann. 11, 14; Plin. H. N. 7, 57; Schol. Hom. Od. 23, 198; Schol. Eur. Or. 432; Serv. ad Aen. 2, 81; Scaliger ad Euseb. p. 110. — 16. Palamedes etc.] cf. Schol. Ar. Ran. 1499; Schol. Aesch. Prom. 458 sq.; Schol. Eur. Or. 422; Plut. Quaest. Symp. 9, 3. — 17. undecim] Vossius et M. volunt sexdecim ex Tac. ann. l. c. et Tzetz. Chil. 5, 28. — 18. ω etc.] Secundum Plin. l. c. Simonides invenit *Z*, *H*, *Ψ*, *Ω*. — duas etc.] Aristoteles, ut Plinius ait l. c., duas ab Epicharmo *Θ* et *X* quam a Palamede mavult. — 20. ex Aegypto] Alii e Phoenicia in Graeciam litteras a Cadmo translatas esse dicunt; Herod. 2, 49; Eur. Phoen. 6. Hinc φοινίκια sive φοινικήϊα γράμματα appellantur. — 22. Carmenta] Aliis est Carmentis; Ov. Fast. 1, 467; Serv. ad Aen. 8, 51 et 336; Myth. Vat. I, 70; II, 153. Ut M. ait, nomen eius κύριον Nicostrata erat. — num. XV.] M. coni. XVI ex Mario Victorin. lib. 1. — 24. Ceres etc.] Sic scripsi monente Sch. —

Digitized by Google

mno suo Triptolemo fruges serere demonstravit. Qui cum sevisset, et sus, id est porcus, quod severat, effodisset, suem comprehendit, et duxit ad aram Cereris; et frugibus super caput eius positis, eidem Cereri immolavit. Inde primum inventum est, super hostias molam salsam imponere. Velificia primum invenit Isis. Nam dum quaerit Harpocratem filium suum, rate velificavit. Minerva prima navem biproram Danao aedificavit, in qua Aegyptum fratrem profugit.

Desunt nonnulla.

---

2. seruisset.

---

2. sevisset] Sic corr. Sch. — sus etc.] Ov. Fast. 1, 349 sqq.; Met. 15, 112; Serv. et Prob. ad Ge. 2, 380. — id est porcus] Glossatoris haec esse putant Sch. et M. — 7. Minerva etc.] cf. cp. 168. —

Digitized by Google

INDICES.

I. INDEX RERUM.

Numeri paginas indicant. — Nomina corrupta vel suspecta in hoc indice non enumerantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

II. INSCRIPTIONES

earum fabularum, quae in Ms. Micylli desiderabantur.

Cap. 207 Macareus, 208 Rhodos, 209 Cyrene, 210 Hecatea, 211 Herse, 212 Endymion, 213 Atys, 214 Narcissus, 215 Hermaphroditus, 216 Eurydice, 217 Maleas, 218 Hyacinthus. — 222 Septem Lyrici. — 226 Quae mortales cum Iove concubuerint, 227 Quae cum Apolline, 228 Quae cum Neptuno, 229 Quae cum Mercurio, 230 Quae cum Libero, 231 Quae cum Marte, 232 Quae cum Aquilone, 233 Quae immortales cum immortalibus concubuerint, 234 Qui patres suos occiderunt, 235 Qui matres suas occiderunt, 236 Qui fratres suos occiderunt, 237 Patres qui filios suos occiderunt, 238 Qui filias suas occiderunt. — 262 Noctua, 263 Ceres, 264 Qui fulmine icti sunt, 265 Qui a Neptuno perierunt, vel a Mercurio, vel a Minerva, 266 Qui ab Apolline perierunt, 267 Quae bellicosissimae fuerunt, 268 Qui fortissimi heroes fuerunt, 269 Qui amplissimi fuerunt. — 272 Iudicia parricidarum, qui in Areopago causam dixerunt.

III. INDEX LIBRORUM,

quibus auctor fabularum usus est.

CORRIGENDA.

Pag. 3, v. 32 sic est legendum: tradit Hieronymus ad etc.; v. 44 rettulisse. — 8, 9 videri.' — 25, 26 Dositheus. — 27, 16 piscium. — 31, 16 Dioxyppe. — 37, 45 Hyginum. — 39, 22 Caeneus. — 55, 25 Podarius. — 69, 37 quam cap. 63. — 73, 33 alibi. — Hipp. — 74, 9 alium. 83, 37 Sic correxit C. — 86, 46 Il. 2, 559 sqq. — 94, 38 Thersander. — 105, 36 Nausicaae. — 112, 25 Ops fuit una Titanidum, uxor etc. — 114, 38 Ἑρμῆς vocatur. — 117, 47 Myth. Vat. II, 99. — 128, 28 Cap. CLXX. — 137, 53 probat. — 139, 37 absconditum. — 141, 37 ex Ms. — 143, 47 'a mari piratae.' — 145, 44 de qua.

Dessaviae, typis H. Neubürgeri impressum.

Digitized by Google

Digitized by Google

crait. 8

Digitized by Google

[illegible]zed by Google

Digitized by Google